HISTORIA CULTUS SINENSIUM,

SEU

VARIA SCRIPTA

De Cultibus Sinarum, inter Vicarios Apoſtolicos Gallos alioſque Miſſionarios, & Patres Societatis Jeſu controverſis,

OBLATA

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO

Et Sacræ Congregationi Eminentiſſimorum Cardinalium dirimendæ huic Cauſæ præpoſitorum:

Adjuncta Appendice Scriptorum Patrum Societatis Jeſu de eadem Controverſia.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Matth. IV. 10.

COLONIÆ,

M. DCC.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Cum à pluribus jam annis gravissima de Sinensibus Confucii Philosophi & Progenitorum defunctorum cultibus, aliisque nonnullis Capitibus controversias coram Apostolica Sede disceptetur, varia Scripturarum ex utraque disceptantium parte Sacræ Cardinalium Congregationi oblatarum exempla in Urbe pervagata sunt; ac deinde, ut fit, multiplicata ad longinquas etiam Provincias pervenerunt. Non sine aliqua verò providentia factum arbitror, ut vir literatus mihi amicus unum aliquod ejusmodi exemplar nactus fuerit, in quo omnes ferè Scripturæ Procuratoris Generalis Vicariorum Apostolicorum, aliorumque Missionariorum Gallorum Asiæ Orientalis continentur, mihique illud, pro sua benignitate ac rei literariæ juvandæ studio, in manum tradiderit. Operæ autem pretium me facturum existimavi, si hæc prælo committerem publicique juris facerem: id etiam de Scripturis Patrum Jesuitarum præstiturus, si mihi in manus incidissent; quamquam hæ minimè necessariæ videantur, cum earum summa hîc referatur, totiusque causæ status satis ex istis, quæ in lucem damus, scriptis percipiatur.

EMENDANDA.

PAg. 6. lin. 5. dele *ea*. p. 15. l. 25. lege *redditum*, *bona hujus*. p. 49. l. 19. lege *clarum est ex iis*. p. 62. l. 31. lege *cartas*. p. 63. l. 7. lege *Padres*. p. 114. l. 12. lege *odoribus*. p. 123. l. 16. lege *quas è*. p. 125. l. 16. lege *hodiedum*. p. 152. l. 29. lege *usus est*. p. 205. l. 21. lege *Martinii*. p. 247. l. 20. lege *Deum quem adorant*. p. 283. l. 3. lege *Innocentii*. p. 353. l. penult. lege *percepisse*. p. 387. l. 25. lege *adjungerem*. p. 389. l. 7. lege *limites*. p. 393. l. 31. lege *posthabita*. p. 395. l. 2. lege *in eam*. p. 429. l. 8. lege *itaque*. p. 444. l. 5. lege *ipsa per se*. p. 448. l. 9. lege *altares*. p. 450. l. 6. pro *nostros*, lege *nos otros*. p. 451. l. 9. lege *leyes*. ibid. l. 16. lege *mayores*. p. 462. l. 26. lege *los mismos*. p. 467. l. 13. lege *Responsio*. p. 472. l. 24. pro *enim*, lege *etiam*. p. 474. l. 17. lege *in se*. p. 484. l. 7. lege *templum*, *ex*. p. 522. l. 19. lege *parum*. p. 528. l. 27. lege *nemini*. p. 574. l. 4. lege *provoluta*. p. 584. l. 26. lege *iidem*.

NOTÆ

NOTÆ

In Observationes à Reverendissimis Patribus

SOCIETATIS JESU,

Sacræ Congregationi Sancti Officii exhibitas

IN

MANDATUM

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

MAIGROT,

Vicarii Apostolici Episcopi Cononensis electi,

A

NICOLAO CHARMOT,

Ejusdem Reverendissimi Domini

MAIGROT,

Aliorumque Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum Gallorum Asiæ Orientalis Procuratore Generali Sacræ Congregationi Sancti Officii,

Oblatæ die 29. mensis Julii 1698.

[illegible]

PRÆFATIO.

Quisquis hanc Patrum Jesuitarum scripturam attenderit, facilè animadvertet id unum eos agere, ut causa per se cla-a offusis difficultatum tenebris obscuretur, & itis jam instructa in longum protrahatur, vel otius nunquam finiatur. Id patet tum ex mano hoc Observationum in Mandatum Illustrissimi ac Reverendissimi D. Maigrot volumine; um ex præmissa ei admonitione, in qua significant se singulis scriptis ab eodem Illustrissimo Domino Maigrot, & à me Sacræ Congregationi oblatis totidem similia responsa parare; esponsum etiam se Patrum Sinensium in dies xpectare; imo & celeberrimi Operis Illustrissimi Navarrettæ amplam & solidam Confutationem adornare; quæ quidem omnia ad pleam atque integram causæ cognitionem necessaria videri volunt. Qua etiam agendi ratione erant fore ut novis semper difficultatibus rem nplicando, Eminentissimos Patres scriptorum tole quasi oppressos ab hujus causæ disceptatione deterreant.

Quamquam autem vix aliquid in istis Ob-

ſervationibus occurrat quod novam reſponſionem mereatur, haud abs re tamen mihi viſum eſt eas percurrere, non quidem ſingula excutiendo, (id enim eſſet grave moleſtumque laboris onus fruſtra ſuſcipere, atque Eminentiſſimorum Patrum patientia abuti), ſed præcipua loca quæ ad rem videntur magis facere, perſtringendo, & quantum opus erit, appoſitis notis configendo.

Quod ut melius exequar, propoſitarum quæſtionum Ordinem non nihil mutabo: ac primo quidem loco agam de cultu Progenitorum & Confucii quod præcipuum eſt totius controverſiæ caput; poſtea de tabellis eorumdem Progenitorum; tum denique de vocibus Xangti & Tien, *an eas ad ſignificandum Deum Opt. Max. adhiberi oporteat, atque adeo retineri in Eccleſiis tabulas his verbis inſcriptas:* King Tien, Cœlum colito. *Cætera verò Obſervationum ſæpè uſque ad nauſeam repetita, vel tanquam aliena, & huic cauſæ inutilia omittam, vel data occaſione, ſuis quæque locis, breviter refellam.*

HISTORIA CULTUS SINENSIUM.

SECTIO PRIMA.

De Cultu Progenitorum & Confucii.

ARTICULUS I.

Quæ & qualis sit quæstio circa ejusmodi Cultus.

PAtres Societatis tam in superioribus scriptis quam in hisce Observationibus passim asserunt ac supponunt, quæstionem hanc de cultibus Progenitorum & Confucii, esse quæstionem facti. At contra ego contendo quæstionem facti hac in causa esse, quidnam reipsa in ejusmodi cultibus agatur, V. G. an cerei coram Confucii & Progenitorum tabellis accendantur, odoramentorum suffitus fiant, vinum libetur, capræ aut porci caput afferatur, & alia similia; ubi autem hæc ita

fieri constiterit, jam quæstionem juris esse, an talis cultus sit religiosus & idololatricus, vel civilis tantum & politicus; adeoque an Christianis licitus vel illicitus.

2. Hanc certe utriusque quæstionis distinctionem, quæ per se clara est, comprobavit S. Congregatio ubi jussit me ex Mandato Reverendissimi D. Maigrot extrahere facta, quæ ex scriptoribus Societatis probari possent, quod in scripto cui titulus: *Veritas facti* abundè me præstitisse confido. Unde omissis ambagibus, aut negandum erat factum, & adductis à me probationibus ac testimoniis respondendum; aut certe de eo conveniendum, quod vulgo concordatum facti appellant, ut deinde progressus fieret ad quæstionem juris, de qua judicium ferre debet S. Congregatio, an videlicet ejusmodi cultus liciti sint Christianis, vel illiciti.

3. At illud ipsum est quod Auctor Observationum studiosè cavet; vix enim unquam hanc quæstionem facti attingit, aut sicubi in eam incidit, statim prætervehitur. Nusquam ea quæ in cultibus Progenitorum & Confucii geruntur dilucide explicat, sed generalibus tantum verbis involvit, ut si fieri possit, ad illa Eminentissimi Patres ac Judices non attendant, eosque verus causæ status fugiat.

4. Qua in re etiam sibi parum constat. Toto enim opere, tum auctoritate, tum ratione pugnat, ut sententia Patrum Societatis probabilis, imo contraria probabilior atque etiam tutior, vel forte unicè tuta habeatur. Atqui hæc ratiocinatio locum habet in quæstionibus juris,

juris, non facti; ut si quis de aliquo contractu quærat utrum sit usurarius, multasque afferat rationes atque auctoritates ad probandum non esse usurarium, sive id ut certum, sive tantum ut probabile statuat, nemo unquam dixerit esse quæstionem facti, sed juris. Idque adhuc magis locum habet cum agitur de facto quod consistit in actibus externis, & publicis ceremoniis, quales sunt quæ in cultu Progenitorum & Confucii adhibentur. Tunc enim ad id probandum non auctoritates & rationes, sed inspectio, testes oculati & publica rei notitia requiritur.

ARTICULUS II.

Quinam & quales sint cultus Progenitorum & Confucii.

5. AT vero iisdem ego, quibus antea, vestigiis insistens, operæ pretium existimo factum ipsum circa ejusmodi cultus denuo explicare, atque Eminentissimorum Dominorum oculis subjicere.

De Cultu Progenitorum.

6. Sinæ præsertim Literariæ Sectæ, quæ est præcipua in toto Imperio, & cujus princeps est ipse Imperator, Parentes & Avos defunctos usque ad quartum gradum præcipuo cultu, tum publicè, tum privatim, venerantur. Ædes sacras seu capellas eis dedicatas

habent, in quibus collocatæ sunt tabellæ ex ligno castaneo, certisque dimensionibus confectæ, cubitalibus literis sic inscriptæ: *Thronus* seu *sedes animæ vel spiritus* N. N. apposito cujusque nomine & dignitate. In medio autem ædis est mensa seu altare cum aliis hinc inde minoribus mensis seu altaribus, ubi ejusmodi tabellæ reponuntur.

7. In his ædibus ter aut quater in anno, præsertim vere & autumno magno apparatu, *Ci*, hoc est oblationem solemnem seu sacrificium celebrant. Aliquot ante diebus Primogenitus seu Paterfamilias, & tres aut quatuor alii ex primoribus familiæ seliguntur, qui veluti Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi, Magistri ceremoniarum, atque Acolytorum Ministerio fungantur. Hi diem futuræ oblationis sortitione eligunt; tribus ante diebus jejunio vacant & à thoro conjugali abstinent; pridie vero ad vesperam victimas, porcum videlicet, capram aut alia animalia, infuso in auriculas calido vino probant. Si caput moverint, ut apta sacrificio deligunt; si non moverint, ut inepta reprobant. Sic adoptatum animal in eorum conspectu statim mactatur. Ipso die ante primum Galli cantum ad ædem seu capellam omnes consanguinei conveniunt. Singulis ordine dispositis, accensis supra altare cereis cum thuris atque odorum suffitu, Magister ceremoniarum alta voce clamat: *Flectantur genua*, statimque omnes coram tabellis ter aut quater genuflectunt; terram fronte percutientes, ac unus ex Ministris certas quasdam precationum formulas recitat, dein-

deinde clamante Magiſtro ceremoniarum: *Levate*, ſurſum ſinguli in pedes ſe ſe erigunt. Poſtmodum præcipuus Miniſter qui officio veluti Sacerdotis fungitur, ſtans ad altare, vino plenum calicem in altum tollit, clamante Magiſtro ceremoniarum; *Offertur vinum*, cujus partem libat, partem vero ſuper figuram hominis ſtramineam ibi poſitam fundit. Poſtea cæſorum animalium pilos detrahit, qui unà cum ſanguine humi defodiuntur; capita autem & carnes in altum tollit, & coram tabellis offert, clamante interim Magiſtro cæremoniarum: *Offertur capra*, vel *porcus*. Simili modo offert flores, fructus, legumina; itemque ſericos pannos & nummos papyraceos, quos in foco ante ædis portam accenſo comburit, adhibitis ad ſingulos hos actus variis precationibus quæ ab uno ex Miniſtris recitantur. His ita peractis, Magiſter ceremoniarum denuntiat aſſiſtentibus debere eos ob exhibitum Proavis cultum proſpera omnia expectare, ſalutem videlicet corporis, fructuum ubertatem, filiorum procreationem, honores longamque vitam.

8. Hæc probantur partim ex Ritualibus libris relatis apud Illuſtriſſimum Navarrettam tom. 2. tract. 7. pag. 114. 115. & in tractatu manuſcripto Patris Franciſci Varo Dominicani Miſſionarii in Epiſcopum ac Vicarium Apoſtolicum electi, quem propria manu ex Autographo in Sina degens deſcripſi & penes me habeo, quod ſub juramento affirmare paratus ſum: & ex relatione ſimilis ſacrificii cujus oculati teſtes fuerunt Pater Joannes Bapt. Mo-

rales Ordinis Prædic. & P. Antonius à Santa Maria Franciſcanus, in quo præcipuus Miniſter, & unus ex Acolytis erant Chriſtiani, aliiſque teſtimoniis à me citatis in prioribus ſcriptis: denique ea ex tractatu Illuſtr. D. Gregorii Lopez Epiſcopi Baſilitani ac Vicarii Apoſtolici Nankinenſis quem ipſimet Jeſuitæ producunt & plurimum laudant. Hunc ſi vidiſſem quando ſcriptum cui titulus: *Veritas facti*, compoſui, complura ex eo afferre potuiſſem ad probandam factorum veritatem, ſpeciatim de jejuniis, continentia conjugali, & aliis prædictarum ceremoniarum circumſtantiis.

9. Præter has ſolemnes oblationes quæ vere & autumno peraguntur, ſæpe ſæpius Sinæ ad eaſdem ædes ſe conferunt, præſertim in novilunio ac plenilunio ſingulorum menſium, ibique præfatas Progenitorum tabellas ter aut quater genuflexionibus profundiſque uſque ad terram totius corporis inclinationibus venerantur, cereos accendunt, thura & odores cremant, flores quoque fructus, legumina, alioſque cibos offerunt.

10. Qui vero tenuioris ſunt fortunæ, nec ejus conditionis ut ædes ſeu capellas Progenitoribus defunctis dedicatas habeant, eaſdem oblationes & ceremonias ad eorum ſepulchra extra Civitates poſita, vel in privatis domibus, minori cum ſolemnitate & apparatu peragunt. Vix enim quemquam, etiam inter plebeios, reperias, qui domi non habeat locum aliquem ubi prædictas Avorum tabellas conſervet, eaſque frequenter genuflexionibus, odorum ſuffitu,

ſitu,

ſitu, & fructuum ac ciborum oblationibus veneretur.

De Cultu Confucii.

11. Confucius Philoſophus in ſingulis Civitatibus ædem ſacram ſeu capellam habet, quæ juxta Gymnaſium ſeu ludum Literarium conſtructa eſt; in ea collocata eſt ejus tabella cum hac inſcriptione aureis literis exarata: *Thronus ſeu ſedes animæ Sanctiſſimi & Superexcellentiſſimi Protomagiſtri Confucii.*

12. Ad has ædes bis in anno, æquinoctio videlicet veris & autumni, omnes Literati conveniunt, ut Confucium tanquam communem Magiſtrum ac Sinicæ Philoſophiæ Parentem, oblatione ſolemni venerentur. Præcipuus Mandarinus ſeu Urbis Gubernator Sacerdotis officio fungitur, adjunctis aliis Literatis qui Diaconi, Subdiaconi, Magiſtri ceremoniarum, atque Acolytorum partes obeunt, ut modo de oblationibus Progenitorum dictum eſt. Hi, præmiſſo, ut ſupra, aliquot dierum jejunio, & abſtinentia à thoro conjugali, pridie æquinoctii, orizam aliaque legumina & fructus terræ Confucio offerenda in aula præparant: in area vero templi Confuciani Mandarinus qui Sacerdotem agit, ſupra menſam cereis accenſis, impoſitis prunis thus alioſque odores cremat; deinde porcum, capram, aliave animalia poſtridie immolanda probat, injecto, ut jam dictum eſt, in aures vino calido. Idem porcum ſic electum, antequam mactetur prono corpore ſalutat, ac deinde à Laniis coram eo mactatum ſimili modo iterum veneratur. Poſtea

pili raduntur & cum inteſtinis & ſanguine in ſequentem diem ſervantur.

13. Poſtridie ante Galli cantum Mandarinus cum aliis Miniſtris, cæterique Literati magno cum apparatu adſunt in æde Confucii: cereis accenſis, ſupra menſam ſeu altare thus alioſque odores adolent: ſignum dante Magiſtro ceremoniarum Muſici cantant; deinde Mandarinus tanquam Sacerdos, Magiſtro ceremoniarum clamante; *offerantur pili & ſanguis victimarum*, eoſdem pilos in catino poſitos unâ cum ſanguine in altum tollit, & coram tabella Confucii offert; poſtmodum jubente Magiſtro ceremoniarum, omnes inſtructo ordine extra ad aream templi procedunt, ubi pilos ac ſanguinem terræ infodiunt. Poſtea ſinguli ad ſua loca redeunt, & carnes animalium aſſervantur: tunc Magiſter ceremoniarum alta voce clamat; *deſcendit ſpiritus Confucii*, quo dicto Sacerdos ſeu Mandarinus plenum vino calicem ſumit, eumque in imaginem hominis è paleis contextam fundit; tum Confucii tabellam è loculo ſumptam, ſuper altare collocat, precationem ſummas Confucii laudes continentem recitando.

14. His peractis, incipit ſecunda pars ſacrificii; clamante Magiſtro ceremoniarum; *Flectamus genua*, quo audito omnes genuflectunt, ac poſtmodum dicit, *Levate*, atque omnes ſtatim ſurgunt: tum Mandarinus ſive Sacerdos manus lavat, & oblatum ſibi ab uno è Miniſtris pannum ſericum, ab alio verò vas plenum vino ſuſcipit. Clamat Magiſter ceremoniarum, *Sacrificus accedat ad Thronum Confucii.* Hic Muſicis

Muſicis canentibus pannum ſericum, ac dein de vas vino plenum in altum tollit & Con fucio offert. Magiſter ceremoniarum quate repetit, *Flectamus genua & levate*, & omne quater genuflectunt toto corpore proſtrati, a ſe ſe in pedes erigunt; tum pannus ſericus i gnitis carbonibus comburitur, addita collect ſeu precatione in honorem Confucii. Simili ter poſt varias genuflexiones & reverentias vinum offert cum precautione in qua ſpiritum Confucii tanquam præſentem alloquitur. Quin etiam Illuſtriſſimus Gregorius Lopez in tracta tu ſupra citato cap. 5. quandam in honorem Confucii orationem refert ab uno ex Impera toribus Sinenſibus compoſitam, quæ in ejuſ modi oblationibus ſeu ſacrificiis recitatur.

15. Ad tertiam deinde partem ſacrifici proceditur. Magiſter ceremoniarum clamat *bibite vinum proſperitatis ac Felicitatis*, tum re- petit ut ſupra; *Flectamus genua*, & alloquendo Sacrificum ait, *bibe vinum Felicitatis*; ſtatim autem Sacrificus illud exhaurit. Poſtea cla- mante Magiſtro ceremoniarum; *ſume carnem Sacrificii*, idem Sacrificus a Miniſtro carnes victimarum ſuſcipit, atque ambabus manibus ſublatas in altum offert, adjunctis duabus col- lectis quarum ultima ſic concluditur: *quod- cumque tibi obtulimus purum eſt atque odorife- rum: perfectis his ceremoniis nos mortales in pace conquieſcimus, ſpiritus verò jucundatur. Ex his ſacrificiis fiet ut bona & felicitates conſequamur.*

16. Poſtremo ſpiritum Confucii, quem ad- veniſſe ac tabellæ inſediſſe putant vel animo fingunt, ad ſuum locum abeuntem comitan-

 tur.

tur, & adjuncta solemni precatione deducunt: denique carnes sacrificii inter assistentes distribuuntur, quas qui ederint, se per Confucium beneficia & felicitates adepturos confidunt.

17. Præter has solemnes oblationes, quæ bis in anno videlicet æquinoctio veris & autumni fiunt, aliæ sunt minus solemnes quæ à Literatis toto anno frequentantur. Nam 1°. Doctores, Licentiati & Baccalaurei, statim atque in Gymnasio gradus adepti sunt, ad contiguam Confucii ædem procedunt, ibique coram ejus tabella, accensis supra altare cereis, cum thuris & odorum sufitu, quater genuflectentes & toto corpore prostrati eum tanquam communem Magistrum ac Parentem venerantur. 2. Mandarini, seu Urbium Gubernatores ac Magistratus antequam dignitatem ineant, ad eandem Confucii ædem se conferentes eum modo dictis ceremoniis venerantur. Tertiò cujusque Urbis Mandarinus seu primarius Magistratus bis singulis mensibus, nempe novilunio & plenilunio, antequam ad audientiam pergat, comitantibus cæteris Officialibus & Literatis ad eandem ædem procedit, & accensis pariter cereis, cum odorum suffitu coram tabella Confucii iteratis vicibus genuflectit, & ad terram usque se prosternit.

18. Porro observandum has singulas in honorem Confucii oblationes seu ceremonias Imperatorum Sinensium legibus publicoque Regni usu ita stabilitas esse, ut nemini liceat eas omittere, statutis, si secus fiat, gravissimis pœnis, videlicet amissionis Mandarinatûs, vel

vel dignitatis graduum, imo etiam vitæ, ut refert Illustrissimus Gregorius Lopez in Prologo tractatus de quo suprà. Vide etiam tractatus Reverendi P. *Varo* Dominicani cap. 5. art. 2.

19. Hæc sunt quæ circa cultus Progenitorum & Confucii, quod ad factum spectat, exponenda habui. Notandum autem illa ex Ritualibus & classicis libris, publicèque Sinarum usu ita certa & nota esse, ut ne ipsi quidem Jesuitæ ea negare aut in dubium revocare ausi fuerint, ut patet ex scriptis in hac controversia editis; & eorum Apologiis à Didaco Morales, Jacobo Fabro, Francisco Brancato, Bartholomæo Roboredo, & P. Tellier ejusdem Societatis compositis; imo & ex hisce observationibus id ipsum confirmatur. Quantumvis enim eorum interesset factum ipsum negare, vel saltem diminuere, si potuissent, id fere nusquam tentant: quin etiam Roboredus post relata ea, quæ de præfatis sacrificiis exposui, expresse fatetur ea sic se habere, prout illi objecta erant. Tota eorum disputatio eò tendit, ut hos ipsos cultus intra civilis & politici cultus terminos contineri, adeoque Christianis permitti posse doceant, quod non ad quæstionem facti, sed ad quæstionem juris pertinet.

AR-

ARTICULUS III.

De Decretis anno 1645. & 1656. editis; & uter factum sedi Apostolicæ P. Joannes Bapt. Morales ex ordine Præd. an Pater Martinius è Societate Jesu verè exposuerit.

20. Præcedenti articulo factum circa cultus Progenitorum, & Confucii eo prorsus modo exposui, quo proponi debuit, ut Apostolica sedes jus ipsum, hoc est, an Christianis interdici vel permitti debeant, definire posset. Jam verò si quæ à me dicta sunt, cum utraque tum Patris Joannis Bapt. Moralis, tum Patris Martinii expositione conferantur, statim patebit uter eorum verum dixerit.

21. Alterutrum enim necesse est falsa expositione Apostolicæ sedi obrepsisse. Alioqui nunquam Apostolica sedes alio atque alio modo respondisset, anno videlicet 1645. illicitos esse ejusmodi cultus, anno verò 1656. permitti posse, sublatis superstitiosis, & facta protestatione fidei antequam superstitiosa à Gentilibus peragantur.

22. Atqui veram non fuisse Patris Martinii expositionem ex multis liquidò constat. Nam 1. de duplici oblatione solemni, quæ bis in anno, vere scilicet atque autumno a Sinis Literatis Confucio fieri solet, omnino tacuit. Neque etiam commemoravit quæ in honorem ejusdem Confucii fiunt à Mandarinis & Magistratibus cùm Magistratum ineunt, nec non sin-

ſingulis noviluniis ac pleniluniis antequam ad forum procedant, prout ſupra expoſui. Sat habuit ea referre quæ Bacalaurei, Licentiati aut Doctores, acceptâ gradus dignitate, honorandi iſtius Philoſophi cauſa peragunt; qua in re multiplici etiam errore ac diſſimulatione pecavit.

23. Nam primùm gradus in ipſa æde Confucii conferri ſuppoſuit, cum id fiat in Palatio ſeu Gymnaſio Literatorum, cui continens eſt ædes Confucii, ad quam Literati ſtatim ac gradus in Gymnaſio acceperunt, magno cum apparatu procedunt, eum tanquam Philoſophiæ Principem ac Magiſtrum veneraturi.

24. Deinde ædem illam Confucii, ait *Gymnaſium eſſe non Templum*, addens, *propriè dictum*, ad fucum occultandum, diſſimulans eam communiter appellari *Miao*, quod vocabulum ſacrarum ædium ita proprium eſt, ut non alio utantur Sinæ ad ſignificanda idolorum templa ſeu Bonziorum, ut vocant, Pagodas.

25. Tertiò obſervat in hoc cultu Confucii *nullum intervenire Sacrificulum vel ex idololatria Miniſtellum*, nihilque omnino in eo fieri ab idololatris inſtitutum; quibus verbis ambiguè loquitur ac fucum facit. Nam certum quidem eſt nullum his cultibus intereſſe Bonzium, aut alium ex ſecta idololatrarum Miniſtrum, nihilque ad idololatriam ſic ſtrictè ſumptam pertinens in eis fieri, cùm Literaria ſecta à duabus aliis ſectis, idololatrarum videlicet ac magorum, multum diſtet, nihilque penè cum eis commune habeat: at inde non ſequitur nihil in eis fieri ſuperſtitioſum aut idololatricum.

Con-

Conſtat ſiquidem meram idololatriam eſſe ſacrificia quæ à Literatis offeruntur tum idolo *chin hoan*, quod tanquam cujuſque civitatis genium tutelarem habent; tum ſpiritibus terræ, fluminum, montium, aliiſque quos animo fingunt.

26. Quartò aſſerit idem Martinius omnes illas reverentias, ſalutationes, corporis uſque ad terram inclinationes quæ ante tabellam Confucii fiunt eſſe ceremonias ex prima ſua inſtitutione merè civiles ac politicas. At de prima illarum inſtitutione non agitur: id unum quæritur annon ſacræ & religioſæ habendæ ſint, prout à multis retro ſæculis in tota Sina uſurpantur, habita ratione loci, tabellæ Confucii, cæterorumque adjunctorum.

27. Quintò addit has ceremonias & ſalutationes fieri *ante nomen Philoſophi*, cum omnino quæ & qualis ſit illa tabella Philoſophi indicare debuiſſet, nimirum, quod non ſimpliciter inſcriptum nomen Confucii, ſed cubitalibus atque aureis literis exaratas habeat has voces: *Sedes ſeu Thronus Spiritus Sanctiſſimi & Superexcellentiſſimi Protomagiſtri Confucii*; quæ quidem inſcriptio tabellam omnino ſuperſtitioſam & idololatricam reddit.

28. Sextò omiſit precationes & orationes quæ in ejuſmodi ceremoniis & cultibus adhibentur.

29. Septimò caute diſſimulavit Literatos hiſce cultibus ſperare ingenium, facilitatemque mentis ad ſcientias acquirendas, unde ſibi ad honores & publica munia, quæ ſolis Literatis in Sina conferuntur, aditum faciant.

30. Neque fidelior aut sincerior fuit expositio Martinii circa Progenitorum cultus. Mentionem quidem fecit solemnium oblationum quæ ter aut quater singulis annis, præsertim vere & autumno, in eorum oratoriis seu capellis fiunt: sed multa tacuit quæ illas esse superstitiosas & idololatricas plane demonstrant.

31. Primùm silentio prætermisit, Ministros ad celebrandas ejusmodi oblationes sortitione eligi: nihil præterea de eorum jejuniis, & continentia conjugali per aliquot dies ante celebrandam oblationem; nihil de victimarum delectu, de calice vini, cujus partem Sacrificus stans ad mensam seu altare haurit, partem in stramineum hominis simulachrum juxta positum fundit; nihil de capræ vel porci capite quod in altum tollit idem Sacrificus, & coram tabellis offert, nihil de pannis sericis & nummis papyraceis quos pariter offert, ac deinde ante portam igne absumit.

32. Secundò siluit ad singulos pene hos actus, preces in ritualibus libris præscriptas adhiberi, ac finito sacrificio Magistrum ceremoniarum alta voce assistentibus ob cultum *Avis* redditum hujus vitæ ac felicitatem promittere.

33. Tertiò, imo disertè ait, quod Sinæ à defunctis nihil sperant vel petunt.

34. Quartò dissimulavit tabellas defunctorum, quas tam solemni cultu venerantur, non solum defunctorum nomine inscribi, sed has voces majusculis literis exaratas habere: *Locus*, seu *Sedes* Spiritus defuncti, N. N. communemque esse Sinarum opinionem, quod Spiritus

de

defuncti tempore oblationis; ad tabellam advolet, ibique conquiescat, & oblatis pascatur; quo posito patet tabellas illas omnino esse superstitiosas & idololatricas.

35. Denique ex hac subdola Patris Martinii expositione Eminentiss. Patres & Summus Pontifex intellexerunt cultus tum Progenitorum, tum Confucii, in se ipsis & quantum ad substantiam esse bonos & licitos, cùm merè civiles ac politici videantur, tametsi aliqua eis superstitiosa adjuncta fuerint quæ Christianis omittenda essent. At vero si recte, prout reipsa peraguntur, & supra à nobis relati sunt, considerentur, aliter omnino de iis judicandum erit, nec ullo modo poterunt à superstitione & idololatria excusari.

36. Id planum est de solemni oblatione quæ bis per annum, vere & autumno Confucio offertur, cum nihil ibi desideretur quod ad veram cultus religiosi seu sacrificii rationem pertineat. Neque aliter sentiendum de aliis oblationibus quæ minori solemnitate, singulis noviluniis ac pleniluniis, vel etiam sæpius in ejusdem Philosophi æde celebrantur. Nam præterquam quod ad illas duas solemnes tanquam earum appendix ac supplementum referantur, certe eodem prorsus animo utræque illæ oblationes à Literatis peraguntur. Idque coram eadem tabella sic inscripta; *Sedes seu Thronus Spiritus Sanctissimi & Præstantissimi Protomagistri Confucii*, quod, ut dictum est, à superstitione & idololatria excusari nequit. Præterea observandum quod Mandarini & Magistratus post peractas illas minus solemnes oblationes

in

in æde Confucii prima & decima quinta cujuſcumque menſis, ſtatim eodem ordine procedunt ad templum idoli *Chin hoan* ſeu ſpiritus tutelaris Urbis, ubi eaſdem prorſus ceremonias obeunt, ſic primas quodammodo potius Confucio quam ſpiritui tutelari Urbis tribuendo. Cum autem ipſimet Jeſuitæ fateantur cultum illum ſpiritus tutelaris eſſe idololatricum; qui fieri poteſt ut idem cultus ab iiſdem Miniſtris, eodem ritu ac tenore Confucio exhibitus, purus ab omni idololatria, & merè civilis ac politicus habeatur?

37. Quod modo dictum eſt de cultibus Confucii, dicendum etiam de cultibus Progenitorum. Quid enim ſuperſtitioſius & magis idololatriam ſapiens, quam ſolemnes illæ oblationes quæ ſingulis annis ter aut quater in eorum capellis celebrantur? Tametſi vero aliæ quæ ſæpius, tum in iiſdem capellis, tum privatim domi fiunt, longè minoris ſint ſolemnitatis; eadem tamen ſuperſtitione imbutæ ſunt, cum in utriſque idem ſit animus, eadem religio erga defunctos, & æque peragantur coram tabellis ſic inſcriptis: *Sedes ſeu locus animæ talis & talis defuncti.*

38. Denique ut cultus Defunctorum ſuperſtitioſi & illiciti habeantur, ſufficit, ipſis Jeſuitis fatentibus, ut aliquid ad felicitatem hujus vitæ pertinens, ab ipſis defunctis, aut eorum ope & merito ſperetur ac petatur. Atqui Sinas in adhibendis illis cultibus bona hujus vitæ ſperare ac petere certiſſimum eſt, quod tamen in expoſitione ſua negavit Martinius. Id patet ex claſſicis eorum libris tum an-

antiquis, tum recentibus, quorum verba clarissima refert Pater Franciscus Varo Dominicanus in tractatu à me sæpè citato. Quin & Illustriss. Lopez in tractatu à Jesuitis producto, multa etiam affert quæ probant Sinas in ejusmodi cultibus preces adhibere, ad impetranda hujus vitæ bona, vel avertenda mala, tametsi Auctorum verba alio sensu explicare conetur, vel saltem contendat rem ab initio & in prima institutione aliter se habuisse; quasi verò de cultibus illis agatur, quales erant ab initio ante duo aut tria annorum millia, & non quales à multis jam sæculis in usum recepti sunt.

39. Ex his inferendum quod si S. Congregatio anno 1656. rectè circa factum edocta fuisset, numquam respondisset tolerari posse Sinas conversos adhibere dictas ceremonias erga suos defunctos, etiam cum gentilibus, sublatis superstitiosis: posse etiam assistere tantum cum gentilibus, quando agunt superstitiosa, præsertim facta fidei protestatione & cessante periculo subversionis: sed potiùs declarasset, ejusmodi cultus Christianis, tanquam omnino superstitiosos & idololatricos permitti non posse, prout anno 1645. ad P. Joannis Baptistæ Moralis quæsita respondit.

40. Hæc duo Decreta quæ adeo inter se contraria videntur, non alia ratione conciliari possunt, quam si, quod reipsa ita se habet, pro varia quærentium expositione data esse fateamur, ita ut S. Congregatio, suppositâ non examinatâ utriusque expositionis circa factum veritate, solum jus attenderit, atque adeo juxta priora

priora quæsita, cultus illos esse illicitos, juxt posteriora permitti posse responderit.

ARTICULUS IV.

Inconstantia & perplexitas Patrum Societati in prohibendis vel permittendis cultibus Defunctorum & Confucii.

41. † Observationum Auctor Lectoribus persuadere vellet Patres Societatis ab eorum ingressu in Chinam, in hanc usque horam eadem semper circa cultum Avorum & Confucii suis Neophytis permisisse. At rem non ita se habere multa probant. Si quidem Pater Antonius à Sancta Maria in scripto ad S. Congregationem de propaganda Fide misso narrat s Manilæ à Patre Roboredo Jesuita audiisse Missionarios Societatis, primis Sinicæ Missionis temporibus, Progenitorum cultus Neophytis suis non permisisse, verùm experientia e doctos difficile à Sinensibus obtineri posse, u ab illis abstinerent, de hac re scripsisse Romam, & à Theologis Collegii Romani responsum accepisse, tolerari posse ejusmodi cultus, ne alioquin prædicationi Evangelii & propagationi Fidei obex poneretur. Deinde e Decretis Missionariorum Societatis qui ann 1628. in Urbe *Kia-Ting* Provinciæ Nankinensis convenerant relatis ab Illustrissimo Navarretta tom. 2. pag. 110. patet eos adhuc quos cum

† *Obs. 1. in 4. Cap. Edicti Rom. D. Maigrot* §1. *& seqq*

cumque cultus Confucii, nec non ſacrificia fieri ſolita Cælo, Terræ, Spiritibus tutelaribus Urbium vel Montium, Neophytis ſuis interdixiſſe.

42. Contendit quidem Obſervator nunquam Jeſuitas permiſiſſe ut Chriſtiani ſolemnibus Confucii oblationibus quæ unoquoque anno bis celebrantur, Miniſtri eſſent, vel etiam aſſiſterent; atque adeo de his *nihil Martinium quæſiiſſe*; *nihil S. Congregationem reſpondiſſe*. Obſ. in 3. Cap. Decreti §. R. 3. Addit ibidem Patres Societatis ita ſe geſtiſſe *quod nemo Literatorum in Sina cogatur, his adeſſe ſolemnitatibus*. Hoc autem omnino falſum eſt, ſaltem de Mandarinis Gubernatoribus, & Urbium Magiſtratibus, qui Imperatorum legibus & publico Sinarum uſu ſolemnium illorum rituum proprii ſunt Miniſtri, quos ſi omitterent, amiſſione munerum, aut gravioribus adhuc pœnis mulctarentur, ut jam ſupra obſervatum eſt. Certe Illuſtriſſimus Gregorius Lopez in tractatu de cultibus Sinenſium teſtatur ejuſmodi cultus difficillime tolli poſſe, *quod Legibus regni ſtabiliti ſint*, & Cap. 5. §. *Rex Kia-Ching*, Legem ejuſdem Regis affert, quâ iidem cultus ſanciuntur.

43. Præterea toto illo tempore quo Miſſionarii Ordinis S. Dominici & S. Franciſci de cultibus Confucii cum Miſſionariis Societatis Jeſu contenderunt, nunquam Patres Societatis declararunt ſe duas illas ſolemnes Confucii oblationes improbare, ſolumque alias minus ſolemnes Neophytis ſuis permittere. Id patet ex Illuſtriſſimo Navarretta tom. 2. tract. 7. ubi to-

ta

illius disputationis historia refertur, & ex pologiis quas tunc temporis Patres Societatis artholomæus Roboredo, Didacus Morales, ıcobus Faber & Franciscus Brancatus edidemt. Hi enim nunquam duas illas oblationes xcipiunt, sed universim cunctos Confucii culıs tanquam licitos & Neophytis suis permisıs defendunt, ut videre est in eorum Apoloiis apud Illustrissimum Navarrettam. Denique Dominicus Sarpetri ex Ordine Prædic. à 'atre Tellier & Observatore valde laudatus, tque inter Apologistas Societatis merito annuıerandus, solemniores illos Confucii cultus, aud secus quam minus solemnes, tanquam robabiliter licitos ac permittendos tuetur.

44. Ipsemet Observator post Patrem Tellier, oco modo citato contendit ceremonias illas olemniores esse innoxias, hoc est ab omni abe superstitionis atque idololatriæ liberas, ıeque idcirco prohiberi Christianos iis interesse, quod eas Jesuitæ illicitas putent, sed quia nelius visum est Neophytos, quantum potest ommode fieri, à fovenda cum infidelibus onsuetudine *licet innocenti* amovere. Quibus verbis satis innuit Observator consilium potius esse quam præceptum, ut Neophyti ab ejusnodi solemnioribus Confucii ceremoniis abstiıeant. Hoc autem semel posito, vix aliquis in nimum inducat, Jesuitas, eâ quâ sunt benignitate & indulgentiâ, rem quæ ipsis per se icita & innocens videtur nunquam suis Neophytis permisisse.

45. Quod si successu temporis, videlicet post onsultam de his à J. Baptista Morali Sedem A-

postolicam, Neophytos suos ab ejusmodi solemnibus Confucii oblationibus omnino removerunt, quod ipsis affirmantibus an credendum sit, alii judicent; certe hinc minime sibi ipsis constare convincuntur, cum similes prorsus oblationes, quæ ter aut quater per singulos annos Progenitoribus fiunt, pergant tanquam licitas defendere ac Neophytis suis permittere. Si quis enim utrasque illas Confucii & Progenitorum oblationes prout à nobis superiùs relatæ sunt recte attendat, facile animadvertet non minorem in his quam in illis esse superstitionem atque idololatriam. Unde vix conjici potest cur Pater Martinius, omissis solemnioribus Confucii cultibus, solummodo de aliis similibus Progenitorum cultibus Sedem Apostolicam interrogaverit. Quam enim de his Progenitorum cultibus responsionem, facti veritatem dissimulando, obtinuit, eandem de cultibus Confucii potuisset similiter obtinere. Unde etiam Observator loco superiùs citato disertè asserit quod responsa Sanctæ Congregationis data Patri Martinio circa Defunctorum ceremonias, plusquam abundè sufficiant ad dirigendos circa illos ritus Confucii Neophytos, si quo casu, inquit, contingeret illorum aliquem propter speciales causas interesse. Ibidem §. *Ratio tertia est.*

46. Cur Jesuitæ in re prorsus simili tam diverse se gesserint, hæc una mihi videtur ratio afferri posse, quod cum exiguus sit Mandarinorum & Magistratuum, qui fidem amplexi sunt, numerus, iique fere omnes hactenus ex eorum Neophytis fuerint, consultius judicarunt

runt cultus illos Confucii generatim interdicere, sic tamen ut ob speciales causas eos Mandarinis ac Magistratibus permitterent.

47. At vero cum solemnes defunctorum cultus, qui ter aut quater per annum celebrantur, ad quoscumque non infimi gradus homines spectent, hoc est ad eos omnes qui aulas seu capellas avorum memoriæ dedicatas habent, difficilius putarunt cultus illos Christianis interdicere, ne, ut inquiunt, hac severitate innumeris hominibus Ecclesiæ sinus ac salutis aditus occluderetur. Hæc est, quantum conjici potest, vera ratio quamobrem Jesuitæ non eodem modo se gesserint circa hosce tum Confucii, tum Progenitorum cultus, cum utrique, si recte attendantur, æque vel permitti vel prohiberi debuerint.

ARTICULUS V.

Quid sentiendum de Decreto S. Congregationis anno 1656. juxta expositionem Patris Martinii lato.

48. Observator quæcumque * variis locis pro Decreto anni 1656. affert, pene ad verbum ex libro gallico Patris Tellier, cui titulus, *Defensio Novorum Christianorum ac Missionariorum* &c. exscripsit, ea solum latinè reddens. At non ignorat librum illum à S. Con-

* *Part. Obs.* 4. *&* 5.
2. *Part. Obs.* 1. 2. *&* 3. *in* 3. *Cap. Mand.*

Congregatione Indicis, communi Consultorum ac Theologorum voto bis condemnatum fuisse, tametsi Decretum nondum in lucem prodierit: neque etiam eum fugit, eundem ante octo annos responsione typis edita ita confutatum fuisse, ut Defensionis Auctor nihil opponendum habuerit. Videat itaque an satis prudenter & pro debita Eminentissimis Patribus reverentia fecerit, prædicta libri argumenta iterum proponendo, ac si certa essent, nec publica jamdudum Responsione confutata; quod quidem hic semel monuisse sufficiat, ne sæpe deinceps idem repetere cogamur.

49. Primùm itaque Observator cum suo Patre Tellier vult omnino standum esse Decreto anni 1656. tanquam sententiæ in contradictorio judicio pro Jesuitis latæ, postquam Apostolica sedes singula à Patre Martinio exposita maturè discussit. En ipsa Patris Tellier verba Part. 1. Cap. 4. Art. 1. 1. Edit. pag. 189. *Tandem omnibus ex utraque parte auditis, Congregatio die 23. Martii anno 1656. coram Alexandro VII. Decretum condidit, ab eodem Pontifice approbatum, quod tanquam definitivum judicium in hac materia latum haberi oportet:* Decretum vero anni 1645. tanquam non auditis Jesuitis editum, contendit vim solum habuisse sententiæ cujusdam provisoriæ, quæ per definitivum illud anni 1656. Decretum abrogata sit, velsaltem explicata.

50. Quid vero hoc aliud est, quam autoritatem S. Congregationis floccifacere, ejusque declarationes aperte contemnere? Neque enim uterque ignoravit, S. Congregationem anno

anno 1669. ea de re à Patre Polanco Missionario Ordinis Prædicatorum consultam declarasse, Decretum S. Congregationis de propaganda fide datum sub die 12. Septemb. 1645. nequaquam per Decretum S. Congregationis S. Officii latum *sub die* 23. *Martii* 1656. *fuisse circonscriptum, sed esse in suo robore, atque omnino secundum quæsita, circumstantias, & omnia in dubiis expressa esse servandum ut jacet.*

51. Dissimulandum quidem non est S. Congregationem etiam eodem loco declarare, Decretum anni 1656. perinde *observandum esse, juxta quæsita, circumstantias & omnia in eis expressa.*

52. Sed quid inde inferendum, nisi ex duobus his Decretis circa cultus Sinenses, illud servandum esse quod vera facti expositione nititur, illud autem prætermittendum, quod propter falsam expositionem nullius roboris est? Cum itaque in Sina degentibus evidens sit ac notorium expositionem posterioris Decreti falsam fuisse, prioris autem veram, quid ultra inferendum, nisi huic omnino standum esse, illud vero omittendum tanquam nullum & irritum ob subreptionem? Atque illud ipsum est quod Reverendissimus Dominus Maigrot, cui res illa nota est & oculis subjecta, provisionali suo Edicto declarandum putavit, ne, ipso vidente ac tacente, Christiani pastorali ejus curæ commissi cultibus idololatricis adhuc contaminarentur, & novæ illius Christianitatis scandalum gravissimum diutius duraret.

53. Veritas autem illa facti, quam Martinius

nius occuluit, duplici volumine Illustrissimi Navarrettæ demonstratur, & in Responsionibus ad Tellerianam Novorum Christianorum Defensionem tanta evidentia declaratur, ut pro defensione sua Pater Tellier aliive Jesuitæ nihil hactenus opposuerint. Hanc ipsam facti veritatem auctoritate complurium Societatis Scriptorum jussu S. Congregationis comprobavi; quo posito ruunt quæcumque Observator ad sustentandum illud anni 1656. Decretum congerit.

54. Quin & ipsi Patres Societatis tam certam habuerunt Martinii in illo obtinendo Decreto subreptionem, ut redux in Sina Martinius illud publicare, ac Præfectis Missionum denuntiare ausus non fuerit. Cæteri autem Jesuitæ autentica ejus exemplaria aliis Missionariis denegarunt, sat habentes dicere secundum se Romæ judicatum, & praxim Societatis circa cultus Sinenses à S. Congregatione approbatam. Pater Adamus Schaal è Societate Jesu tunc temporis in Sina Mandarinus, & alii nonnulli è Missionariis ejusdem Societatis idem Decretum ob minus sinceram facti expositionem improbarunt, ut testatur Illustrissimus Navarretta Tom. 2. Tract. 6. pag. 332. Ibid. pag. 446. Aliorum Ordinum Missionarii fere omnes in eadem fuere sententia, quos inter P. Antonius à Sancta Maria Franciscanus Missionariorum sui Ordinis Præfectus, vir pietate insignis, & ob susceptos in Missione labores laudatissimus, non dubitabat affirmare Patrem Martinium falsa expositione Sedi Apostolicæ illusisse, ut refert Pater Sarpetri Do-

Dominicanus in epiſtola à Patre Tellier laudata & typis edita Tom. 2. Defenſionis Novorum Chriſtianorum primæ edit. pag. 227.

55. Non ita de Decreto anni 1645. quod omnes Miſſionarii præter Patres Societatis prono animo exceperunt, quodque Pater Morales ubi ad Orientis partes rediit, Præfectis Miſſionariorum tam Goæ, quam in Philippinis Inſulis, Macai cæteriſque Sinæ partibus denuntiavit, autentica ejus exempla ubique diſſeminans, ut refert Navarretta Tom. 1. pag. 459.

56. * Obſervator tamen ad auctoritatem præfato Decreto anni 1656. conciliandam contendit latum fuiſſe poſt plenam cauſæ cognitionem, narratque Patrem Martinium è Sina ſecum Tractatus aliquot & inter alios grande volumen Romam attuliſſe quod Eminentiſſimis Patribus S. Congregationis Sancti Officii exhibitum fuit, & traditum Patri Commiſſario ejuſdem S. Congregationis: illum ſæpe ab Eminentiſſimis Patribus & Sancti Officii Officialibus, de his rebus viva voce differentem auditum fuiſſe; ſcripta illa communicata iis qui Romæ Patris Joannis Baptiſtæ Moralis pro defenſione Decreti anni 1645. partes agebant, ut loquitur P. Tellier Defenſionis Tom. 1. Cap. 4. art. 1. Edit. 1. pag. 188.

Sed hæc omnia gratis dicuntur, neque alio nituntur teſtimonio quam Patris Sarpetri in tractatu edito a Patre Tellier, quem quidem tractatum non temere quis ab ipſis Jeſui-

tis

* 2. *Part. Obſ. in* 3. *Cap. Mand.* §. 2. ſuppoſitio.

tis Sinensibus compositum suspicetur. Solum velim observari Patrem Martinium, ubi Romam pervenit, dubia sua examinari curasse non à Sacra Congregatione de propaganda fide his de rebus optime informata & à qua Decretum anni 1645. conditum fuerat, sed à Congregatione Sancti Officii ad quam usque ad illud tempus ejusmodi controversiæ delatæ non fuerant. Certum etiam est Joannem Baptistam Moralem, quando obtento Decreto anni 1645. in Sinam rediit, nullum Romæ Procuratorem reliquisse, qui ejus nomine ageret, si quis postea ad postulandum contrarium Decretum in urbem adveniret, quod certe tum ille difficile divinare potuisset: unde quinam fuerint illi, quos Defensor Novorum Christianorum ait Romæ partes Patris Moralis egisse, difficile est conjicere. Deinde constat Romæ tunc temporis nullum fuisse Missionarium Sinensem ex Ordine Prædicatorum, neque ullum alium Sinensis linguæ peritum, qui prætensas illas informationes à Patre Martinio oblatas examinare, & coarguere posset. Funditus igitur ruit quidquid Observator affert, ut probet Decretum anni 1656. dicta utrimque causa ac plene cognita, latum fuisse.

AR-

ARTICULUS VI.

De Probabilismo cujus ope se tuentur Jesuitæ in præsenti controversia.

58. In conventu Missionariorum, qui anno 1668. Cantonum relegati ibidem in custodia habebantur, quique omnes pene erant ex Societate, decretum fuit circa cultus Confucii & Progenitorum, standum esse Decreto anni 1656. tanquam fundato in opinione valde probabili his verbis: *circa ceremonias quibus Sinæ Magistrum suum Confucium & mortuos venerantur, sequenda sunt omnino præcepta S. Congregationis universalis Inquisitionis à SS. Domino Nostro Alexandro VII. approbata anno 1656. quia fundantur in valde probabili opinione, cui nulla contraria evidentia opponi potest.*

59. Eodem tempore Pater Franciscus Brancatus Missionarius è Societate Apologiam edidit cæterorum Missionariorum Jesuitarum calculo comprobatam, & à Patre Feliciano Paceco Viceprovinciali Patri Navarrettæ Dominicano tunc etiam Cantoni degenti traditam, in qua sententiam Jesuitarum solum ut probabilem defendit, contrariam etiam ut probabilem & in praxi tutam agnoscens.

60. Quin etiam idem Pater Felicianus Pacecus Viceprovincialis tunc temporis ad eundem Navarrettam epistolam scripsit, in qua sententiam Societatis non tam rationibus pro ea allatis, quam *irrefragabili*, ut ipse vocat, *pro-*

currit, quod principiis Probabilismi in Scholis Jesuitarum receptis non congruat. Neque enim apud Probabilistas, novum, ut opinio quæ primum timidè ab aliquo prolata est, processu temporis probabilis, vel etiam probabilissima evadat. Sed observandum, cum ex eorum sententia duobus modis aliquid probabile dicatur, nimirum vel probabilitate intrinseca quæ rationibus ex ipsa re desumptis nititur, vel extrinseca, quæ ex gravium Auctorum ac Theologorum de aliqua re, post debitum examen, decernentium auctoritate pendet, illos hac in causa solam fere extrinsecam probabilitatem afferre, eam videlicet quæ fulcitur auctoritate complurium Missionariorum è Societate, & quorumdam aliorum, qui cultus Confucii & Defunctorum, tanquam quid merè civile & politicum permitti posse censuerunt; intrinsecam vero quæ rationibus ex ipsa re desumptis, cultus illos licitos esse probaret, aut omnino omittunt, aut leviter tantum attingunt. Et quidem prudenter hoc illos agere manifestum est. Nam si rationibus ex ipsa re sumptis cultus illos esse licitos probare vellent, prius factum erat explicandum, hoc est quæ & qualia in his cultibus peraguntur. At id semper studiosè cavent, quod probe intelligant, exposita semel facti, hoc est cultuum illorum, prout reipsa apud Sinas peraguntur, veritate, nullam posse rationem bonam afferri qua liciti esse probentur. Expeditius illis fuit in subreptitia Martinii expositione acquiescere, nunquam quid sint ejusmodi cultus explicando, sed tantummodo mul-

multos è Societate Missionarios ac Theologos qui hos permitti posse docuerunt, allegando.

65. *Hoc sane consilio Observator Missionarios illos ac Theologos cultuum Sinensium approbatores summis laudibus in cælum tollit. Omnes fere, si ei credas, viri sunt eximii, & non tantum linguæ Sinensis, sed etiam Philosophiæ, Theologiæ, aliarumque Scientiarum peritissimi: quotquot vero in contraria sunt sententia, tyrones sunt, novitii, vix ulla rerum istarum experientia aut eruditione commendati. Verum ista ratiocinatione nihil conficitur. Nimis enim longum foret utrosque inter se comparare, ut inde constaret quorumnam major auctoritas ac fides esse debeat. Ad rem ipsam veniendum est, factum illud dilucide exponendo, hoc est quidnam in ceremoniis Confucii & Defunctorum reipsa peragatur, Lectorum oculis subjiciendo. Quod ubi factum erit, statim apparebit eas esse superstitionis atque idololatriæ plenas: ut enim id judicetur sufficit communem hominum sensum ac primas Religionis notiones consulere. Itaque Sedes Apostolica suo Decreto anni 1645. quod recte à Patre Morali expositæ erant, eas absolutè condemnavit. Sin vero postea anno 1656. aliud Decretum priori quodammodo contrarium tulit, id non contigit, quod sententiam Patrum Societatis de permittendis illis cultibus probabilem vel etiam contraria probabiliorem judicaverit, sed quod supposito facto, prout expositum fuerat à Patre Martinio, cultus illos civiles ac politicos adeoque permittendos censuerit.

66.

* *2. Part. Obs. 2. 3. & seqq. in 4. Cap. Mand.*

66. Apostolica Petri Sedes veritatis Magistra & vindex, in definiendis quæstionibus ad fidem aut disciplinam morum pertinentibus, non probabilitatem, sed veritatem attendit, ut rectè observavit eruditissimus ac sapientissimus Cardinalis de Aguirre in præfatione Synopsis magnæ collectionis Conciliorum Hispaniæ, ubi de Probabilismo agens Eminentissimos Pares in examinandis ac determinandis causis, quæ quotidie in Congregationibus agitantur, à monstroso illo dogmate alienissimos esse testatur, ac post citatos ea de re aliquot præclarissimos Cardinales qui nostra ætate vixerunt, de superstitibus sic pergit loqui: *Nemo est*, inquit, *quantum capio qui tam in Theoria, quam in praxi non censeat sequendam omnino esse sententiam tutiorem vel saltem longè veriorem ac probabiliorem.* Ac paulo post subjungit: *atque in Sacris hisce Congregationibus quotidie occurrunt innumeræ causæ quarum decisio ex sacris Conciliorum Canonibus pendet. Ubi autem variæ Auctorum occurrunt sententiæ, illa omnino præfertur, quæ omnibus hinc inde consideratis tutior videtur, aut juri & æquitati longè conformior.*

67. Est itaque veritas, non probabilitas, regula judiciorum Romanæ Sedis. Ubi de facto constat, sententia profertur, quæ sit magis veritati & justitiæ conformis, immutabilem Scripturæ Sacræ & Traditionis normam, & ipsa rationis atque æquitatis principia, quantum fieri potest, attendendo. Quæ si servantur in quibuslibet causis tum publicis, tum privatis; quanto magis æquum est ut locum habeant, quando agitur de primo

capite Religionis & de vitanda idololatria?

68. Sanè vix intelligi poteſt, eo progreſſam Probabiliſtarum opinandi licentiam, ut ad ea etiam ſe extendat, quæ ſaluti maxime neceſſaria ſunt, quale eſt cuſtodire ſe à ſimulachris & ab idololatria. Melius de his cenſuit Pater Joannes Bagotius non ignobilis è Societate Scriptor ab Illuſtriſſimo Navarretta citatus Tom. 2. pag. 331. Col. his verbis: *In rebus ſacris quæ ad Religionem pertinent* & ad *beatitudinem ſunt penitus neceſſariæ, non ſufficit probabilitas, ſed requiritur indubitata certitudo.* Idololatria tam capitaliter pietati & religioni opponitur, ut vel minimum illius admittendæ periculum adire non liceat, juxta Apoſtolicum hoc præceptum: *fugite ab idolarum cultura* 1. Cor. 10. v. 14. quod explicans Auguſtinus Lib. 2. de Doctrina Chriſti cap. 26. concludit, quæcumque ex hominum inſtitutis ad ſocietatem Dæmonum ſpectant, repudianda eſſe ac deteſtanda: ſimilique modo Sanctus Gaudentius tractatu 4. *non ſufficit*, inquit, *ut à mortifero Dæmonum cibo ſe cuſtodiat Chriſtianus, ſed & omnia abominamenta Gentilium & omnes idololatriæ tramites ſicut quædam ſerpentis venena diffugiat.* Ea de cauſa, ut obſervat Catechiſmus Rom. Part. 3. n. 33. 35. Deus Opt. Max. ut Iſraëlitas ab idololatria quam maxime removeret, primo Decalogi præcepto prohibuit ne ſibi ſculptile facerent, vel quamcumque ſimilitudinem eorum quæ ſunt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra, Exod. 20. v. 4. hinc etiam San-

Sancta Dei Ecclesia magna semper solicitudine cavit, ne fideles quacumque idololatriæ aut superstitionis labe contaminarentur. Itaque primis sæculis omnino illis interdictum erat Gentilium festis, vel conviviis quæ in idolorum templis fiebant, interesse. Quinetiam in Concilio Eliberitano, Can. 55. prohibitum fuit ne quis sacrificantium coronam vel capiti suo imponeret, etiam non sacrificando, nec de suis sumptibus quicquam præstaret; quam in rem videndus egregius Tertulliani tractatus de corona Militis. Ex epistolis autem Sancti Cypriani & Cleri Romani patet quanta fuerit Ecclesiæ severitas in eos qui quacumque ratione ceremoniis Gentilium interfuissent; vel etiam qui simulantes interfuisse, Libellos hujus rei testes ad evitandam Judicum inquisitionem à Magistratibus obtinebant, unde postea Libellatici appellati sunt. Quod si Apostolus Christianos, qui ab Infideli ad prandium vocati sint, Idolothytorum manducatione non prohibet, eo quod idolum nihil sit, & quodlibet à Deo creatum benedictione sanctificetur; si tamen de ejusmodi cibis in idolorum templis unà cum gentilibus manducarent; eos tanquam socios Dæmoniorum & idololatriæ participes damnat.

69. Sane si de hac quæstione consultus fuisset Augustinus, procul dubio quod contra Donatistas de baptismo in Ecclesia Catholica suscipiendo, pronuntiavit, etiam hîc respondisset, videlicet, quod *in rebus ad salutem pertinentibus vel ex eo solo quis peccat, quod certis incerta præponat.* lib. 1. de Baptismo contra Do-

natiſtas cap. 3. Quis autem non videat ex vera & fideli relatione illorum cultuum ſupra à me facta, valde dubium ac incertum eſſe an ſuperſtitione & idololatria vacent, ut non dicam certiſſimum atque manifeſtum videri illos eſſe omnino ſuperſtitioſos & idololatricos.

70. Porro nihil magis à doctrina & praxi Romanæ Eccleſiæ alienum, quam ut ope probabilitatis dicatur ſinere velle, ut eoſdem ritus alii Miſſionarii tanquam bonos & licitos permittant, alii tanquam ſuperſtitioſos & idololatricos damnent. Attamen id unum eſt quod Jeſuitæ nituntur obtinere, prout patet in variis Obſervationum locis præſertim 1. Part. Obſ. 5. §. ultimo. Neque enim hactenus auſi ſunt contendere ſententiam aliorum Miſſionariorum ritus illos damnantium evidenter eſſe falſam, atque adeo, illa abjecta, cogendos omnes Miſſionarios opinionem & praxim Societatis amplecti. Ut ope probabilitatis ſarta tecta maneat eorum opinio ſatis habent: rem in dubio relinqui vellent, ut liberum ſemper cuique eſſet ex duobus Decretis Apoſtolicæ Sedis, alterutrum tanquam ſibi favens exoptare, dicturi poſtea per univerſum Sinæ Imperium Societatem in hac cauſa Romæ victricem fuiſſe, quia non victam, eorumque ſententiam poſt maturum examen, tanquam aurum in fornace probatum, puriorem ac firmiorem emerſiſſe.

71. Verum ea eſt Eminentiſſimorum Patrum ſapientia, & pro tuenda religionis puritate ac ſanctitate Sedis Apoſtolicæ firmitas, ut in ſpem

em certam omnes jamdudum veniant, fo-
ut nullo Probabilismi, unde tot mala in Ec-
:fiam fluxerunt, habito respectu, hæc cau-
ex veritatis regulis definitivo judicio termi-
nda sit; quo omnes imposterum Missiona-
i in eundem sensum eandemque praxim con-
:niant, & Sinenses Neophyti, cum in fide
abiles, tum ab omni idololatriæ fuligine ac
spicione alieni reddantur. Si secus fieret,
: hæc controversia semper in dubio relin-
ueretur, non dubitandum quin Catholicæ
cclesiæ hostes illi exprobraturi essent, Se-
em Apostolicam Jesuitarum Probabilismo fa-
entem, idololatras, sub Christianorum no-
nine, in sinu suo fovere, & per latam ac
atiosam laxarum opinionum viam ad infer-
um mittere.

72. Verum quidem est * Observatorem jam
liquid plusquam alios Jesuitas audere; con-
:ndit enim, ut supra notatum est, post de-
:etum anni 1656. sententiam Missionariorum
ocietatis non tantum probabiliorem, sed & tu-
orem esse, imò fortasse solam in praxi certam
c tutam. Sed quam vana & falsa sit hæc as-
:rtio, ex dictis patet. Si enim decretum
lud, ob falsam Martinii expositionem, sub-
eptitium est, ut supra demonstravi, sen-
:ntiam Jesuitarum non juvat, sed potius in-
irmat; unde meritò tanquam evidenter falsa
c per decretum anni 1645. damnata haberi
ebet.

AR-

* 2. *Part. Obs.* 12. *in* 4. *Cap. Mand.* §. ul-
imo.

ARTICULUS VII.

Quinam sint illi quorum auctoritate Observator Jesuitarum sententiæ extrinsecam probabilitatem asserere conatur.

73. Jam notavi primos Jesuitarum Missionarios Neophytis suis cultum Confucii & Progenitorum non permisisse, atque in ea sententia & praxi annos 40. & amplius perstitisse, videlicet ab anno 1581. quo P. Matthæus Riccius Sinam ingressus est, usque ad annum 1628. quo in Urbe *Kin-Ting* Missionarii Societatis Conventum habueruut. * Siquidem ex actis hujus conventus liquet eos adhuc in pristina sententia perseverasse. Ab ea tunc solum recesserunt, cum accepta postmodum Theologorum Collegii Romani responsione, ejusmodi cultus permittendos esse probabilius duxerunt: neque tamen omnes in eam sententiam abierunt. Nam constat multos etiam pietate ac zelo insignes è Societate Missionarios cultus illos improbasse, Missionariis Ordinis Prædicatorum & Sancti Francisci assentientes. Inter plures quos memorat Illustrissimus Navarretta, præcipui sunt P. Joannes Balat, Pater Trigueredo, P. Antonius Govea, P. Alvarus Semedo, qui etiam post decretum anni 1656. Neophytis suis cultum Confucii & Defunctorum non permiserunt.

74. Eo solum tempore Societas de cultibus illis defendendis cogitare cœpit, quando per de-

* *Navarret. Tom. 2. tract. 2. pag.* 110.

decretum ann. 1645. communem doctrinam ac praxim suam damnatam intellexit; hoc autem semel inito consilio, haud mirandum plerosque ex Jesuitis Missionarios & Scriptores in eam sententiam abiisse; cum & voluntati superiorum obsequerentur, & Societatis honori ac gloriæ se consulere putarent. Unde quantumvis Observator pluribus capitulis summis eos laudibus extollat, parum in hac causa fidei atque auctoritatis habent. Certè etsi adhuc plures essent, & eâ Philosophiæ, Theologiæ, Matheseos, aliarumque scientiarum doctrinâ, quam eis tribuit observator, excellerent, non major esset ad confirmandam hanc sententiam illorum auctoritas, quàm fuit auctoritas tot celebrium ex eadem Societate Casuistarum, ad tuendas tanquam probabiles innumeras propositiones quas Alexander VII. & Innocentius XI. suis Decretis ut falsas & scandalosas proscripserunt, & ad eximendum à Vaticano fulmine pessimum Philosophismi dogma, quod nuper tametsi communiter in eorum scholis receptum, Alexander VIII. solemni Decreto condemnavit.

75. Verum * Observator Jesuitarum auctoritati non plane fidens nonnullos alios Missionarios adducit præsertim ex sacro Prædicatorum Ordine, quem optaret huic etiam causæ implicare, quasi ejus quoque interesset, quod à Reverendiss. D. Maigrot decretum est, in irritum mitti, & sententiam Societatis sartam tectam manere. At frustra jacit rete ante oculos

* 2. *Part. Obs.* 7. *in* 4. *Cap. Mand.*

culos pennatorum: non magis Dominicani cum Jesuitis circa cultus Sinenses, quam circa gratiam & pleraque Moralis doctrinæ capita consentiunt. Experiantur Patres Societatis, & Procuratorem Generalem Dominicanorum in hac causa appellent adjutorem. In me recipio statim agnituros, eorum Scriptorem perperam ad Dominicanorum opem ac patrocinium confugisse.

76. Operæ pretium tamen erit eos, quos adducit, examinare. Horum duo genera distinguenda: alii enim revera Jesuitis assentiuntur, rati cultum Confucii & Defunctorum tanquam quid civile & politicum permitti posse; & hi sunt Pater Dominicus Sarpetri Missionarius, Pater Gregorius Lopez item Missionarius, ac postea Episcopus Basilitanus & Vicarius Apostolicus, ac Pater Joannes de Paz Manilæ in Dominicanorum Collegio Theologiæ Professor, de quibus in præsenti articulo disseram: alii sunt quos non recte citat Observator, quosque Jesuitis nullatenus favere sequenti articulo ostendam.

77. Ex omnibus Missionariis Dominicanis qui Sinensem Missionem excoluerunt, nullus, ut puto, præter Patrem Dominicum Sarpetri apertè sententiam Jesuitarum defendit. Pater Tellier multum eum laudat, & tanquam eximium quemdam virum venditat. At de eo aliter loquuntur, qui probè eum noverant. Mediocris illum fuisse ingenii narrant, inconsideratum atque in multis ridiculum & ineptum; tametsi ad hanc cultuum Sinensium materiam addiscendam animum adjecisse non diffitear.

itear. Pluribus persuasum est, ut jam nota-
i, scripta, quæ ejus nomine inscribuntur, ab
psis Jesuitis, quibus se addixerat, aut saltem
orum ope & consilio, composita fuisse.

78. Certe ejus epistola ad S. Congregatio-
iem de propaganda fide anno 1668. in Urbe
Cantone, clam Navarrettam ejus Superiorem,
qui ibidem præsens aderat, composita est, &
Romam missa; neque de ea quicquam rescivit
Navarretta priusquam sex post annis, videli-
et anno 1674. in Urbem venit, ubi & per-
cripto testimonio S. Congregationem quis
qualisque esset Sarpetrius docuit. Præterea
quantumvis Patribus Societatis addictus esset,
orum sententiam non ut veram, sed tantum
t probabilem defendit, prout jam notatum
st. Quinetiam illum de ea plene persuasum
on fuisse, sed hæsisse dubium atque scrupu-
s & conscientiæ anxietatibus agitatum con-
tat ex epistola Patris Alcalæ ejusdem Ordinis
ui illum benè noverat. Hanc infra integram
eferemus. Sufficit hîc ad rem nostram pau-
a verba exscribere, ubi loquens de Domini-
anis vita functis quos Jesuitæ pro se citabant sic
abet: „ Quantum ad alios Patres Dominicanos
cujus literas, una cum mea epistola audio ci-
tari) in Libro Patris Tellier) cum vita
functi sint, pro se respondere non valent,
quod certus sum, eos melius quam pos-
sim ego, fuisse facturos. Sic quæso V.
Reverentia (scribit ad suum Provincialem
seu Præfectum) ratiocinetur: si præfatus
P. Fr. Dominicus, (est Pater Sarpetri
qui passim pro sententia Societatis cita-

 „ tur,

„ tur, in ea tam parum firmus fuit, ut sæ-
„ pius experientia probavi & supra jam retu-
„ li; (testis est Deus) quid censendum de li-
„ teris Dominicanorum jam vita functorum.

79. Secundus testis ex Ordine Prædicatorum à Jesuitis adductus, est Pater Gregorius Lopez origine Sina, ac deinde Episcopus Basilitanus & Vicarius Apostolicus Nankinensis. Plurimum illi auctoritatis tribuit * Observator, ob magnam, ut inquit, tum linguæ Sinensis, tum rituum ac ceremoniarum Sinensium peritiam.

80. Respondeo 1. ejus Tractatum de cultu Confucii & Progenitorum, quem tanquam sibi faventem producunt Jesuitæ, potius contra eos facere, si bene intelligatur. Nam veritatem facti circa ejusmodi cultum, quam jussus sum probare, expresse docet, adeo ut si citius in manus meas venisset, plures ex eo locos, in scripto meo cui titulus: *Veritas facti*, proferre potuissem.

81. Cum Pater Lopez jam adultus baptismum susceperit, teste P. Varo Dominicano, nullum tamen in Secta Literatorum gradum habuisse legitur; unde licet inferre antequam Christo nomen daret, eum literis non vacasse; non enim verisimile est, siquem in literis gradum habuisset, id eum vel etiam Jesuitas fuisse tacituros. Itaque illum linguæ ac Literaturæ Sinensis cognitione parum instructum fuisse probabile est. Quapropter levior est ejus auctoritas, quam ut cogat nos admittere

* *2. Part. Obs. 7. in 4. Cap. Mand.* §. Non est omittendus.

:re explicationes variorum locorum ex libris
inensibus, quas affert ad probandum cultus
Confucii & Defunctorum, juxta opinionem
esuitarum, esse tantum quid civile & politi-
um. Adde plures ex iis locis quos adducit,
videnter contrarium probare; nec nisi obtor-
o collo ad confirmandam Jesuitarum senten-
iam trahi posse. Certe cultus illos esse sa-
ros, ac proinde superstitiosos & idololatricos
iemo negaverit, si constet in eis aliquid pe-
i, aut sperari à defunctis, aut saltem eorum
ausa ac meritis obtinendum. Atqui Pater
Gregorius Lopez adhuc Missionarius aliquan-
lo in Ecclesia Fokiensi coram Patre Varo Do-
ninicano Patri de Govea è Societate dixit,
ertissimum esse Sinas à defunctis proavis spe-
are ac petere bona hujus vitæ. Id refert Pa-
er Varo in tractatu Hispanico jam superiùs cita-
o, quem in Sina exscripsi, & cujus exemplum
enes me habeo: en ejus verba latinè reddi-
a: *Pater Franciscus Lopez Sina cum in Eccle-
ia Fokiensi esset, coram me dixit Patri Antonio
le Govea: si Patres Societatis opinionem suam ex
o confirmant, quod Sinenses à demortuis Paren-
ibus bona non postulent, veritate non nituntur.
Certe sum Sina & non nisi adultus baptismum
uscepi; pro comperto autem habeo Sinas jam à
pueritia, cum ejusmodi ceremoniis intersunt, bo-
na & prospera petere ac sperare, idque tam cer-
um est, ut nemo è Sinis, qui verum dicere ve-
it, hoc unquam in dubium revocarit.* Unde e-
iam idem Illustrissimus Lopez in præfato tra-
ctatu cap. 2. §. 2. part. 2. Auctores idem di-
serte confirmantes profert, quos tamen ad a-
lium

lium ſenſum detorquet, ne Jeſuitarum opinioni quam defendendam ſuſcepit, contrarii eſſe videantur.

82. Porrò haud mirum ſi Miſſionarius origine Sina ad explicandos in bonam partem cultus patrios, & ab idololatriæ labe purgandos propenſior fuerit; aut ſi Jeſuitis ſe conjungens, quod ab eis opem ac præſidium in multis ſperare poterat, eorum partes in hac controverſia contra Superiores ſuos ac reliquos Ordinis Prædicatorum Miſſionarios ſecutus ſit.

83. Obſervator illum Antiſtitem Sanctiſſimum appellat, & ſolo eo nomine quod è Sina oriundus, linguæ ac literarum Sinenſium peritia Reverendiſſimo D. Maigrot, Patri Varo, cæteriſque Miſſionariis longe anteponit; quaſi verò eo ipſo quo quis in aliqua Provincia natus eſt, ſcientiarum quæ ibi florent, & linguæ cujus ad eas diſcendas uſus eſt, peritus haberi debeat. Id perinde eſt ac ſiquis contendat, quemlibet è plebe Italum veterem Tuſcum ſermonem atque antiquorum Scriptorum, tum verſu, tum proſa, elegantiam & phraſim melius callere, quam Ultramontanum qui in his addiſcendis multum laboris atque operæ poſuiſſet. Fortè Gregorius Lopez, antequam Chriſtianus eſſet, nullam literis operam dederat, ſed in aliqua ſe vili aut plebeia arte exercuerat. Sanè non apparet quo titulo aut quo jure Obſervator eum tanquam eximium Doctorem & linguæ ac ſcientiarum Sinicarum valde peritum prædicet, quocum ſi reliqui Miſſionarii atque etiam Pater Varo,

qui

ui per 40. annos addiſcendæ linguæ Sinicæ c legendis Sinenſibus libris vacaverat, comarentur, novitii ac tyrones habendi ſint, uo tyronum vocabulo hos ipſos Illuſtriſſimus regorius Lopez in ſua ad S. Congregatioem de propaganda fide epiſtola parum moeſte appellat.

84. Quod vocem *Antiſtitis Sanctiſſimi* attiet, nihil ejus laudi ac meritis ob ſuſceptos bores in obeundo Miſſionarii ac Vicarii Aoſtolici munere detractum velim. Non duito tamen quin parcius eum laudaſſent Scritores Societatis ſi cum Jeſuitis amicitiam non oluiſſet, neque eorum ſententiam in præſen- quæſtione amplexus fuiſſet.

85. Quod Manilam profectus, ut Epiſcopus rdinaretur, malè ibi habitus ſit à Superioris Dominicanis, res eſt facti, de qua nihil ſeverandum putem, niſi prius defendendi ſe ominicanis locus detur. Hoc unum dicam, rovinciam Dominicanorum dictam Sancti Rorii in Philippinis, tanta pietatis ac obſerntiæ laude florere, ut vix alia ei in toto rdine æquiparanda ſit. Unde vix ac ne vix uidem credendum eſt Religioſos in ea Superores ac Præfectos erga fratrem & religioſum um juſtitiam & charitatem non ſervaſſe. t quidem quod Manilæ degens P. Lopez Jeitis quàm maximè conjunctus eſſet ipſemet ı ſua Epiſtola ad S. Congregationem de proıganda fide, ſatis indicat, dum ait, ſe è onventu Dominicanorum elapſum ad *Didam Calderon de Serrano* Regiæ Audientiæ Malenſis Auditorem confugiſſe, & in ejus ſe do-

domum abdidisse. Quantum enim Auditor ille Jesuitis addictus fuerit, constat ex iis quæ Manilæ acta sunt contra Illustrissimum Dominum Franciscum Palu Episcopum Heliopolitanum, quem vi tempestatis ad illam Civitatem appulsum, cum Siamo in Tunkinum, ad obeundum Vicarii Apostolici munus, solvisset, Regii Ministri diu apud Patres Societatis in custodia detinuerunt; atque etiam contra Illustrissimum Dominum de Pardo ejusdem Civitatis Archiepiscopum, quem ob defensam immunitatem & jurisdictionem Ecclesiasticam, iidem Ministri Regii in exilium ejecerunt. In utraque enim illa tragœdia præcipuus fuit Actor præfatus Auditor, prout patet ex declaratione quam proximus morti edidit, ut vinculo excommunicationis absolutus Ecclesiásticæ communioni restitueretur.

86. * De responsionibus Patris Joannis de Paz ad dubia Missionariorum Tunkini, certum est eas contra Observatorem retorqueri posse. Nam primum tum in dubiis, tum in responsionibus veritatem facti declaratam & stabilitam habemus, hoc est oblationes Confucii & Defunctorum, quod ad Sinas Ethnicos spectat, vera esse sacrificia, in templo proprie dicto peragi &c. deinde ejus responsiones huc redeunt, ut in ejusmodi oblationibus quæ mere sunt civilia & politica Christianis permittantur, vetentur quæ sunt superstitiosa & idololatrica; de quo nulla controversia. At Reverendiss. D. Maigrot aliique Vicarii Apo-

* *Ibid. §. secundus sit.*

Apostolici & Missionarii adversus Patres Societatis contendunt, fieri moraliter non posse, ut in ejusmodi ceremoniis politicum à superstitioso separetur, atque adeo, stabilita veritate facti, prout habetur in dubiis & responsionibus prædictis; omnino rejiciendas esse ejusmodi oblationes juxta decretum anni 1645. quo absolutè damnantur.

ARTICULUS VIII.

De aliis Missionariis Dominicanis qui à Jesuitis in hac causa producuntur.

87. * Alii Missionarii ex Ordine Prædicatorum quos à Patre Tellier & ab Observatore dixi non rectè produci, sunt P. Joannes Garcias, Pater Timotheus à Sancto Antonino, Pater Coronado, & Pater Petrus de Alcala.

88. Non debuisset dissimulare Observator tamdiu ad locos ex his Patribus allatos responsum esse in confutatione Defensionis Tellerianæ Novorum Christianorum, nec denuo producendi erant ab eo iidem loci, nisi prius responsiones illas refellisset: At sensit firmiores ac solidiores esse, quam ut refelli possint: unde expeditius ei visum est de eis tacere, & locos illos tanquam integros, nullaque responsione debilitatos iterum producere: Ita-

* *Ibidem* §. *Tertius sit & seqq.*

Itaque quam malè pro ſententia Jeſuitarum citentur, breviter oſtendam.

89. Locus ex Epiſtola Patris Garciæ ad Patrem Julium Alenum Jeſuitam ſcripta nullo modo ad quæſtionem de cultibus Sinenſibus, ſed ad aliam plane diverſam ſpectat. Siquidem obſervandum Miſſionarios Dominicanos non circa ſolos cultus Sinenſes alioſve caſus conſcientiæ, ſed etiam in modo agendi, veſtiendi, prodeundi in publicum, & quibuſdam aliis à Jeſuitis diſſenſiſſe. Nam Miſſionariis Jeſuitis viſum eſt è re religionis eſſe, in publicum non prodire, niſi prout viros nobiles ac primarios decet, ſericis veſtibus indutos, ſella geſtatoria vectos, Sinenſium ſe moribus accommodantes. At contra Dominicani pedibus incedere, telis indui, cæteriſque in rebus pauperem vitam agere inſtituerunt: Si quid in noſtram Sanctam Religionem effutiretur, aperte contradicebant; ſi eidem Religioni injurioſa programmata affigerentur, palam ea confutabant, vel etiam è locis ubi affixa erant, avellebant: Si quis Ethnicus, etiam è Mandarinis, libros contra Evangelii prædicationem ederet, eum adibant ac reprehendebant & ad publicam diſceptationem provocabant. Hac agendi ratione in varias aliquando difficultates inciderunt, nec ſemper eorum zelus felicem exitum habuit. Hæc ſunt de quibus Pater Garcias cum aliis Miſſionariis Dominicanis in exilium actus & in magnis anguſtiis conſtitutus, ad Patrem Julium Alenum Jeſuitam, ut ejus opem & auxilium apud Mandarinos imploraret; ſcribit die 16. Novem-

embris 1639. his verbis è Gallico Patris Teller Latinè redditis : *Hæc mea mens est quod d multos adhuc annos non aliam methodum prædicandi Evangelium apud Sinas sequi oporteat præter eam quam Patres Societatis adhibent, & actenus adhibuerunt : idque scripsi superioribus neis, cum experientia nostrorum Missionariorum, ui exilio pulsi sunt, satis docuerit eorum agendi ationem Deo non placuisse, tametsi eam bono zelo nierant.* Sic enim Latinè reddenda sunt verba atris Garciæ quæ Gallico tantum sermone abemus apud P. Tellier, & non ut illa reddit Observator redacta in compendium, paum fideli & captiosa translatione hoc modo: *ignificat Pater Garcias hanc esse suam mentem, uod ad conversionem Sinarum hanc praxim sequi ecesse sit quam adhibuêre Patres Societatis, suaue experientia edoctum se ita sentire.* . . . .

90. Quo in loco clarum est iis quæ præcedunt apud Observatorem, eum hæc verba, *anc praxim*, de cultibus Confucii & Progeniorum velle intelligi, cum in Epistola Garciæ, rout refertur à Patre Tellier, solum habeaur, *non aliam methodum prædicandi Evangeium*, quæ verba aliud omnino significant. Idue adhuc clarius patet, si consulantur ea quæ ontinuo Garcias addit his omnino verbis: *Reverendus admodum Pater Provincialis* (Clenens Gant) *scripsit ad me, non expedire ut religiosi nostri Ordinis in hoc Sinæ regnum veniant, lonec Summus Pontifex capita de quibus à vobis lissentimus definierit:* quibus verbis certum est ignificari controversiam de cultu Progenitoum & Confucii; de hac enim, cum ita scriberet

D beret

beret Garcias, Pater Joannes Baptista Morales Sedem Apostolicam consulturus ad Romanum se iter accingebat: quod etiam plane confirmatur ex epistola quam idem Pater Clemens Gant Dominicanorum in Philippinis Provincialis, de hac cultuum Sinensium controversia paulo ante scripserat die videlicet 5. Martii 1639. ad P. Mannuellem Diaz Visitatorem Missionariorum Societatis in Sina, quæ refertur in Confutatione Tellerianæ Defensionis tom. 6. pag. 112. Itaque hæc Garciæ epistola, non solum non probat eum de cultibus Confucii ac defunctorum cum Jesuitis consensisse, sed potius contrarium omnino ex illa conficitur.

91. Quæ ex quadam epistola Patris Timothei à Sancto Antonino 1660. ad Patrem Brancatum Jesuitam scripta citantur, eodem modo, ac prædicta epistola Garciæ, explicanda sunt. Constat enim certissimis documentis Patrem Timotheum semper in sententia Missionariorum sui Ordinis de rejiciendis Confucii & Progenitorum cultibus tanquam superstitiosis & idololatricis perstitisse. Id patet ex scripto Latino ab octo præclaris Dominicanis Missionariis in Sina confecto, & ab iis die 30. Maii 1661. signato, quos inter erat Pater Joannes Baptista Morales Præfectus eorumdem Missionariorum, & Pater Timotheus à Sancto Antonino. Inscriptio est ad S. Congregationem de propaganda fide à qua suppliciter postulant, ut superstitiosis atque idololatricis cultibus Confucii & Defunctorum, quibus Sinæ Christiani contaminaban-

ıbantur, remedium adhibeat. Refertur in onfutatione Tellerianæ Defenſionis Tom. 6. ıg. 309. Paulo antequam hoc ſcriptum componeretur, plures ex iisdem Miſſionariis in rbe Lanky Provinciæ Chekiang convenemt de rebus ad Miſſionem pertinentibus deberaturi: in eo conventu inter alia ſtatutum ſt, ut Catechumeni ad baptiſmum parati de :linquendis cultibus Confucii ac Progenitoım monerentur. Hæc conſultatio ſubſcripta ſt à Patre Franciſco Varo Viceprovinciali & quinque aliis Miſſionariis Dominicanis; uorum unus eſt Pater Timotheus à Sancto ıntonino; refertur autem in epiſtola quam eleberrimus Epiſcopus & Vicarius Apoſtolius ad me tunc in Sina degentem dedit 14. Novemb. 1693. & quam ſi opus fuerit, S. Congregationi exhibebo.

92. Poſt Patrem Timotheum ſequitur Pater Dominicus Coronado cujus verba Obſervator profert ex epiſtola ab eo, ut dicit, ſcripta ınno 1661. ad Patrem Brancatum Jeſuitam. Officioſa ſunt verba, nec ullo modo probant pium illum ac zeloſum Miſſionarium de permittendis Confucii ac Progenitorum cultibus, Jeſuitis aſſenſum fuiſſe. Contrarium plane conſtat ex ſcripto Latino, de quo ſupra ab octo magni nominis Miſſionariis Dominicanis ſubſcripto, quorum ſeptimus eſt Pater Dominicus Coronado.

93. Ultimo loco Obſervator, Patrem Petrum de Alcala adducit, citans ejus epiſtolam ſcriptam ad Patrem Intorcettam Miſſionarium Jeſuitam. Eam prius citaverat Pater

Tellier in sua Defensione novorum Christianorum pag. 221. primæ edit. de eo loquens tanquam jam vita functo; ut verba ejus Gallica expendenti liquet. Unde istius epistolæ verba liberius prout libuit interpretatus est, pro certo habens minime futurum ut falsi ab ipso Auctore convinceretur. At, quod illi atque Observatori male accidit, Pater Alcala in Sina salvus & incolumis vivit, & nuper à SS. Domino Nostro electus est Vicarius Apostolicus Provinciæ *Chekiang*. Is autem ubi rescivit, quam male verba sua in alienum sensum detorquerentur in Telleriana Defensione Novorum Christianorum, ad Patrem Salvatorem à Sancto Thoma suum Superiorem Hispanicè scripsit epistolam quam hic Latinè redditam referemus, tum ut pateat quid ipse, cæterique Missionarii Dominicani reipsa de cultibus Sinensibus sentiant, tum ut hoc exemplo manifestum fiat quam parum fidei habendum sit literis aut scripturis hominum vita functorum, quas Jesuitæ tanquam sibi faventes producunt, cum eis alienum sæpe sensum affingant.

EPI-

EPISTOLA

everendi admodum Patris Petri de Alcala
Ordinis Prædicatorum, Missionarii nuper electi in Vicarium Apostolicum Provinciæ Chekiangensis.

AD

everendissimum Pat. Salvatorem à Sancto Thoma Viceprovincialem ejusdem Ordinis.

PATER MI VICARIE.

94. Tametsi binas alias literas dedi, has tias addo, tum quia vereor ut priores illæ dditæ fuerint, tum quia non parum interest Vestra Reverentia certior fiat de iis, quæ iterum scribo circa epistolam à me datam . 1680. ad Patrem Prosperum Intorcettam cietatis Jesu Missionarium, quo videlicet ısu, quove consilio, illam scripserim, non que, quemadmodum typis audio vulgatum e Parisiis, ut significarem me detestari sentiam quam Ordo noster circa cultus Sinenm erga Progenitores suos defunctos, hanus tenuit, & Innocentio X. summo Ponici olim proposuit.

95. Ineunte anno 1680. ut probe nosti, pris libri ab Illustrissimo Navarretta typis e-

diti nuntius ad hoc regnum eſt allatus ; calumniis contumeliiſque, quibus per hunc librum lacerari dicebatur Societas, vehementer commotus P. Intorcetta, duos viciniores Dominicanos, me videlicet & Patrem Dominicum à Sancto Petro reſpiciens, epiſtolam ad nos ſtomachi & querelarum plenam ſcripſit, animoſque noſtros querulis illis vocibus, quas illi tum amor noſtri, tum præſens animi ægritudo dictaverat, dolore & acerbitate perfudit. Dicebat, ſi bene memini ; Ergo beneficiorum, quæ in hoc Regno à Societate accepit (Pater Navarretta) mercedem à Deo impoſterum expectandam ; charitatem ab eo non parum violari, diſſeminatis per totum orbem fabulis ac rumoribus falſis & ineptis, quibus aiebat librum illum ſcatere : id ſummopere Deo diſplicere ; præſertim cum ea ſolum typis vulgaſſet, quæ Miſſionariis Societatis probro & dedecori eſſent, quæ vero ſciebat laudi & honori fore, ea omnino præteriiſſet.

96. Hæc fuit ſumma Literarum Patris Intorcettæ, ad quas tunc hortatu Patris Dominici, prout tempus præſenſque rerum ſtatus ferebat, reſpondi, ſignificans me dolore ejus non parum angi, eique de non offendenda charitate plane aſſentiri, tantumque à contraria ſententia abhorrere, ut, ſi fieri poſſet, eam proprio ſanguine delerem : voluntatum animorumque conſenſionem à Deo poſtulabam, quo ejuſmodi diſcordiæ vitarentur, neque operam ſtudiumque noſtrum in evulgandis rumoribus fabuloſis & ineptis collocaremus,

ius, (si tale quid fecisset in suo libro Pater [N]avarretta). Quod vero dicebatur quæ ho[n]orifica erant Societati tacuisse, & quæ illi [d]edecori erant publicasse, aiebam magnos [S]ocietatis in hac Missione labores, erectas [c]omplures Ecclesias, & per tot annos in co[le]nda hac Domini vinea perseverentiam, mi[h]i quidem videri res adeo manifestas, ut [m]inime opus esset eas chartæ mandari.

97. Hæc fuit summa epistolæ: si quid præ[te]rea, cum typis vulgata est, additum sit, [n]unquam alienum repudio. Certe cum mihi [i]n ea epistola propositum fuerit, violatam, [p]rout mihi significarat P. Intorcetta, charita[t]em resarcire; velim apud te recogites quam [c]haritati æque ac veritati contrarium sit pro[o]emium eidem epistolæ typis editæ adjun[c]tum, quo verba mea ad Sinicas controver[s]ias, de quibus tum nequidem per somnium, [(]testis est Deus), cogitavi, alieno prorsus sen[s]u detorquentur. *Cum accepisset*, (inquit [il]le me scriptor Procemii) *unum ex consociis in [q]uodam libro aliquid priorum controversiarum re[n]ovare; hoc modo super ea re scripsit ad unum [e]x Societate qui vocatur Pater Intorcetta.* Sa[n]e vix unquam crederem tam sophisticam [c]himeram, nisi tanta mihi evidentia de ea [r]e constaret. Rem tuæ Reverentiæ judicio [p]onderandam relinquo.

98. Ut autem adhuc magis pateat, quam [f]alsò hæc mihi adscribantur, velim recor[d]eris, cum anno 1681. in hanc Provinciam [v]enisti, apud te conquestum esse Licentiatum [n]omine Casimirum, nolle me eum ad Sacra-

mentum pœnitentiæ admittere, quod esset cæterorum Christianorum in his controversiis, & Majorum cultibus Coriphæus. Et vero cum exeunte anno 1679. recens in Missionem ingressus, de facti veritate, quomodo videlicet se in ejusmodi Defunctorum oblationibus gererent, quæsiissem, multa deprehendi & cognovi, quæ plurimum mihi in animo scrupuli & anxietatis pepererunt; illa tunc communicavi cum P. Fratre Dominico à Sancto Petro, qui de horum veritate certior factus, ita incertus & animi pendens remansit, ut, quo magis tutè incederet, aliam se viam initurum dixerit; eoque tempore scriptam ab eo epistolam ad Pat. Intorcettam vidi, in qua aiebat varia ob incommoda difficile sibi videri Christianis permittere ut in ædes Sacras Progenitorum defunctorum ad celebrandas oblationes unà cum infidelibus convenirent; quod si Apostolica Sedes id prohiberet, & Prælati Ordinis ut hanc sententiam sequeretur, juberent, se haud dubie imposterum id præstiturum.

99. Sic scribebat Pater ille in Missione antiquus, quique has materias examinarat; & cuipiam verisimile erit, me tunc in Missione novitium, eam opinionem, quæ dicto Patri certa & vera videbatur, detestaturum fuisse, una ex parte illam in praxim deducendo, prout mense Maio anni 1681. vidit Vestra Reverentia, ex altera verò parte illam scripta anno præcedente epistola detestando? Quam parum hæc sibi in re tanti momenti cohæreant, omnes vident. Res falsas & ineptas,

quæ

uæ dicebantur esse in prædicto libro, dete-
:abar; at id alio detorquere & ad rem
mnino diversam accommodare, ineptum
lane & absurdum.

100. Quantum ad alios Patres, quorum li-
eras una cum mea epistola citari audio, cum
ım vitâ functi sint, pro se respondere non
alent, quod certus sum eos, melius quam
ossim ego, fuisse facturos. Sic quæso Ve-
tra Reverentia ratiocinetur: si præfatus Pa-
er Fr. Dominicus, qui passim pro senten-
ia Societatis citatur, in ea tam parum
irmus fuit, ut sæpius experientia probavi &
upra jam retuli, (testis est Deus); quæ fi-
les adhibenda literis illis Patrum vitâ fun-
torum, quandoquidem certum est eos
emper in sua sententia perstitisse, quod etiam
n aliquibus manuscriptis testatum ac bene
xplicatum reliquerunt? Certe ad detrahen-
lam illis omnem fidem, sufficit advertere
juam violenta & sinistra interpretatione in
lienum sensum detorta est mea epistola, ut
ypis vulgari posset.

101. Potest quidem fieri ut ex citatis illis
Patribus Dominicanis unus aliquis, quantum
ıd praxim, sententiæ Patrum Societatis se se
ıccommodarit, prout tempus & præsens re-
um status postulabat, præsertim inter Neo-
ohytos & Christianos, ubi ea praxis jam in-
valuerat, cum primum ad eos accesserunt
ıostri Ordinis Missionarii, ita ut qui con-
rarium eis proposuisset, merito plus timere
lebuisset, ne eorum conscientias perturbaret,
juam futurum sperare, ut eos ad nostram

doctrinam ac disciplinam adduceret. Attamen non idcirco verisimile sit, prædictos Patres scriptis epistolis, propriam sententiam detestatos fuisse, à qua si aliquantulum recessère, id valde inviti, & quod aliquid plus obtinendi nulla spes esset, fecisse dicendi sunt.

102. Jam vero non ignorat Vestra Reverentia Reverendissimos Vicarios Apostolicos, cum primum in hoc regnum advenissent, & quam hæc spina Ministrorum animos pungeret, didicissent, mandasse ut interim tolerarent, donec conventus fieret, in quo hæc disceptarentur. Postea vero de veritate facti circa ejusmodi cultus, & cæteris omnibus circumstantiis per se edocti controversiam finierunt, nullumque nobis dubitandi locum de duplici expositione Dominicanorum & Jesuitarum reliquerunt, an videlicet illa exaggerando verum, an vero hæc minuendo peccarit.

103. Denique, Pater mi Vicarie, nolo à proposito longius declinare, contentus ea quæ scripsi, quove consilio & quo fine omni cum sinceritate & veritate declarare, ut de his Vestra Reverentia certior fiat. Aliam dicunt meo nomine typis editam esse epistolam datam anno 1628. in Oppido *Chivenchu*. Toto illo anno & proxime sequenti fui cum Reverentia Vestra in hac Provincia *Chekiangensi*, & in Oppido Lanky, unde non exivi, neque iter habui ad urbem Chivenchu in Provincia Fokiensi, quæ hinc distat plusquam ducentis leucis; quapropter de hoc nihil amplius dicere opus est; sed à Deo orandum ut nos pa-

patientia corroboret, & Reverentiam Vestram, ut exopto, servet incolumem. Subditus Reverentiæ Vestræ Frater Petrus de Alcala; Datum Lankydie 24. Decemb. 1691.

104. Observator, quæso, hanc epistolam attente legat, & postea decernat, an citato Patre Alcala, aliisque ex Ordine Prædicatorum adhuc dicere audeat; * Quid ad ista & quid ad istos Reverendus Dominus Maigrot & Dominus Charmot?

105. Responsionem non meretur quod ait de tribus Provincialibus ejusdem Ordinis nempe de Reverendo Patre Carolo Clemente Gant, Francisco de Paula, & Philippo Pardo, eos videlicet sæpiùs suis commendasse, ut se Societatis praxi conformarent, juxta Decretum Alexandri VII. Id enim non alio testimonio nititur quam Patris Sarpetri, in tractatu jam sæpe citato de ritibus Sinensium, cujus quam levis sit auctoritas, jam supra ostendimus. De Patre Clemente Gant constat ex supra dictis, eum circa cultus Sinenses nullatenus Jesuitis assensum fuisse, idemque omnino existimandum de duobus aliis Provincialibus, Francisco de Paula & Philippo Pardo. Quapropter si suis in Sina Missionariis mandarunt, ut se praxi Societatis conformarent, id intelligendum est de vestitu & modo agendi cum Sinensibus in rebus indifferentibus, & non ita magni momenti, nullatenus vero de cultu Confucii & Progenitorum.

106.

* 2. *Part. Obs.* 4. *in* 4. *Cap. Mand.* §. Idem cum.

106. Quantum autem Missionarii Dominicani ab approbandis ejusmodi cultibus abhorreant, adhuc liquet ex instrumento duorum ejusdem Ordinis Missionariorum, facto die 16. Decemb. anni 1691. quod hîc proponendum Lectoribus putavi; tum ut quæ hactenus pro Missionariis ex Ordine Prædicatorum vitâ functis dicta sunt, confirmentur; tum ut pateat quantum adhuc, qui in eadem Missione operantur, alieni sint à sequenda opinione & praxi Jesuitarum.

Instrumentum Declarationis factæ à RRdis. Patribus Emmanuele Trigueros & Magino Ventallol antiquis in Provincia Fokiensi Missionariis Ordinis Prædicatorum.

107. Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo die 16. Decemb. Reverendi admodum Patres Emmanuel Trigueros & Maginus Ventallol Ordinis Prædicatorum, antiqui in Provincia Fokiensi Missionarii præsentibus Reverendis admodum Dominis Artho de Lionne & Philiberto le Blanc Missionariis Apostolicis, tam suo quam cæterorum ejusdem Ordinis nomine, convenerunt Reverendissimum Dominum Carolum Maigrot Vicarium Apostolicum Fokiensem, eique obtulerunt librum à Reverendo Patre Le Tellier Societatis pro defensione Missionariorum & Christianorum harum Missionum scriptum, in quo habetur ejusdem Ordinis Prædicatorum Missionarios, qui primum in Sinicam Missionem in-

greſſi ſunt, nondum perſpectam habentes
titiam ceremoniarum tum religioſarum, tum
vilium quæ inter Sinas ſunt in uſu, ut ido-
latricum improbaſſe cultum Confucio &
ogenitoribus exhiberi ſólitum; quem Pa-
es Jeſuitæ Chriſtianis permiſerant: poſtea
ro ejuſdem Ordinis Miſſionarios rebus ma-
rius perpenſis mutaſſe ſententiam; & præci-
ıos ſaltem eorum qui poſtea venerunt, in
ocietatis ſententiam veniſſe, ad cujus rei pro-
ıtionem adducit teſtimonia plurimorum e-
ſdem Ordinis Miſſionariorum, nominatim
everendi Patris Joannis Baptiſtæ Moralis,
oannis Garciæ, Dominici Navarrettæ & a-
orum vitâ functorum, nec non Reverendi
lmodum Patris Petri de Alcala, etiam nunc
perſtitis. Aſſerunt autem præfati RRdi.
atres Emmanuel Trigueros & Maginus Ven-
llol falſum eſſe & ſcriptum in Miſſionis ſuæ
Chriſtianæ religionis præjudicium, Miſ-
onarios Ordinis ſui qui primum Confucii &
rogenitorum cultum improbarunt; ſenten-
am mutaſſe, eoſque qui poſtea venerunt in
ocietatis ſententiam veniſſe, in cujus rei te-
imonium exhibuerunt tanquam autentica do-
ımenta ea quæ ſequuntur.

108. Primo ſcriptum quoddam Reverendi
atris Joannis Baptiſtæ Moralis; & ut aſſe-
ınt propria ipſius manu Hiſpanica lingua
riptum, in quo etiam poſt Decretum anni
656. ſuper his controverſiis editum, declarat
probat ſe in conſcientia non poſſe ſe con-
ormare praxi Patrum Societatis.

109. Secundo tractatum à tribus Ordinis
Præ-

Prædicatorum Missionariis Fratre Raymundo del Valle, Fratre Joanne Garcia, Fratre Francisco Varo, anno 1665. editum, & ab iisdem propria manu subscriptum, in quo à capite ad calcem Opinio Patrum Societatis circa cultum Confucii & Progenitorum impugnatur ut illicita.

110. Tertiò, Responsionem quandam adversus Reverendum Patrem Franciscum Brancati à Reverendissimo P. Fr. Francisco Varo Episcopo designato editam, ejus manu Reverendissimo Domino Vicario Apostolico & Reverendo admodum Domino Philiberto le Blanc probe nota, integre exaratam & subscriptam, in qua Reverendissimus Pater Fr. Franciscus Varo inter alia ita loquitur:
„ Podre jurar que hasta agora no ha permi-
„ tido Religioso alguno nuestro las offertas
„ à los difuntos infieles, ny a el Confucio,
„ ni la veneracion de las tablillas, sino solo
„ el Padre Fr. Domingo de San Pedro, y
„ aun este aunque en la especulativa lo defen-
„ de, no me attrevere a affirmarlo aya per-
„ mittido en la prattica.

111. Quartò Epistolam Reverendi Patris Petri de Alcala in civitate Lanky 30. Octob. 1691. inscriptam Reverendo admodum Patri Fr. Salvatori à Sancto Thoma Ordinis sui in China Vicario Provinciali, in qua etiam
„ hæc leguntur: y por quanto los otros Padres
„ cuyas cartias dizen se citan con la mia estan
„ ja en la otra vida, no pueden satisfazer,
„ que a buen seguro lo hirzieran de mejor
„ letra, y mas adequadamente que yo: haga
Vestra

Vestra Reverentia este argumento, si dicho P. Fr. Domingo San Pedro, que sempre fue citado por la opinion de la Compagnia, estava en ella tan poco firme como experimente vezes, y tengo referido, (scit Deus quod non mentior) como es possible que los otros Padros ja difuntos que siempre se mostraron constantes por su opinion, y en algunos manuscriptos que dexaron se explicaron bien, escrivieran cartas tan de contrario sentir. Quien llegare a entender la violencia que a la mia se ha hecho, bien me persuado no ha menester mas argumentos.

112. Insuper iidem duo Reverendi Patres n suo quam aliorum ex suo Ordine qui in na nunc versantur nomine, testantur se oms in hac esse & semper fuisse sententia, licet cultum à Sinis Confucio & Progenitoous exhiberi solitum, esse superstitiosum. uæ omnia testimonia tanquam veridica & le digna præfatus Reverendissimus Domiıs Vicarius Apostolicus recognovit & declavit in præsentia præfatorum testium qui & æsenti actui subscripserunt. Datum Focheu ı die 16. Decemb. ann. 1691.

Carolus Maigrot Vicarius Apostolicus Fokiensis.

'rater Emmanuel Trigueros Ord. Præd. Miss.
'rater Maginus Ventallol Ord. Præd. Miss.
Arthus de Lionne Presbiter Miss. Apostolicus.
'hilibertus le Blanc Presbiter Miss. Apostolicus.

Præ-

Præsens hoc transcriptum plane concordat cum actu autentico quem recepi & scriptis mandavi die & loco quibus supra.

Joannes Basset Not. Apostolicus.

113. Porro notari velim * Observatorem dicere, quod Pater *Le Comte* Missionarius è Societate, qui nuper è Sina redux de rebus Sinensibus commentarios Gallico sermone edidit, scripserit non fuisse in tota Sina, nisi quatuor è Prædicatorum Ordine Missionarios, cum inde profectus est, ut in Europam rediret. Atqui ego in Urbem Focheu mense Novembri anni 1691. adveni, in qua reperi Patrem Le Comte, qui mense Decemb. proximè sequenti inde profectus est, ut ex portu *Emoy* in Europam solveret; eo autem tempore sex erant in Sina Missionarii Dominicani: Cum autem mense Januario anni 1694. inde profectus essem, paulo post literis è Sina scriptis, didici tres alios ex eodem Ordine Missionarios illuc advenisse, & aliquot alios adhuc expectari.

* 2. *Part. Obs. in* 3. *Cap. Mand.* §. Respondeo unanimem *cum adjuncta nota in margine.*

AR-

ARTICULUS IX.

e duabus Literis falsis ab Observatore allatis de Illustrissimo Navarretta ejusque Libris, & quam male apud Observatorem vapulet.

114. Minime reprehendendus videretur bservator, quod multa è Defensione novom Christianorum Patris Tellier mutuatus , ea solum exscribens & è Gallico in Latiim sermonem vertens; modo id cum deleu & judicio faceret. At Tellerianas rationationes; tam solide tamque invicte ab ejus lversario confutatas denuo afferre; & ex ›dem libro scripta aliquot tanquam legitima . autentica Eminentissimis Patribus propo:re; quorum falsitas & suppositio tot tantisae argumentis demonstrata est, ut ab octo rciter annis nihil opponendum habuerit Par Tellier; id demum est quod nemo ei ›ndonarit; & tanquam debitæ Eminentissiis Patribus reverentiæ contrarium non re›uerit. Singulis fere paginis occurrunt ejusıodi Tellerianæ ratiocinationes jam confutaε & obtritæ: inter alia autem scripta, vel ubiæ fidei, vel omnino falsa ab eodem Teler citata, duas producit epistolas evidenter ılsas & suppositas, quod hic paucis explicanum est.

115. * Narrat post Patrem Tellier duos Philippinarum Antistites, Archiepiscopum Manilensem & Episcopum Zebutensem anno 1636. male informatos scripsisse ad Urbanum VIII. SS. Pontificem contra superstitiosos & idololatricos cultus tanquam à Missionariis Societatis in Sina toleratos & permissos; verum re postea diligentius expensa, anno sequenti ad eundem Pontificem literas dedisse, quibus nimis properam accusationem à se factam revocabant.

116. Exscribenda essent quæ fuse de hoc argumento habentur in Confutatione Tellerianæ Defensionis, si probandum hîc sumerem epistolam illis prædictis duobus Episcopis suppositam fuisse; quocumque id loco, & quacumque ratione factum fuerit: sed longior esset à proposito digressio. Consulant, qui voluerint, Confutationem Tellerianæ Defensionis Tom. 3. Cap. 22. à pag. 411. usque ad pag. 427. ubi ea de re accuratè agitur, & suppositio epistolæ evidentissimis rationibus demonstratur. Eodem fere modo iisdemque argumentis epistolam illam oppugnat celebris ille Missionarius nunc Episcopus & Vicarius Apostolicus, de quo supra in literis ad me scriptis anno 1693. cum in ejus manus Liber Patris Tellier devenisset, neque adhuc à quoquam refutatum audiisset.

117. Altera Epistola, quam Observator post P. Tellier producit, tribuitur Illustrissimo

* 2. *Part. Obs.* 1. *in* 3. *Cap. Mand.* §. In harum.

) Navarettæ †· & scripta dicitur die 29. ptembris 1669. ad Patrem Antonium Govea Societate tunc Missionarium ac postea Vice-ovincialem, cum adhuc simul degerent re-gati in Urbe Cantoniensi, unà cum aliis issionariis tam Societatis quam Dominicanis Franciscanis. Eam esse falsam ac supposi-n Auctor Confutationis Libri Telleriani n certis & tam claris argumentis probat m. 3. cap. 20. & 21. à pag. 364. ad pag. o. ut nemo amplius ea de re dubitare pos-. Certè quantumvis interesset Patris Tel-r epistolam illam vindicare, id tentare per t annos ausus non est; deinde in 2. tomo i operis, ubi plura documenta de rebus in iori tomo tractatis congessit, nihil ad eam istolam pertinens producit; neque saltem gnificat ubinam prototypon ejus habeatur. ane quo in loco servaretur ignorare non de-uit; quandoquidem necesse est ut illud vi-erit, aut saltem Apographum ab aliquo ac-eperit. Cur igitur postquam de ea epistola s mota est, istud prototypon non protulit; ad S. Congregationem de propaganda fide on misit; ut cum aliis Navarrettæ literis pro-ria ejus manu scriptis, quæ in ejus Archivio servantur, conferri posset? Certe hoc facto pus erat, ne publice falsi convictus habere-ur. At contra, his omnibus omissis, Obser-ator eandem hanc epistolam coram Apostoli-ca

† 2. *Part. Obs.* 1. *in* 3. *Cap. Mand.* §. Non am veremur. *Obs.* 11. *in* 4. *Cap. Mand.* §. In Epistola.

ca ſede producit, & quidem, quod notari velim, ut probet Illuſtriſſimum Navarrettam loqui pugnantia, quia, inquit, in hac epiſtola fatetur Jeſuitas Neophytis ſuis duas ſolemnes Confucii oblationes non permittere; & in 6. tractatu ſuo typis edito tom. 2. pag. 354. contrarium aſſerit. Atqui hoc ipſo argui poteſt non Illuſtriſſimum Navarrettam pugnantia locutum fuiſſe, ſed falſam ac ſuppoſitam eſſe illam epiſtolam, maxime ſi obſerves tractatum illum ſextum à Navarretta Cantone compoſitum Confutationem eſſe ſcripti quo Pater Faber Jeſuita Decretum Conventus Cantonienſis de cultibus Confucii & Defunctorum defendebat. Eo enim ipſo tempore epiſtolam de qua agitur ad Patrem Goveam ſcribere debuiſſet Navarretta, ut ex die ejus patet; atque ita ſibi non cohærentia, ſed potius omnino contraria dixiſſet, quod ab ejus gravitate & pietate prorſus alienum. Atque hæc de duabus epiſtolis ſufficiant.

118. Valde improbat * Obſervator duos Operum Navarrettæ tomos à Reverendiſſimo D. Maigrot & à me citari; noſque quod huic aliquam auctoritatem concedamus in iſtis quæſtionibus, pluſquam Neotericos appellat: ipſum Navarrettam traducit tanquam hominem exiguæ admodum doctrinæ, in dictis inconſtantem, modo hoc, modo illud, nullo veri reſpectu effutientem, qui iiſdem paginis ſibi ipſi non conſtet, in quo nihil fuerit non ſolum fidei, ſed ne ejus quidem quo mentientes

* *Ibid.* §. Hæc ille.
Item Obſ. 11. *in* 4. *Cap. Mand.* §. Hæc omnia.

maxime indigent, hoc eſt memoriæ, qui
·um delicatum habuerit conſcientiæ ſen-
n, quoties fingere ei libuit, ut convitia in
uitas jaceret. Addit jamdiu Jeſuitas pa-
am habere Confutationem operum Navar-
:tæ, ſolo pacis & concordiæ ſtudio hacte-
s ſuppreſſam, quam brevi Societas cogetur
ere: atque hac declaratione facta, ante-
am opus illud, quod nobis minatur, lu-
n viderit & publico judicio expoſitum fue-
, proprio quaſi jure & privata auctoritate,
æoccupat celeberrimum virum tanquam fal-
·ium & calumniatorem Societatis damnare,
fidem Navarreticam vocare fidem nullam
l vanam.

119. Haud ſcio an aliud ſit exemplum ſi-
ilis audaciæ ac petulantiæ in Virum religio-
m & Præſulem tantæ virtutis ac exiſtima-
onis, quantæ fuit Navarretta, qui longo
mpore Miſſionarius & Miſſionariorum Or-
inis ſui in Sina Præfectus, maxima cum lau-
e his muneribus perfunctus eſt, & in Hi-
ɔaniam redux ad Archiepiſcopatum Urbis
ancti Dominici in Americana Inſula evectus
ıit, ubi uſque ad mortem veri Paſtoris par-
:s explevit. Vix mihi perſuadeo Superiores
)rdinis Prædicatorum hæc ſilentio præter-
ıiſſuros, neque poſtulaturos, ut tam gravis
c publica injuria meritiſſimo ac celeberrimo
lumno ſuo illata, debita caſtigatione emen-
letur.

120. Non eſſet difficile quæcumque Ob-
ervator contra libros Navarrettæ affert di-
uere ac refutare, niſi id extra rem videretur

 &

& nimis longam orationem poſtularet. Sufficiat obſervare pleraſque illas verborum contradictiones quas objicit non alio niti fundamento, quam verbis ambiguis quibus ipſe utitur, variis argutiis, falſiſque explicationibus locorum Navarrettæ, ac denique ſubdititia illa ad Patrem Goveam epiſtola, de qua modo dictum eſt. Novæ non ſunt ejuſmodi objectiones in ſcripta & libros Societati minus commodos. Norunt omnes eiſdem his artibus oppugnatas à Patre Tellier epiſtolas Beati Ludovici Soteli, & Reverendiſſimi Joannis Palafoxii Epiſcopi Angelopolitani, quaſi contradictionibus & erroribus facti ſcaterent, ut inde concluderet eas eſſe falſas & ab aliquo impoſtore fabricatas. Verum quam debuit pudore ſuffundi, ubi reſcivit prototypum urriuſque epiſtolæ repertum eſſe, & quonam in loco ſervaretur.

121. Poſt vehementem & longam in Libros Navarrettæ declamationem, vult Obſervator, * ut quid de iis ſenſerit Reverendiſſimus Pater Petrus de Alcala in ſua ad Patrem Intorcettam epiſtola, audiamus. Legi poſſunt, inquit, quæ de hominis illius (Navarrettæ) Libris Reverendus Pater Petrus de Alcala Dominicanus ſcribebat anno 1680. Si ita liceret proprio ſanguine, inquiebat, quæ ab illo ſcripta ſunt hæc delerem. Jam ex ipſomet Patre de Alcala didicimus, quo ſenſu hæc accipienda ſint & quam male Obſervator ea in alienum ſenſum detorqueat.

122.

* 2. *Part. Obſ.* 11. *in* 4. *Cap. Mand.* §. Hæc omnia.

122. Quotquot duos Illustrissimi Navarret-
: tomos legerunt, longe aliter, ac Jesuitæ
e iis censuerunt. Non mediocrem in eis e-
iditionem, acre judicium, magnam solidi-
tem, ac præsertim peculiarem quemdam ve-
characterem observarunt. Quod publicum
idicium, cum merito & fama Auctoris con-
inctum, nos secuti (Reverendissimum D.
[aigrot & me intelligo), Libros illos in hac
ontroversia citare non dubitavimus, eosque,
ib Eminentissimorum Patrum beneplacito,
tare pergemus, spretis vanis illis declama-
onibus, quibus Observator frustra auctorita-
m eis detrahere conatur.

ARTICULUS X.

)uibus modis Observator præsentem causam per se claram & facilem nititur obscurare ac difficultatibus implicare.

I.

123. Jam supra docuimus nihil æque Patri-
ius Societatis ex usu esse ad confundendam
tque implicandam hanc causam, quam ut
ontendant quæstionem de permittendis aut
on permittendis apud Sinas Progenitorum &
Confucii cultibus, esse quæstionem facti, de
qua proinde consulendi sint Missionarii &
Scriptores Societatis qui Sinensium linguam
& literas apprime calluerunt, & in ea quæ-
stione examinanda diligentissime versati sunt.

Quantum in hoc hallucinentur aut aliis illudant, antea ostendi, definiendo quid hîc in facto, quid in jure positum sit; factum esse dixi, cum quæritur quid reipsa in cultibus illis peragatur, quo etiam loco & quo ritu celebrentur; qua in re tantum abest ut testimonium Patrum Societatis rejecerim, ut potius in scripto meo cui titulus. *Veritas facti*, eos circa hanc quæstionem solos ferè testes advocarim: jus verò dixi esse, dum quæritur an hujusmodi cultus, de quibus convenit quod hoc vel illo modo fiant, liciti sint Christianis an illiciti, qua de re standum judicio Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ.

II.

124. Hoc loco lubet quamdam * Observatoris ratiocinationem quæ illi mirificè placet, repetere & ad incudem revocare. Contendit perinde se habere apud Sinas cultum Confucii & Defunctorum, ac apud Catholicos in Europa cultum imaginum Jesu Christi Domini Nostri, Virginis Deiparæ, aliorumque Sanctorum. Unde sicut quæstio facti esset, si quæreretur an cultus imaginibus Christi & Sanctorum à Catholicis adhibitus, sit superstitiosus & idololatricus, an vero bonus & licitus; qua in re externus quispiam, v. g. Sina in Europam adveniens facile falleretur, cultum illum judicans superstitiosum & idololatricum, quod maxime rei superficiem atten-

* 2. *Part. Obs.* 1. *in* 4. *Cap. Mand.* §. Rem elucidemus.

ꞏnderet, nec ſatis Eccleſiæ doctrinam calleꞏt; ita, inquit, vera eſt quæſtio facti, dum uæritur an apud Sinas cultus Confucii & Deꞏnctorum ſit civilis & politicus, qua in re faile eſt, ut Europæi, qui mores & doctrinas inenſium non ſatis perceperint, in errorem nducantur.

125. Contendo hanc comparationem cultus Confucii & Defunctorum apud Sinas, cum ultu ſanctarum imaginum apud Catholios, ductamque inde conſequentiam, eſſe meum ſophiſma, quod ſequentibus Obſervatioibus probo.

126. Primo hæc quæſtio, an hic vel ille ultus ſacrarum imaginum in Eccleſia uſitatus, it bonus & legitimus, an verò ſuperſtitioſus & idololatria infectus, eſt ſine dubio quæſtio uris ab Eccleſia dijudicanda ex regula fidei, hoc eſt ex Scripturis Sacris & Traditione, prout revera ab ea dijudicata eſt in Conciliis adverſus Iconoclaſtas octavo ſæculo, & ultino ſæculo in Concilio Tridentino adverſus Calvinianos.

127. Secundo, poſita ſemel regula circa culum Sacrarum imaginum, prout habetur in Decreto Concilii Trid. ſeſſ. 25. facile eſt ilam facto, hoc eſt cultui earumdem imaginum prout à Catholicis uſurpatur, applicare, & ex ea diſtinguere & damnare ſi quid in eo privati per abuſum aut exceſſum peccent. Unde Sina ille quem introducit Obſervator, de hoc etiam nullo negotio judicare poſſet, dummodo dogma Catholicum & regulam Eccleſiaſticam ſatis calleret. Statim enim ſi ex ra-

rationis judicio ac ſine ullo ſtudio aut pravo affectu ageret, hunc ſacrarum imaginum cultum eſſe bonum ac legitimum, illum vero, in quo privati excedunt, malum ac illegitimum pronuntiaret. Hinc eſt etiam quod Sinenſibus Ethnicis Literariæ Sectæ nunquam in mentem venit, cultum imaginum in Chriſtianis idololatriæ damnare, tametſi Sacras imagines in Oratoriis expoſitas religioſo honore coli videant: ſin verò Proteſtantes pergunt adhuc Eccleſiam Catholicam accuſare, & cultum Sacrarum imaginum tanquam idololatricum damnare, id accidit, vel quod omnem cultum imaginum, qualis etiam in Decreto Concilii Tridentini explicatur, damnent, & in hoc ſunt hæretici; vel quod privatorum in colendis imaginibus exceſſus & abuſus ipſi Eccleſiæ tribuant; & in hoc eam calumniantur.

128. Tertio, ſi in præſenti cultuum Sinenſium controverſia de facto concordetur, de jure decidere facillimum erit. Sunt enim ex communi hominum ſenſu certæ regulæ & notiones generales ex quibus cito quivis cultum ſacrum & religioſum à civili & politico diſtinguat. Scilicet hoc maxime argumento probat Obſervator cultus Confucii & Progenitorum eſſe quid civile & politicum, quod iidem ferme cultus erga viventes & mortuos adhibeantur, juxta hanc Sinenſium librorum regulam, quæ ad ipſum Confucium refertur, Progenitoribus mortuis eodem modo ſerviendum eſſe, ac ſi adhuc viverent. At rem ita ſe habere Obſervatori pernego. Nam victimas

mas sortitò eligere, vinum solemniter libare, capræ aut porci caput offerre, itemque pannos sericos & nummos papyraceos, qui deinde comburuntur, pilos ac sanguinem bestiarum terræ infodere; atque singula hæc peragere in ædibus ad hoc dedicatis, & coram mensa in modum Altaris posita; cereis accensis & cum suffitu thuris aliorumque odorum; hæc, inquam, apud Sinas nullo unquam loco, nulla occasione, à Liberis erga Parentes adhuc viventes, à discipulis erga Magistros, à subditis erga Dominos, aut etiam supremos Principes, usurpantur. Consulantur libri de moribus & ceremoniis Sinensibus; nihil ibi tale reperietur, v. g. consulatur Pater Semedo in sua Sinensi Monarchia cap. 12. ubi tractat de humano civilique cultu Sinensium, aut Illustrissimus Lopez in tractatu ab ipsis Jesuitis producto.

129. Quid si addam, præfatos illos Confucii & Progenitorum cultus à Sinis Literariæ Sectæ eodem pene modo adhiberi tum erga idolum Chin hoan, quod tanquam cujusque civitatis spiritum, seu genium tutelarem habent, tum erga alios spiritus quos tanquam cœli, astrorum, terræ, fluminum, præsides venerantur?

130. Denique iidem pene cultus à duabus aliis sectis Magorum videlicet ac Bonziorum seu idololatrarum erga idola sua in *Pagodis*, seu templis usurpantur. Qua igitur ratione fieri potest, ut ceremoniæ quæ populorum omnium quotquot aliquam divinitatem coluere, imo & ipsorummet Sinarum communi

con-

consensu, tanquam sacræ & religiosæ habentur, in civiles ac politicos honores mutentur, statim atque erga Confucium & defunctos Parentes adhibentur?

131. Quod autem spectat ad effatum illud ex classicis & antiquis Sinarum libris repetitum, defunctis Progenitoribus haud secus serviendum esse, quam si adhuc viverent, ex supradictis liquet, id non ita intelligendum, ac si eadem omnino obsequia, iidemque honores vivis ac mortuis convenirent, sed quod eodem affectu, eademque reverentia colendi sint mortui, ac si viventes adessent, eosque liceret coram intueri.

132. Quarto quædam ceremoniæ ex se indifferentes ex circumstantiis esse agnoscuntur vel civiles & politicæ, vel sacræ & religiosæ: v. g. si quis Regem aut Supremos Magistratus flexis genibus alloquatur, si Magnatum aut Superiorum manus osculetur, civilem ac politicum esse cultum omnes statim agnoscunt: at si in Ecclesia coram altari aut sancta quapiam imagine in genua procumbat, vel sacras reliquias, Crucifixi effigiem, aut Sancti alicujus imaginem osculetur, sacrum ac religiosum esse cultum omnes fatentur.

133. Notandum autem actionem aliquam esse posse sacram & religiosam, etsi non sit supremus cultus Deo Opt. Max. debitus; quâ in re videtur adhuc fucum facere Observator, dum sæpè asserit cultum Confucii & Progenitorum non esse superstitiosum & idololatria infectum, nisi Sinæ Confucio & Defunctis Divinitatem tribuant, atque adeo eos tanquam idola

ola colant. Præter cultum latriæ qui soli eo ut omnium Supremo Domino defertur, cer etiam ac religiosus est cultus superioris ac ræstantioris cujuscumque naturæ, in quâ exllentiam aliquam & potestatem ad subveendum nobis agnoscimus, qualis est Duliæ ıltus; qui Angelis ac Sanctis cum Christo gnantibus defertur. Et hic quidem cultus, si longè inferioris ordinis; quàm cultus laiæ, cum per errorem defertur naturis in quiıs nulla est ejusmodi excellentia vel potestas, :cessario fit vanus, superstitiosus & idololaicus. Talis omninò est apud Sinas cultus onfucii & Progenitorum, qui non solum exllentia illa & potestate ad juvandos viventes rent, sed, cum in infidelitate mortui sint, ıâ cum Diabolo æternas in Inferno pœnas stinent, ut fides Christiana docet.

III.

134. Ut quæstionem aliò vertat * Observar, cultus, de quibus hîc agitur, ex prima stitutione, & auctorum mente æstimandos ntendit; idque exemplo Martinii, qui ritus os ex sua prima institutione ad merum culm civilem institutos esse dixit. At id non ctè ac præter jus contendit, ut jam supra ɔtavi. De his cultibus judicium ferri de:t, prout nunc & à multis retro sæculis usurntur; neque opus est attendere ad primam origi-

* *Part. Obs. in* 4. *Cap. Mand.* §. Hæc autem *id.* §. 4. Consulendos §. 9. Quod ipsi *Obs.*). §. Hactenus.

originem, aut qua mente, quove consilio instituti sint, aut à primis Sinensibus adhibiti. Si enim liceat sic ad primam rerum originem respicere; atque illas mentis directione ad aliquid justum & bonum referre, nulla erit fere superstitio aut idololatria quæ hæc ratione defendi non possit. Siquidem cùm ex historiis, tùm ex ipsa Sacra Scriptura Sap. Cap. 14. v. 15. 17. certum est idololatriam initium sumpsisse ab acerbo luctu Patrum ob filios præmatura morte sibi ereptos, vel etiam à reverentia subditorum erga Reges; quos cum longè abessent, allatis eorum imaginibus, honorare studebant. Filios diligere, Reges honorare, per se bonum & honestum; ex hoc tamen homines in maximum omnium malorum, nempe idololatriam, prolapsi sunt.

135. Serpens æneus, optimo consilio, Deo jubente à Moyse in Deserto erectus est; successu tamen temporis Israëlitis occasionem idololatriæ præbuit, unde ab Ezechia confractus est 4. Reg. 18. v. 4. valde etiam verisimile est Sectam Pharisæorum apud Judæos initio & ex sua institutione bonam fuisse; unde adhuc actuum 16. v. 5. certissima Judaicæ Religionis Secta appellatur. At cum à primæva pietate deficiens, variis corruptelis ac falsis Traditionibus depravata esset, Christus sui temporis Pharisæos acriter redarguit.

136. Ut autem statuatur quid censendum sit de cultibus Progenitorum & Confucii, prout à multo jam tempore se habent, hîc referendum est quod habet Illustrissimus Lopez Vicarius Apostolicus & Episcopus Basilitanus in conclusione

ıe tractatus de cultibus Sinensibus jam supra dati. Ibi tria hominum genera, quantum ejusmodi cultus spectat, distinguit. *Prim est*, inquit, ***Literatorum eminentium***: Seıdum *Literatorum vulgarium ac hominum hoatorum.* Tertium est *plebeiorum ac rudium.* .c facta distinctione, ait, ex primi ordinis :eratis *Aliquos, sequendo libros ac institutionem* *ısuetudinemque antiquam non credere errores* de lationibus quæ fiunt Progenitoribus defuns ac de tabellis eorumdem defunctorum. *l alii*, inquit, ejusdem videlicet ordinis, id ex Literatis eminentibus, *bis jam mille hinc annis, ex quo Commentatorum aliqui cœunt perperam hæc interpretari, sequuntur &* *dunt errores præfatos.* Item ait dicendum *de undi ordinis hominibus*, id est de Literatis lgaribus & viris honoratis, nempe quod alii tantum iis erroribus non teneantur, cæteri ro eos credant & sequantur. Denique de tio genere hominum, hoc est de plebeis rudibus fatetur omnes fere *præfatos errores dere ac sequi.*

137. Ex his patet, teste ipso Auctore quem suitæ pro se allegant, ejusmodi cultus Deıctorum & Confucii à multis retro sæculis e superstitiosos & idololatricos in longe mai parte Sinensium; quod sufficit ad rejiciem Martinii expositionem tanquam falsam & oreptitiam, & ad defendendum Reverendiss. omini Maigrot Edictum.

IV.

IV.

138. Alius error ex proximè præcedenti descendens, est ut in cultu Confucii & Defunctorum, quid civile & politicum sit consideretur, & à superstitioso, quod ei postea adjunctum est, separetur; ita ut cultus ille in seipso, & quantum ad substantiam bonus sit, per accidens autem tantum & ob quædam ei addita, malus atque superstitiosus habeatur; quod quidem gratis & falsò dicitur. Nam solemnes tam Defunctorum quam Confucii oblationes, quæ statis anni temporibus fiunt, prout illas retulimus, sunt omnino superstitiosæ & idololatricæ, nihilque eis deest quod ad rationem veri sacrificii pertineat. Unde absolutè damnari debent, quemadmodum revera per Sedem Apostolicam anno 1645. damnatæ sunt. Reliquæ verò oblationes minus solemnes eodem etiam loco habendæ sunt, cum ad solemnes illas referantur, nec minori pietatis aut religionis affectu à Sinis celebrentur, ut supra explicatum est.

139. Deinde falsò supponitur licere Christiano Sinensi, quod libuerit ex cultibus illis omittere. Quotquot ceremoniis illis intersunt, quidquid à ritualibus præscribitur, & publico usu receptum est, ad amussim servare debent. Id certum est oblationibus Confucianis, quæ publice & magna cum pompa fiunt à Mandarinis, Judicibus & Literatis. Quod verò spectat ad cultus Progenitorum, cum simul ab omnibus consanguineis celebrentur;

:ur, communi etiam consensu fieri debent: ınde si quis aliquid mutare vellet; aut aliqua re à cæteris discrepare, non modicam perturbationem afferret, totiusque cognationis odium in se concitaret.

140. Hinc patet quod Observator vestigiis Patris Martinii insistens; S. Congregationi pergit illudere, naturam & conditionem cultuum illorum dissimulando; quasi per se essent mere civiles ac politici; & quædam solum superstitiosa eis adjuncta fuissent, quæ facile sit Christianis detrahere, aut cum à Gentilibus fiunt; ita assistere, ut horum communicatione non polluantur. Id dici posset de quibusdam per se licitis aut indifferentibus, v. g. de conviviis Sinensium in die Natalitio aut nuptiis: ad ea Christianis, si invitentur; venire licet; tametsi Ethnici aliquid superstitiosum admisceant; quo casu sufficit in superstitionis Societatem non venire, aut ad majorem cautelam; fidei protestatione præmissa; declarare se superstitiosis nolle immisceri. Sed hoc locum non habet in rebus omnino superstitiosis, & quæ ex singulis adjunctis vera esse sacrificia cognoscuntur, quales sunt ex supra dictis cultus Confucii & Progenitorum.

141. Lubet hic notare * Observatorem; cum ait quæsitum à Patre Martinio an adesse possent Christiani ceremoniis defunctorum; etiam

* 1. *Part. Obs.* 2. §. Num permitti. *Obs.* 3. i. Jam vero *in fine.*
. *Part. Obs.* 8. §. In tractatu *in fine.*

etiam cum *infideles superstitiosa peragunt*, *præcipuè facta fidei protestatione*, adjungere hæc verba: *aliasque adhibendo ab eodem Patre propositas cautiones*; quæ quidem verba sæpe repetit quoties agit de Responsione S. Congregationis ad hoc quæsitum: quasi vero & Martinius & S. Congregatio præter fidei protestationem, certas alias cautiones adhiberi voluissent, ut quis defunctorum cultibus unà cum gentilibus adesse posset. Nullibi has cautiones explicat Observator. De his nihil habetur in Decreto anni 1656. dicitur quidem in Responso S. Congregationis solum Christianis permittendum iis ceremoniis interesse, *cessante periculo subversionis*, *& quando aliter odia & inimicitiæ vitari non possint*. At hæ sunt conditiones ad actum, si fieri posset, cohonestandum requisitæ, non verò cautiones quas adhibere aut præmittere debeant Christiani qui ejusmodi intersunt ceremoniis.

V.

142. Aliud sophisma quod frequenter in Observationibus occurrit, in ambiguitate verborum consistit, cum voces alieno sensu accipiuntur, aut generales definitiones rei de qua agitur, minime convenientes adducuntur.

143. Sic v. g. * Observator non aliam agnoscit idololatriam aut superstitionem, præter eam qua quis rem aliquam tanquam Deum aut

* 2. *Part. Obs. in* 4. *Cap. Mand.* §. Ultimo.

tut numen adoraret; unde negat cultus Confucii & Progenitorum habendos ut idololatricos & superstitiosos, cum certum sit Sinas Confucio & defunctis nullam divinitatem tribuere. Quid Sinæ de Confucio & Progenitoribus mortuis, eorumque statu reipsa sentiant quærendum hîc non est: sufficit quod in eis colendis eas adhibeant ceremonias quæ ex communi omnium sensu ad religionem pertinent & supremo numini, aut saltem excellenti cuidam naturæ convenire intelliguntur. Quid veteres Ethnici de statu Heroum, aut Imperatorum inter Divos relatorum crederent, Ecclesia primis sæculis inquirendum sibi non putavit; sed eorum cultum absolute tanquam idololatricum damnavit; neque unquam fideles sacris in eorum honorem institutis interesse permisit, eo prætextu quod vera esse numina ne ipsis quidem Gentilibus persuasum foret.

144. Frustra etiam Observator * sacrificii definitionem expendit, & conditiones quæ ex Theologorum sententia ad sacrificium proprie dictum requiruntur, proponit. Hæc Scholæ relinquenda; aut iis qui de controversiis adversus Hæreticos tractant. At in præsenti quæstione inutilia sunt, in qua honores & cultus de quibus agitur, ex circumstantiis plane apparent esse vera sacrificia, vel saltem ceremoniæ idololatria & superstitione omnino imbutæ.

145.

* 2. *Part. Obs.* 10. *in* 4. *Cap. Mand.* §. 20. Materia.

145. Hîc quoque notandum quid significet in hac disputatione vocabulum *idololatra*, de quo jam supra aliquid perstrinxi. Si vox illa generaliter sumatur, adoptari debet tribus præcipuis Sectis Sinensibus, quarum prima est Literatorum, quæ dicitur *Jukiao*, & in Aula totoque Imperio primas tenet; secunda est Magorum, quæ *Tao* appellatur; & tertia est Bonziorum vel idololatrarum cui nomen *Fockiao.* Sin verò eadem vox proprie & specifice accipiatur, convenit solum secundæ & tertiæ Sectæ, & adhuc magis proprie tertiæ, quæ idcirco idololatrarum nominatur. Verum Observator sæpe de prima Literatorum Secta sic loquitur, quasi omni idololatria esset libera; quod non, ut Secta Bonziorum, multa ac spurcissima idola habeat, tametsi certum sit eam multiplici idololatria laborare, in colendo cœlum, astra, terram, spiritus Montium & Fluminum, itemque idolum *Chin hoan*, quo in loco reponendus etiam cultus Confucii ac Progenitorum. Duplicem hanc idololatriam bene distinxit Moyses Deuter. Cap. 4. v. 15. & seqq. dum primum monet Israelitas ut caveant à quacumque sculpta similitudine, aut imagine Masculi vel Fœminæ, omniumque jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium atque reptilium quæ moventur in terra, vel piscium qui morantur in aquis; ac deinde v. 19. præcipit, ne elevatis oculis ad cœlum videant solem & lunam & omnia astra cœli, & errore decepti adorent ea. Priori illa & crassa idololatria laborabant Ægyptii quibus diu subje-

ćti

cti fuerant Israelitæ; posteriore Chaldæi unde oriundi erant iidem Israelitæ, quos sic alloquitur Josue: *trans fluvium habitaverunt Patres vestri, ab initio Thare Pater Abraham & Nachor; servieruntque Diis alienis. Jos. 24. v. 2.*

VI.

146. Anceps etiam atque ambigua in hac materia est significatio vocis *Atheus*. Unde Observator † sensu apud Europæos vulgari eam accipiens, passim Reverendissimum D. Maigrot criminatur & in invidiam vocat, quod eo nomine Sinas Literatos atque etiam hodiernum Imperatorem appellet. Atqui proprie apud Sinas Athei dicuntur Literati, ut distinguantur à duabus aliis Sectis, Magorum videlicet atque Bonziorum, qui tot inter crassissimos errores in eo tamen recte sentiunt quod animas esse immortales, & post hanc vitam, pro meritis, vel præmio affici, vel pœnas subire credunt. Literati vero cœlum putant rerum omnium esse principium, sive cœli nomine intelligant subtilissimam materiam quam *Li* seu *Taikie* appellant, in varias rerum formas divisam ac figuratam, quæ est sententia antiquorum classicorum librorum & commentariorum Sectæ Literariæ; atque etiamnum inter omnes pene Literatos recepta;

† 2. *Part. Obs.* 4. *in* 1. *Cap. Mand.* §. Itaque Decretum. *Obs.* 3. *in* 2. *Cap. Mand.* §. 5. Eo ipso *Ibid.* §. 5. Falsissimum *Obs. in* 3. *Cap. Mand.* §. Jam vero.

pta: ſive eodem cœli nomine aliud quid excellentius intelligant, hoc eſt principium aliquod activum ſeu naturam intelligentem rerum omnium Creatricem & Gubernatricem, quam ſententiam Obſervator poſt Patrem Mattheum Riccium veteribus Sinis ac primis Literariæ Sectæ Auctoribus tribuit, & quam vult etiam eſſe Imperatoris qui hodie regnat, & plurium in ejus Aula Literatorum.

147. Quapropter Athei nomen non eadem ſignificatione apud Sinas accipiendum eſt, atque in Europa & apud Chriſtianos. Apud hos enim ſignificat eum qui impietatem profitetur, & tum intus in animo, tum etiam voce Deum eſſe negat, quod omnes deteſtantur: apud Sinas autem idem pene ſignificat ac Literatum, ſeu Literariæ Sectæ diſcipulum; ſepoſita quæſtione, an Literati Deum & Providentiam negent, quemadmodum olim Epicurei; an vero Deum aliquatenus, modo ſcilicet valde imperfecto, agnoſcant.

148. Fruſtra itaque Obſervator hujus verbi ambiguo Reverendiſſimum D. Maigrot criminatur atque Eminentiſſimos Dominos terret, quaſi quis Imperatorem ac plerosque ejus Aulæ proceres Atheos ſine magna eorum offenſione, dicere non poſſit. Hæc homines incautos ac rerum Sinicarum ignaros decipere poſſunt; at multum erravit Obſervator, ſi ejuſmodi terriculis & captionibus Eminentiſſimos Patres commoveri, atque in fraudem deduci poſſe exiſtimavit.

VII.

VII.

149. Huc revocandum puto quamdam objectionem, quam non parum urget Observator. Pugnantia, * inquit, loquitur Reverendissimus D. Maigrot, dum Confucii & Progenitorum cultum idololatricum esse contendit, & nihilominus Literatos tanquam Atheos, qui neque spiritus, neque animam immortalem esse credunt, traducit. Quî enim, inquit, fieri potest, ut Sinæ Confucii & Progenitorum spiritus invocent ad tabellas, tanquam ad locum & sedem ubi requiescant, invitent, & ab eis bona sperent aut postulent, si nullam spiritualem substantiam agnoscunt, si animam hominis immortalem esse negant. Quam sint istæ contradictiones Sorbonico Doctore indignæ, nullus est, inquit, tyro qui non apprehendat.

150. Respondeo hæc tam confidenter tamque arroganter in Reverendissimum D. Maigrot dici non posse, nisi ab eo qui vere in rebus Sinicis tyro sit, vel qui earum minus peritos decipere velit. Sinæ juxta Literariæ Sectæ principia, veros spiritus atque adeo immortales hominum animas non agnoscunt, neque tamen has corpore solutas, penitus extingui aut evanescere existimant. Siquidem animo sibi fingunt, eas esse partem subtilissimæ illius materiæ, quam *Li* seu *Taikie* appel-

* 2. *Part. Obs. in* 3. *Cap. Mand.* §. *Ro.* 4. *Reverendissimum.*

pellant quæ per mortem à corpore separata, in aërem diffunditur, & aliis partibus ejusdem *Li* seu *Taikie*, id est primigeniæ illius materiæ ac subtilissimæ quæ nusquam non extat, aggregatur. Itaque haud difficulter sibi persuadent aliquam particulam subtilis illius materiæ, quam putant fuisse defuncti animam, oblationibus & sacrificiis invitatam tabellæ insidere, ibique aliquantulum requiescere. Hæc per me licet habeantur tanquam inepta & insana, & quæ ne cogitatione quidem comprehendi possint: non hîc quæritur an horum infidelium doctrina & praxis probabili aliqua ratione defendi queat. Certe qui hodie apud nos vulnera pulvere sympathico, ut vocant, curari posse existimant, simile quid comminiscuntur, particulas videlicet seu atomos ex corpore vulnerato per aërem, usque ad pannum sanguine ejusdem corporis tinctum, cui pulvis ille applicatur, diffundi; qua ex communicatione aiunt fieri, ut plaga ipsa haud secus curetur, quam si ei pulvis applicatus fuisset. Quæ licet naturaliter fieri posse omnis fere Medicorum Schola neget, non tamen stulti aut insani habentur, qui hoc modo vulnera curari posse defendunt. Præterea haud scio an hæc Sinensium Philosophia magis fabulosa atque insana sit, quam tot monstrosa Manichæorum & veterum Gnosticorum dogmata, qualia à Sancto Epiphanio, Sancto Augustino, aliisque antiquis Scriptoribus referuntur.

151. In Tractatu Hispanico Patris Francisci Varo, quem penes me habeo, hæc eadem quæstio

ıæſtio proponitur, & ſubtiliter atque accute examinatur; nec aliter ab eo quam nunc me, ſolvitur. De hac etiam agitur in Confutatione Tellerianæ Defenſionis jamdiu typis edita, & ad propoſitam difficultatem hæc eadem ſolutio affertur. Imo legere potuit Obſervator in tractatu Illuſtriſſimi Gregorii Lopez Cap. 4. §. *Libro Ling*, locos antiquorum Doctorum Sinenſium ubi hæc difficultas eodem quoque modo proponitur & ſolvitur: ut mirum videri debeat objectionem tam vulgarem, ac toties refutatam, denuò ab eo tanquam invictum argumentum proponi.

VIII.

152. Denique inter ea quibus * Obſervator hanc cauſam implicare, Lectorumque animos præoccupare tentat, referendum hic quod de Patre Martinio non uno loco habet, eum tantæ laudis, tantique meriti virum fuiſſe, ut omnino cavendum ſit ne aliqua ejus nomini labes inferatur; atque adeo non ſinendum, ut quæ ad Sinenſes cultus pertinent, Sedi Apoſtolicæ minus ſincere expoſuiſſe dicatur. Ea de re jam egi in Reſponſione ad epiſtolam Reverendiſſimi Patris Generalis, Illuſtriſſimo Dom. Aſſeſſori Sancti Officii inſcriptam, atque ita huic objectioni reſpondi, ut facile quivis exiſtimaret Obſervatorem ab ea renovanda ſibi temperaturum. Quin & aliunde reſcire

* 2. *Part. Obſ.* 5. *in* 4. *Cap. Mand.* §. Patrem ipſum.

rescire potuit, quam parum hæc ratio de conservanda Martinii memoria Eminentissimis Patribus aliisque qui hæc scripta legerunt, arriserit. Verum tantum abest, ut inde moderatior in proponenda hac ratione evaserit, ut potius denuò illam fortius urgeat. *Ait enim Deum Martinii pietatem ac virtutem attestatam voluisse, corpus ejus per 20. fere annos singulari prodigio incorruptum conservando, cum infidelium Neophytorumque admiratione & stupore; unde tantum non illum beatum appellat, quasi processus ejus Canonisationis jamjam inchoandus esset; adeo ut ad calcem scripti coactus sit protestari, velle se hæc dicta sic accipi, ut non contraria sint Decretis Sedis Apostolicæ, quibus præscribitur modus loquendi de iis qui cum vitæ sanctitate floruerint, nondum tamen sunt ab Ecclesia vindicati, seu canonizati.

153. Veram ac sinceram non esse expositionem anno 1656. à Patre Martinio factam, ex supra dictis tam certum est, ut vix quisquam id possit in dubium revocare. Quid autem, & quantum in hoc peccaverit, an id sciens prudensque fecerit, an vero quod ea quæ Sedi Apostolicæ proponebat minus, quam par esset, perspecta haberet; an eum errati pœnituerit, & ante mortem veniam à Deo consecutus sit, hîc omitto quærere. De eo jam Christus judicium tulit, nec ei nocere aut prodesse potest, si bene aut male de illo homines sentiant vel judicent. Quod si Societas

* 2. *Part. Obs. in* 3. *Cap. Mand.* §. Unde judicet.

tas Jeſuitarum ſua intereſſe putat, illibatam Martinii memoriam conſervari, meminiſſe debet, prout jam monita eſt, id ſi fiat, neceſſario in manifeſtum diſcrimen adduci famam & exiſtimationem Patris Joannis Bapt. Moralis, Patris Antonii à Sancta Maria, Illuſtriſſimi Navarrettæ, ut omittam Illuſtriſſimum Epiſcopum Heliopolitanum, Reverendiſſimum D. Maigrot, pluresque alios Vicarios Apoſtolicos & Miſſionarios ſive jam vita functos, ſive adhuc ſuperſtites, qui uno ore declarant rem aliter omnino ſe habere, atque à Martinio expoſita eſt. At vero æqui bonique conſulere debet Societas, ſi tot inſignium virorum honorem & dignitatem unius Martinii memoriæ & exiſtimationi anteponimus. Quanquam hæc omnia, quæ privatorum commodum vel incommodum ſpectant, omittenda puto, ut ſola facti veritas, ex qua unicè hæc cauſa decidenda eſt, publicumque religionis bonum, & innumeræ multitudinis Chriſtianorum ſalus attendatur.

154. Quod attinet ad incorruptum Martinii corpus, Reſpondeo 1. rem facti eſſe quæ ſine autenticis teſtimoniis & probationibus coram Eminentiſſimis Patribus allegari non deberet; deinde nulli ignotum eſt, reperiri agros & ſubterraneos locos, in quibus ſine miraculo corpora per longos annos incorrupta perſeverant. Certe cum P. Joſephus Morales Jeſuita de Patre Feliciano de Sylva Luſitano Miſſionario è Societate ſcripſiſſet, tantæ eum fuiſſe virtutis ac pietatis, ut longo poſt mortem tempore, corpus ejus integrum & veſtimenta

menta intacta, ſicut die mortis ejus reperta ſint: reſpondet Illuſtriſſimus Navarretta Tom. 2. Tract. 8. pag. 434. Col. 1. id ſi contigiſſet poſt decem, duodecim vel amplius annos, ſibi & cuicumque alii qui in Sina moratus fuerit, minime mirum viſum iri. Siquidem Sinarum mos eſt feretra ex tabulis craſſis arctiſſime compactis, pice ſtipatis ac junipera gummitione inunctis conficere, atque intra feretrum carbones & certam quandam ſtuppam ad exhauriendam cadaveris humiditatem ponere. Deinde ſolent etiam feretrum intra terram ſiccam & in declivi montium verſus meridiem collocare; unde fit ut ſæpe 50. & amplius annos corpora & veſtimenta mortuorum integra conſerventur.

155. Ex his patet, contra reverentiam Sacræ Congregationi debitam eſſe, * de ejuſmodi re tantopere inſtare, quæ ſola Patris Intorcettæ relatione & forte paucorum aliorum Jeſuitarum litteris probatur, & quæ poſt factam Superiorum auctoritate inquiſitionem publicis & autenticis teſtimoniis confirmanda eſſet, antequam in ſcriptis Sedi Apoſtolicæ exhibitis proponeretur. Poſtremo quantumvis certa atque autentica inquiſitione conſtaret, miraculoſum eſſe, quod de Martinii corpore refertur, nihil inde conficeretur in præſenti cauſa contra eos qui expoſitionem ab eo factam reprehendunt, cum ejus errati veniam ante mortem obtinere potuerit, ut ſupra dictum eſt.

AR-

* 1. *Part. Obſ.* 1. §. 1.

ARTICULUS XI.

Loci communes ineptè ab Observatore adhibiti.

156. Inutile ac supervacaneum prorsus erat, ut Observator Missionarios, qui infidelibus Evangelium annuntiant, moneret prudenter se gerere, atque in primis cavere ne ardentiori atque inconsiderato zelo fidei propagationem impediant. Quæ pluribus paginis in hanc rem congerit, melius omisisset: nihil etiam ad rem facit quod ex doctissimo Cardinali Baronio notat; *Multa ex superstitione Gentilitia in Christianam nostram Religionem esse translata. Quis enim lubens id non agnoscat? Sic, inquit Gregorius nomine Thaumaturgus Gentilium ferias superstitionibus cumulatas in festa & celebritates SS. Martyrum commutavit, & convivia in honorem idolorum fieri solita, permisit ut eadem Christiani, sed in honorem Sanctorum Martyrum celebrarent.* Sic Gregorius Magnus Augustino ab eo in Angliam misso scribebat, *idolorum fana apud eos minime destruenda, sed destructis idolis, per aquam benedictam expianda, & in Ecclesias Deo dicatas* commutanda. Verum quid inde conficit Observator? Num quæritur inter nos an liceat ædes Confucii in Ecclesias Deo sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli dedicandas commutare, vel Christianis Sinensibus suadere, ut Progenitorum cultum, sublatis superstitiosis, ad Apostolos, Martyres, aut Sanc-

Sanctos Ecclesiæ Doctores transferant ? Nequaquam. Id potius agit Observator, ut eosdem illos Confucii & Progenitorum cultus, quantumvis superstitiosos atque idololatricos servent, ridicula petitione principii supponendo esse valde probabile hos cultus esse mere civiles & politicos. *Quanto facilius*, inquit, post allata Baronii verba de nonnullis Gentilium ritibus in usum Christianæ Religionis commutatis, *debent permitti in Sina ob eandem rationem ritus ac ceremoniæ, quæ tanto cum fundamento judicari possunt civiles ac politicæ?*

157. Quis unquam ostendat Apostolos aut Sanctos Patres & Episcopos primis sæculis hanc probabilitatis regulam adhibuisse ad permittendos Christianis conversis ritus, quibus ante susceptum baptismum assueverant, cum vel minimum dubium suberat aliqua eos superstitione aut idololatria infectos esse? Imo tum Episcopis, tum fidelibus persuasum semper fuit, in his imitandam serpentis prudentiam, omniaque potius amittenda, quam ut quis fidem & conscientiam suam, vel minima idololatriæ labe pollueret. Quippe meminerant Apostolici hujus præcepti: *Fugite ab idolorum cultura* prim. Cor. 10. v. 14. Itemque: *Filioli custodite vos à simulachris*, Johann. 5. v. 21. & cum ejusdem Pauli monitu scirent abstinendum etiam ab omni specie mala; illos proculdubio tanquam erroris Doctores horruissent, qui aliis Auctores sunt, ut libere & tuta conscientia admittant, quæ communis Christianorum sensus superstitiosa & idololatrica judicat.

158.

158. * Nihil etiam probant quæ ex Augustini epiſtola 64. afferuntur de non tollendis niſi ſuaviter & magna cum prudentia, abuſibus qui in res ſanctas & religioſas irrepſerunt, quales erant exceſſus & ebrietates Africanorum in epulis ad ſepulchra defunctorum, aut in feſtis Martyrum. Non enim hic agitur de rebus ex ſe bonis aut indifferentibus, quibus aliquid mali additum ſit, ſed de cultibus qui, ſi vere & ſincere exponantur, ſtatim omnino ſuperſtitioſi & idololatrici eſſe agnoſcuntur: quanquam etiam in his ſupprimendis adhibendam à Miniſtris Evangelii prudentiam & ſuavitatem non dubitem.

159. Idem dicendum † de inſtructionibus à S. Congregatione de propaganda fide ad Vicarios Apoſtolicos in Sina miſſis, ubi graviter monentur, ne ulla ratione ſuadeant illis populis, ut ritus ſuos, conſuetudines & mores mutent, modo ne ſint apertiſſime Religioni & bonis moribus contraria; addita hac ratione quod fides Chriſtiana nullius gentis ritus, aut conſuetudines, quæ modo prava non ſunt, aut reſpuit, aut lædit, imo vero ſarta tecta eſſe vult. Nam illud ipſum eſt quod inter nos quæritur, an videlicet cultus Confucii & Defunctorum apud Sinas reipſa contrarii ſint Religioni Chriſtianæ, & ſuperſtitione atque idololatria imbuti; quo quidem caſu, eos omnino prohiberi vult S. Congregatio.

160.

* Ibid. §. *Non ergo.*
† Ibid. *Fuit ſemper.*

160. Postremo Observator * commemorat Apostolorum indulgentiam erga Judæos ad fidem conversos, quibus multa legis Mosaicæ permittebant quæ publicatione Evangelii abrogata sunt. Quin etiam notat à Paulo circumcisum Timotheum, & Hierosolimis consilio Jacobi, expletum votum de purificatione legali unà cum aliis qui eodem voto se obstrinxerant. Deinde longum citat locum ex Sancto Ambrosio quo Pauli apud Athenienses concionantis sapientia & prudentia commendatur. Ex quo autem Libro aut Tractatu Sancti Ambrosii sumptus sit locus iste, non dicit Observator. Certe stylus à phrasi Ambrosiana omnino diversus est; ac post lectos accuratissimos Indices ultimæ editionis Operum Sancti Ambrosii; vix crediderim locum illum sive in genuinis ejus o.eribus, sive etiam in suppositititiis & in appendicem rejectis inveniri.

161. Ut ut sit, hæc omnia nihil prorsus ad rem faciunt. Circumcisio, aliaque Legis Mosaicæ præcepta ceremonialia à Deo Judæis imposita erant, & quamvis post publicationem Evangelii non obligarent, tolerari tamen poterant, prout definitum erat ab Apostolis in Consilio Hierosolymitano. At hîc quæritur de ritibus profanis apud Ethnicos in usum receptis, quos sola eorum descriptio à nobis supra allata; superstitionis atque idololatriæ plenos esse demonstrat.

162. Probet Observator Apostolos Sanctosque Patres & Episcopos primis sæculis permi-

* Ibid. §. *in hoc.*

misisse, ut Gentiles ad fidem conversi, Imperatores per Apotheosim inter Deos relatos, Heroës, vel Urbium Fundatores, eodem atque antea cultu iisdemque ceremoniis cum Gentilibus, pergerent venerari. Id si fecerit, fatebor eum non male contra nos arguere. At nunquam id probabit. Hoc Patribus Societatis reservatum erat, qui Probabilitatis ope norunt omnia coæquare, & salutis januam Gentilibus, charitate atque indulgentia primis Evangelii Prædicatoribus ignota, patefacere.

ARTICULUS XII.

Expenduntur variæ Observatoris contra Reverendiss. Domini Maigrot Edictum objectiones.

163. Pluribus * Observator conatur ostendere Edictum Reverendiss. D. Maigrot aliaque ejus scripta multa habere parum cohærentia, eumque tanquam valde imprudentem passim traducit.

164. Non repugnare ut Literati dicantur Athei, & nihilominus Confucium & Progenitores eorumque tabellas tanquam idola quædam venerentur, jam supra demonstratum est, neque in hoc explicando, diutius immorandum.

165.

* 1. *Part. Obs.* 5. *per totum.* 1. *Part. Obs.* 8. *per totum.* Ibid. *Observ.* 7. §. 3. Quod definivit.

165. Nonne, inquit, secum ipse pugnat Reverendissimus Dominus Maigrot dum fatetur S. Congregationem anno 1656. ad quæsita Patris Martinii juxta circumstantias sapientissime respondisse, & tamen Edicto suo ea ipsa, quæ S. Congregatio permittenda censuit, prohibet & interdicit?

166. Hæc facile explicantur, quæ ambiguè loquendo confundit Observator. Edicto Domini Maigrot non eadem damnantur quæ Decreto anni 1656. permittuntur. Supponit Edictum, quod quidem verum est, cultus Confucii & Progenitorum, prout supra à nobis descripti sunt, esse omnino superstitiosos & idololatricos; quocirca etiam eos Decretum anni 1645. absolutè prohibuit. At contra Decretum anni 1656. supposuit eosdem illos cultus esse mere civiles ac politicos, & si quid ei superstitiosi admistum sit, facile separari posse, aut præmissa fidei protestatione, assistentibus non imputari. Verum hoc Sacra Congregatio supposuit decepta, quod ad factum spectat, Martinii expositione. Nihil itaque dissonum, nihil repugnans in Edicto vel scriptis Reverendissimi Domini Maigrot: tota contradictio & repugnantia est inter expositionem Patris Moralis & expositionem Patris Martinii, atque hinc edita sunt duo præfata Decreta in speciem contraria.

167. Non bene cohæret, inquit,* quod Dominus Maigrot Edicto suo solemnes oblationes Confucii & Defunctorum superstitionis & idololatriæ damnet, eisque interesse imposte-rum

* 1. *Part. Obs.* 5. §. Multa hic.

rum Christianos prohibeat; atque ibidem declaret, quod eos tamen culpare non intendat, qui aliter antea de his censuerunt, aliamve praxim secuti sunt quæ sibi in Domino magis consona veritati videbatur.

168. Respondeo hæc bene inter se cohærere: persuasum habuit Reverendissimus Dominus Maigrot cultus illos, prout à me antea descripti sunt, esse superstitionis & idololatriæ plenos, atque idcirco eos in posterum fidelibus sibi subditis interdixit. Declarat tamen quod non intendat eos culpare, qui de his aliter antea censuerint, aliamve praxim in tolerandis ejusmodi cultibus secuti sint; quod perinde est ac si diceret, nolle se ut palam traducantur, vel in foro exteriori accusentur; tametsi eos in foro conscientiæ omni culpa vacare non existimet. Illos itaque Dei judicio relinquit, qui corda & renes scrutatur, & intus in animo videt quid eos ad ejusmodi tolerantiam impulit. In hoc se æquum ac moderatum erga Jesuitas exhibuit, qui hac de re illum amare deberent, non vero hinc ansam captare, Edictum ejus tanquam contradictionibus plenum vellicandi.

169. Qua in re etiam notanda hæc Edicti verba: *Mirum videri non debet, si eam unusquisque praxim amplexus sit quæ sibi in Domino magis consona veritati videbatur*; quæ alio modo refert Observator sic loquentem inducens Dominum Maigrot: *Missionarii permittunt certos ritus ac ceremonias quas ipsi probabiliter alibi dicit probabilius* (Intelligit Dominum Maigrot) *licitas judicant.* Hæc verba, *quas*

ipsi probabiliter vel probabilius licitas judicant, nusquam adhibuit Dominus Maigrot, sed solum ait, *quæ sibi magis veritati consona videbantur*. Atqui hæc inter se non parum differunt. Posteriora hæc verba, *veritati magis consona*, indicant actus nostros non esse veraciter bonos nisi veritati seu legi divinæ congruant, maxime ubi agitur de iis quæ jure divino naturali prohibentur, cujusmodi est idololatria. Illa autem priora: *quæ probabiliter vel probabilius licita judicant*, potius significant Probabilitatem esse actuum nostrorum regulam, ita ut in eis non peccemus, quæ probabiliter licita esse judicamus, tametsi legi divinæ adversentur. Tunc enim, inquiunt Probabilistæ, prudenter agimus, illud sequendo quod probabile esse judicamus; & si contingat nos errare, bona nos fides, quæ ex ignorantia invincibili & inculpabili proficiscitur, à peccato saltem formali liberat. Non me latet hanc esse doctrinam * Observatoris & complurium Societatis Theologorum. At illam non didicit Dominus Maigrot in Scholis Sorbonicis, & alia plane diversa traditur à melioris notæ Theologis, qui post Sanctum Thomam veteresque Theologiæ Magistros communiter docent, ignorantiam juris naturalis posse quidem minuere peccatum, sed non tollere, quod nunquam proprie sit invincibilis, neque sine aliqua nostra culpa.

170. Hinc inferas licet, Sinas Christianos, qui Jesuitarum auctoritate ducti cultus Confucii

* 2. *Part. Obs.* 1. *in* 3. *Cap. Mand.* §. Respondeo *6.* Eo prudentibus.

cii ac Defunctorum frequentant à peccato idololatriæ non eximi, si revera cultus illi superstitiosi sunt & idololatrici; tametsi concedam longe gravius eos peccaturos, si repugnante conscientia eosdem cultus adirent aut peragerent, vel ad Bonziorum Pagodas seu templa se conferrent, ibique eorum impiis atque ex omnium consensu idololatricis ceremoniis interessent.

171. Atque eo sensu recte dicere potuit Reverendissimus Dominus Maigrot in epistola ad Summum Pontificem, idololatriam de qua conquestus est & quam Edicto suo prohibuit, non esse crassam turpemque idololatriam, quam Sinæ Christiani conscio animo & aperta legis divinæ prævaricatione admittant, quod de illis sine calumnia dici non posset. Quia tamen Confucii & Progenitorum cultus quos frequentant, revera superstitione & idololatria infecti sunt, quamvis errando de iis secus judicent, ab idololatriæ peccato non eximuntur. Neque eos ignorantiæ excusatio juvare potest, præsertim post adventum Missionariorum ex Ordinibus Sancti Dominici, Sancti Francisci & Sancti Augustini, nec non Gallorum Missionariorum ac Vicariorum Apostolicorum, qui hos cultus Christianis suis interdixerunt. Unde Reverendissimus Dominus Maigrot jure eos idololatriæ accusare potuit, & scribere ad Summum Pontificem merito dubitari posse, an qui sunt in China Christiani iidem ferè omnes non sint & idololatræ. Notandum quippe præter Jesuitarum Christianos, qui in Sina aliorum Missionariorum Christianos numero longe superant, complures alios, il-

lorum exemplo, ad ejusmodi superstitiones & idololatrias traduci.

172. Quanquam per hyperbolem & præter verum dictum non dubitem quod habet Observator 1. Part. Obs. 6. §. *Nam quod*, videlicet quod unus è Societatis Missionariis plures habeat Neophytos, quam omnes simul Missionarii qui de Societate non sunt. Quis sit ille Missionarius Jesuita qui plures habeat in Sina Neophytos, quam cæteri Missionarii qui non sunt è Societate simul sumpti, debuisset clarius exprimere Observator. Sed fortasse veritus est ne hæc ejus propositio falsi argueretur. Sive enim Neophytorum nomine intelligat ad fidem opera Missionarii illius conversos & baptismate tinctos, sive in genere fideles ac Christianos; utroque illo sensu falsum existimo esse in Sina aliquem Jesuitam qui plures habeat Neophytos, quam omnes simul Missionarii Dominicani, Franciscani & Augustiniani, adjunctis etiam Missionariis Gallis è Clero Sæculari.

173. Nulla itaque in verbis Domini Maigrot contradictio occurrit: omnia sibi constant, si ad sanioris doctrinæ principia quibus imbutus est, expendantur. Parum cohærere videntur Observatori, quod ea expendat ad trutinam Probabilismi, & de his judicet ex præconceptis Jesuitarum doctrinis, apud quos communiter docetur neminem peccare nisi in quantum malitiam actus novit, & ad eam attendit, quod quidem principium falsissimum est, & tanquam in radice continet horrendam peccati philosophici doctrinam, nuper ab Apostolo-

postolica Sede, applaudente toto Orbe Christiano, condemnatam. Cæterum de Probabilismo aliisque ejusmodi doctrinis adeo non dubitat Observator, ut qui eas non sequitur, vix putet, inter Theologos numerandum; unde hoc nomen Reverendissimo Domino Maigrot tantum non negat, eique haud semel improperat, quod parum Theologice ratiocinetur & loquatur.

174. Neque tamen verum est, quod pluribus locis significat Observator, à Reverendissimo D. Maigrot Missionarios Jesuitas appellatos esse idololatras, quod cultus Confucii & Progenitorum suis Neophytis permittant. Id nusquam in ejus Edicto aut aliis scriptis reperitur. Consequentia est quam male infert Observator, ut Dominum Maigrot in invidiam vocet, addens pari jure dici posse homicidas Divum Thomam, cæterosque ejus discipulos, si verum non sit, quod illi communiter docent, Judicem posse ac debere illum condemnare quem privata scientia novit Innocentem, si servato juris ordine, ex legitimis testimoniis reus esse convincatur. Hæc nulla ratione ex dictis Domini Maigrot inferuntur. Quin etiam nemini unquam in mentem venit, vel laxissimos Casuistas, homicidas, usurarios, Simoniacos appellare, quod in variis casibus hæc crimina permittant, & horum reos omni culpa liberent. Sat habent moralis doctrinæ Defensores, fautores eos homicidarum, usurariorum, Simoniacorum, nominare. At si qui falsis eorum doctrinis decepti peccata illa admittant, illos homicidas, usu

usurarios, simoniacos, & sic de aliis peccatorum generibus, merito appellant, tanquam reipsa horum delictorum reos, quantumvis se probabilitate & Casuistarum auctoritate tueantur.

175. Quin ista Observatori ejusque Collegis probabilitatis Defensoribus displiceant, minime dubito. *Norunt qui sunt Theologi,* * inquit ille, *esse plusquam tria opinionum millia in Theologia morali de quibus in utramque partem disputatur*, hoc est in quibus sive agas, sive non agas, perinde ope Probabilitatis à peccato liber eris. Si non sunt Theologi, nisi qui tot illas novorum Casuistarum opiniones calluerint, quibus in doctrina Morali omnia fere problematica evaserunt, & gravissima quæque peccata licita esse creduntur, ultro nomen Theologi Observatori ejusque Collegis relinquimus; at rem ipsam, quæ hoc nomine significatur, non item concedimus.

176. Aliam contradictionem Reverendissimo D. Maigrot objicit † Observator, eum videlicet simul idololatriam damnare & probare: id autem sic ostendere conatur. Dominus Maigrot, inquit, solemnes oblationes Confucii & Defunctorum, quæ vere & autumno fiunt, suo Edicto tanquam idololatricas damnat, Confucium & Progenitores eorumque tabellas velut idola habendo: at eodem suo Edicto permittit alias minus solemnes oblationes quæ singulis mensibus sæpius eidem Confucio & Progenitoribus fiunt, itemque

* 1. *Part. Obs.* 5. §. Et verò.

† 1. *Part. Obs.* 4. §. Id evinco *&* *seqq.*

itemque ceremonias quæ in exequiis defunctorum usurpantur. Atqui si priores illæ oblationes ritu solemniori sunt idololatricæ, posteriores istæ etsi ritu minus solemni, & exequiarum ceremoniæ, eodem crimine tenentur. Itaque Dominus Maigrot illas damnando, has verò permittendo, idololatriam damnare simul & probare convincitur.

177. Respondeo hanc Observatoris ratiocinationem falso niti fundamento, videlicet quod Dominus Maigrot Edicto suo oblationes minus solemnes Confucii & Progenitorum, itémque exequias mortuorum probet & confirmet. Illas quidem non expresse prohibet; sed neque permittit aut probat, quasi nihil habeant superstitionis aut idololatriæ. Illas multaque alia nominatim non prohibuit, *ne si plura statim consequi vellet, nihil prorsus consequeretur*, ut ipsemet ait in sua Expositione §. *Supersunt capita.* Meminisse oportet Edictum ejus esse tantum provisorium & quasi ad tempus, donec Apostolica Sedes expressius singula quæ præsertim ad cultus idololatricos pertinent, definitivo judicio terminaret. Nihil dubitat quin oblationes illæ minus solemnes & exequiarum ceremoniæ superstitione & idololatria infectæ sint, vel ex eo solo nomine, quod fiant coram tabellis quæ hanc habent inscriptionem: *Locus* seu *Sedes animæ Confucii*, *vel talis & talis defuncti*, nec non iisdem in ædibus & capellis, in quibus singulis annis binæ illæ solemnes oblationes tum Confucii, tum defunctorum celebrantur, ad quas proindealiæ illæ minus so-

lemnes oblationes, tanquam earum appendix seu supplementum referuntur, prout jam supra notatum est. Has itaque etiam Christianis prohibendas existimat, ut satis indicat in sua Expositione; idque adhuc magis patet ex articulo quinto Edicti, ubi vetat ne quis præfatas defunctorum tabellas etiam domi retineat, nisi ablata præfata inscriptione, aliisque adhibitis cautionibus, ut ab eis omnis idololatriæ ac superstitionis suspicio removeatur, de quo sequenti Sectione agendum est.

178. Quod ceremonias exequiarum spectat, eas etiam variis superstitionibus vitiatas esse censet Reverendissimus D. Maigrot, præsertim ob ejusmodi tabellam, non simpliciter nomine Defuncti, ut exposuit Martinius, sed his inscriptam verbis: *Sedes* seu *locus animæ N. N. defuncti*, quæ in altari ante feretrum Cadaveris erecto collocatur, & ad quam odoramentorum, florum, fructuum & candelarum oblationes, atque etiam eorum qui ad condolendum veniunt genuflexiones, & usque ad terram demisso capite inclinationes diriguntur. An vero, sublatis ejusmodi superstitiosis, possint Christiani reliquas ceremonias erga defunctos suos, etiam cum gentilibus adhibere, expectandum Apostolicæ Sedis judicium, postquam re bene exposita & explicata, an hujusmodi ceremoniæ intra limites obsequii civilis & politici contineantur, declaraverit. De his noluit Reverendissimus D. Maigrot quicquam in suo Edicto statuere, *ne si plura statim consequi vellet, nihil prorsus conse-*

seque-

sequeretur, ut ipsemet ait in sua Expositione §. *Supersunt capita*: non quod permittendum aut tolerandum existimet, ut Christiani præfatas exequias erga defunctos suos celebrent, aut intersint, cum ab infidelibus celebrantur, nisi forte præsentia, ut aiunt, materiali.

179. Postremo aliam objectionem omnibus Rhetoricæ suæ figuris urget * Observator, videlicet Reverendissimum D. Maigrot Edicto suo Decretum ab Alexandro VII. anno 1656. editum reformasse & irritum fecisse; sic pronuntiando, in remotis illis regionibus non Vicarium egisse, sed Summum Pastorem; neque valere Sedis Apostolicæ à P. Martinio male informatæ excusationem; supposito enim quod male informata esset, debuisse Reverendissimum D. Maigrot melius illam informare, sed non reformare ejus judicium; ista ausum esse in longinquis non adeo mirandum; sed vix intelligi quomodo audeat postulare à Sancta Sede talis Edicti confirmationem, aut quomodo Romæ possint reperiri qui id audeant ejus nomine urgere 1. Part. Obs. 1. §. *Clarum est*, §. *Præsensit*, *Obs.* 2. §. *Qui talia*.

180. Sed paululum sibi temperet Observator, & tam ardentem vindicandi Sedis Apostolicæ honoris zelum moderetur. Ipsimet Summi Pontifices declararunt se haud ægrè laturos, si executioni non mandetur quod falsa expositione ab eis obtentum est; hanc ipsi regulam statuerunt sumptam ex rescripto Alexandri III. ad Archiepiscopum Ravennatem his

* 1. *Part. Obs.* 4. *per totum.*

his verbis: *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Cap. *si quando* de *Rescriptis.* Quinetiam rescriptum, quod tacita veritate, vel suggesta falsitate impetratur, nullum omnino esse, nulliusque roboris declaratur *Cap. super literis, eodem titulo de rescriptis.* Quod si regulæ istæ naturali æquitate & ratione subnixæ in quotidianis negotiis, ubi alicujus privati causa agitur, locum habent; quanto magis observandæ sunt in rebus publicis, & quæ ad Religionis præcipuum caput, & innumerorum hominum salutem pertinent?

181. In præsenti causa duo erant Sedis Apostolicæ Decreta, alterum legitimum & validum; alterum nullum & subreptitium; additum erat tertium, quo declarabatur prius illud nequaquam per posterius rescissum fuisse, sed in suo robore permanere. Quid igitur Reverendissimus D. Maigrot, cui secundi Decreti subreptio certa & manifesta? Provisorio Edicto declaravit standum esse priori Decreto, atque illud solum executioni mandandum. Quis hac declaratione rescissum ab eo aut reformatum aliquod Sanctæ Sedis Decretum dixerit? Imo verum ac legitimum ejus Decretum executioni mandari curavit, Summorum Pontificum menti ac genuinæ definitioni, sicut oportet, obsecundans.

182. Præterea æquum est varias hujus negotii circumstantias attendere. Primo agitur de locis in extrema Orbis parte constitutis, unde litteræ, acta, & consultationes Romam mitti, atque hinc responsa haberi nonnisi plurimo-

rimorum annorum ſpatio poſſunt. Secundo res eſt valdè urgens ſummique periculi, ut potè quæ ad præcipuum Religionis caput, & cultus Divini integritatem ſpectet. Tertiò ex tolerantia & diſſimulatione circa Confucii & Defunctorum cultus, multi Miſſionarii non parum animo & conſcientia angebantur. Quartò diverſa inter Miſſionarios ea de re ſententia & praxis ſcandalo & oblocutionibus, tum apud fideles, tum apud eos qui foris ſunt, locum præbebat.

183. His omnibus conſideratis Reverendiſſ. Dominus Maigrot ſui officii eſſe duxit graviſſimo huic malo, meliori qua poſſet ratione mederi, & proviſorio ſaltem Edicto quid ſequendum eſſet declarare, ratus nihil ſe præter ordinem facturum, ſi ea facultate uteretur, quæ ſingulis Vicariis Apoſtolicis competit, ut videlicet, in ſuo quiſque Vicariatu, de iis quæ ad Doctrinam & Diſciplinam ſpectant, pro emergentium caſuum neceſſitate, ſtatuat & decernat, prout declaratur in literis Apoſtolicis quibus Vicarii officium delegatur. Sperat & confidit Reverendiſſ. Dominus Maigrot fore ut S. Congregatio & Sedes Apoſtolica æqui bonique conſulat, quod præfato Edicto ſtatutum eſt, & non ſolum id non reprehendat, ſed potius definitivo judicio confirmet, & ad omnes Orientis Miſſiones extendat, nonnulla etiam expreſſius decernendo, & Decretum anni 1656. tanquam ſubreptitium, nullum, nulliuſque roboris eſſe declarando: quod quidem eo facilius ſperandum eſt, quod ut bene notavit Sanctus Bernar-

nar-

nardus Epiſtola 180. *Apoſtolica Sedes hoc ſolet habere præcipuum, ut non pigeat revocare quod à ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.*

SECTIO SECUNDA.

De tabellis Progenitorum defunctorum.

ARTICULUS I.

Examinantur quæ Obſervator objicit contra quintum caput Edicti Reverend. D. Maigrot de tabellis Defunctorum.

184. EX iis quæ præcedenti Sectione de cultu Progenitorum defunctorum dicta ſunt, ſatis defenditur quintum caput Edicti Reverendiſſ. D. Maigrot de tabellis eorumdem Progenitorum, quo prohibetur eas domi retinere, niſi ſublata inſcriptione: *Locus* ſeu *Sedes animæ Defuncti* aliiſque cautionibus ad removendam omnem ſuperſtitionem adhibitis. Breviter tamen Obſervatoris objectionibus in illud caput, reſpondebo.

185.* Primùm ſupponit per Decretum anni 1645. permiſſas fuiſſe iſtiuſmodi tabellas, modo non collocarentur in altari propriè dicto, etſi

* 2. *Part. Obſerv. in* 5. *Cap. Mand.* §. Inter alia.

etsi P. Joannes Bapt. Morales Sacræ Congregationi retulisset has vocari *Sedes animæ.*

186. Sacram Congregationem responsione sua permisisse istiusmodi tabellas pernego. Quæsierat Pater Joann. Bapt. Morales an liceret Christianis Sinensibus habere ejusmodi tabellas, quas dicunt esse *Sedes animæ Defuncti*, quæ collocatæ sunt in propriis altaribus cum rosis, candelis, lampadibus & odoramentis & ad quas existimant venire animas Defunctorum, atque in eis assistere, ad recipiendum sacrificia & oblationes. Respondit S. Congregatio omnino non licere habere illas tabellas in vero & proprio altari *Majoribus dicato, multo minus deprecationes & sacrificia eis offerre*: Quibus verbis S. Congregatio sat habuit propositæ quæstioni respondere, videlicet non licere habere istas tabellas in altari proprie dicto, multo minus eis sacrificia offerre, aut coram eis preces fundere: an vero easdem illas tabellas liceret habere in privatis domibus, coram eis genuflectere, cereos accendere, flores, legumina, aliaque edulia offerre, atque thura & odores cremare, cum de his interrogata non esset, nihil omnino respondit. Non solent Sacræ Congregationes, nisi ad ea de quibus consuluntur respondere, neque valet consequentia, ut si quid in casu proposito prohibendum definierint, in alio dissimili permisisse existimentur.

187. Idem fere dicendum de alia responsione quæ sequitur in eodem Decreto circa ceremonias exequiarum. Pro inviolabili more habent Sinæ, in domo Defuncti coram cadavere

vere mensam in modum altaris erigere, atque in ea imaginem Defuncti seu tabellam ejus, ut antea dictum est, nomine inscriptam collocare, cum ornatu florum, odorum & candelarum; ibique omnes qui ad condolendum veniunt, coram præparato altari & prædicta imagine Defuncti ter genuflectunt, capitibus usque ad terram demissis, aliquas candelas offerentes, & odoramenta ut in prædicto altari comburantur: quæsitum fuerat à Patre Joanne Morali, an licitum esset Christianis ista facere in exequiis Defunctorum. Respondit S. Congregatio *posito quod mensa parata sit quædam tabula, non autem verum & proprium altare, si cætera continentur intra limites obsequii civilis & politici, esse toleranda.*

188. Ubi advertendum responsionem esse tantum ex suppositione, & cum interposita conditione: *Posito*, inquit, *quod mensa sit quædam tabula, non autem verum & proprium altare*: ac deinde, *si cætera continentur intra limites obsequii civilis & politici*; quæ quidem conditio interposita, in medio relinquit illam quæstionem, an revera tabella sic inscripta: *Locus* seu *Sedes animæ Defuncti*, nihil habeat superstitionis atque idololatriæ, & an honores quibus colitur sint tantum civiles & politici, qua de re non libuit S. Congregationi judicium ferre. Unde patet nulla ratione inferri ab Observatore S. Congregationem hac sua responsione tabellas supradictas defunctorum permisisse aut approbasse.

289. Sane si verum est quod Joannes Morales in præcedenti quæsito exposuit, & fusè

an-

antea à nobis probatum eſt, Sinas in ea opinione eſſe, quod anima defuncti invitata oblationibus & precibus in eam tabellam adveniat, ibique aſſiſtat ut fruatur odoribus, aliiſque eduliis ſibi oblatis; fatendum omnino ſuperſtitioſum eſſe ejuſmodi tabellarum uſum, & Chriſtianis minime permittendum, niſi ſublatis his verbis: *Locus ſeu Sedes animæ defuncti*, aliiſque adhibitis cautionibus quas præſcribit Reverendiſſimus D. Maigrot, ut tabellæ illæ habeantur tantum velut imagines quæ Parentes in memoriam filiorum revocent. Quanquam adhuc melius videretur, illas omnino abolere, prout Reverendiſſimus D. Maigrot in ſua Expoſitione docet; & prout anno 1669. cenſuerunt duo Sancti Officii Conſultores à S. Congregatione delegati ad examinanda quæſita Patris Navarrettæ, videlicet Pater Laurentius Brancatus de Laurea Ordinis Sancti Franciſci, & Pater Joannes Bona Ordinis S. Bernardi, ambo poſtea S. R. E. Cardinales digniſſimi. Sic enim ad tertium quæſitum de ejuſmodi tabellis reſponderunt: *Ad tertium de tabellis in quibus Gentiles exiſtimant fieri præſentes animas defunctorum ad recipiendum oblationes &c. ut in dubio propoſito, dicimus eſſe illicitum Chriſtianis præfatas tabellas tenere, ſive in templis, ſive in privatis domibus, tam cum inſcriptione illa*, Thronus ſeu Sedes animæ, *quam ſine ea; & eſſe illicitum pariter eas cum Gentilibus aut ſeorſim venerari, vel oblationem aliquam eis exhibere, etiam ſecluſa falſa credulitate exiſtentiæ animarum in illis.*

ARTICULUS II.

De eodem argumento.

190. Quantumvis obſtrepat Obſervator, graviter accuſandus eſt Martinius, quod hanc tabellarum inſcriptionem : *Thronus* ſeu *Sedes animæ*, ſilentio prætererit, ſatque habuerit dicere in eis *defuncti nomen ſcriptum eſſe.* Hac reticentia & diſſimulatione id ſuppreſſit, quo maxime probantur eſſe ſuperſtitioſæ & à Sinenſibus haberi velut quoddam idolum, cum ad eas animam defuncti adventare, ibique requieſcere ad fruendum dooribus aliiſque ei oblatis exiſtiment.

191. Id ſenſit * Obſervator, verbaque illa, *Thronus ſeu Sedes animæ*, peculiarem habere difficultatem non ignoravit. Unde Sinica vocabula *Xingoey*, vel *Xin Chu* vel *Xin Goey*, expendit, & quid propriè ſignificent, longa oratione exquirit. Primùm notat priſcos Sinas dum Parentalia peragerent, habuiſſe in more puerum ſubſtituere, qui indutus veſtibus demortui hominis, eum, ac ſi vivus eſſet, repræſentaret; poſtea vero huic defuncti vivæ figuræ ſubſtituiſſe tabellam ſupradictis vocibus inſcriptam: deinde vero varias ex Libris Sinicis auctoritates affert ad probandum voces illas hoc unum ſignificare, iſtiuſmodi tabellis defunctos Majores, tanquam ſi præſen-

* *Ibid. Obſ.* 1. *per totum.*

ſentes adeſſent, in memoriam filiorum revocandos.

192. Verum quid juvat auctoritates illas; totque ſententias Sinicas in medium afferre? Compertum eſt Obſervatorem linguam Sinicam non callere, neminemque eſſe nunc Romæ qui illam calleat. Deinde quæcumque affert jam explicata & confutata ſunt in reſponſionibus Illuſtriſſimi Navarrettæ ad Apologias Patrum Fabri, & Brancati è Societate. Si ſat eſſet in hac cauſa ſententias & auctoritates Librorum Sinicorum proferre, poſſem S. Congregationi exhibere excerpta tractatûs à me jam ſæpe citati, quem compoſuit Pater Varo Miſſionarius Dominicanus linguæ Sinicæ peritiſſimus, ubi allatis plurimis Scriptorum Sinenſium auctoritatibus & teſtimoniis verba illa *Xingoey* & *Xin Chu* ita interpretanda demonſtrat, ut ſignificent Sinenſibus perſuaſum eſſe animas defunctorum tempore oblationum tabellis inſidere.

193. Neque audiendus * Obſervator, dum nos ad primam tabellarum illarum originem revocat; monetque eas juveni illi qui Defuncti perſonam in Parentalibus ſuſtinebat, ſucceſſiſſe; ut inde inferat nihil in ſua inſtitutione ſuperſtitioſi habuiſſe, & ſi quid poſtea mali, privatorum ignorantia & ſuperſtitione, irrepſerit, omitti poſſe, retento priſtino uſu tabellarum. Hac eadem arte oblationes Confucii & Progenitorum etiam ſolemnes, quantumvis ſuperſtitionis & idololatriæ plenas, defen-

* *Ibid.* §. Sciendum eſt.

defendere conatus eſt, ut ſupra obſervavi. Non quæritur inter nos, an hujuſmodi tabellæ in prima inſtitutione omni vitio caruerint, ſed an earum uſus licitus eſſe poſſit Chriſtianis, prout à multis retro ſæculis receptus eſt, & hocce tempore vulgo apud Sinas obtinet.

194. Si liceret rerum originem attendere, & mentis abſtractione, vel directione, quæ olim in eis bona & innoxia erant, ſpectare, vix ullus eſſet veterum Gentilium ritus, vix ullæ ceremoniæ, quibus abſtinere debuiſſent Chriſtiani. At inauditum in Eccleſia ut unquam fidelibus permiſſum fuerit, ea facere quæ in Ethnicis ſuperſtitioſa & idololatrica erant, tametſi fortè ab initio talia non fuiſſent; multo minus eorum feſtis aut ceremoniis aſſiſtere, eadem cum illis extrinſecus peragendo, ſed aliud intus in animo cogitando & ſibi proponendo. Hæc nunquam Apoſtolis, nunquam priſcis Epiſcopis aut fidelibus in mentem venerunt.

AR-

ARTICULUS III.

Quæstionis statum mutat Observator, ut multa in exequendo Reverendissimi D. Maigrot Edicto incommoda inveniat.

195. Quod quinto Edicti capite præscribitur, spectat solum ad tabellas Progenitorum, quas Sinæ apud se domi retinent, eas quotidie iteratis vicibus prono corpore salutantes, cereis accensis, cum thuris odore, & florum leguminum, aliorumque eduliorum oblationibus. Quid ad hæc * Observator, ut quod præscribit Reverendissimus D. Maigrot magnas habere difficultates, variisque obnoxium esse incommodis ostendat? Ad ea quæ in obsequiis mortuorum usurpantur orationem convertit. In iis quippe etiam ejusmodi tabellæ adhibentur, ut supra notavimus. Itaque contendit fore ut Neophyti in magnas & inexplicabiles difficultates incurrant, si tunc velint, ex præscripto Edicti, voces illas: *Thronus seu Sedes animæ*, è tabellis expungere. At vana est & inutilis hæc objectio, cum hîc tantum agatur de ejusmodi tabellis in privatis domibus non retinendis, neque adhibendis erga eas honoribus, de quibus modo dictum est. Reverendissimus D. Maigrot nihil de exequiis in Edicto suo statuit, neque etiam oblationes minus solemnes quæ singulis mensibus in ædibus

* *Ibid. Obs. 2. per totum.*

ædibus Sacris Defunctorum celebrantur expresse prohibuit, ob rationes jam supra allatas, tametsi neutram ex illis ceremoniis superstitione vacare putaverit.

196. At, inquit * Observator, solemnes oblationes quæ Vere & Autumno Progenitoribus fiunt, idcirco prohibuit Dominus Maigrot, *quod ante ejusmodi tabellam peragantur, in qua præsens esse credatur Mortui spiritus. Absque hoc foret*, pergit ille, *in his oblationibus nihil superstitionis cerneret, nihil quod sacrificium redoleat, vel civilis cultus modum excedat.*

197. Sic illi libuit Edictum Reverendissimi Domini Maigrot interpretari. At hanc esse mentem ac sententiam Reverendissimi D. Maigrot pernego. Tametsi ab ædibus Sacris defunctorum abessent ejusmodi tabellæ, oblationes illæ non desinerent esse superstitionis & idololatriæ plenæ. Num, amabo, à superstitione vacant jejunia, & continentia conjugalis quæ præmittuntur; victimarum, injecto in auriculas vino calido, sortitio; earum, præsente Patrefamilias, cædes, vinum in ipsa ceremonia libatum, caput capræ, aut porci oblatum, panni serici & nummi papyracei igne cremati, cæteraque à nobis relata, quæ verum exhibent sacrificium? Nihilne in tot ceremoniis, quod civilis cultus modum excedat, quodque viventibus Mandarinis atque aliis non offeratur? Qui hoc dixerit, aut multum fallitur, aut alios vult fallere.

198. Neque etiam sequitur permissas fuisse à

* *Ibid. Obs.* 2. §. Neque vero.

à Reverendiſſimo Domino Maigrot minus ſolemnes defunctorum oblationes, quæ ſingulis menſibus peraguntur, aut funebres exequiarum ceremonias, quod ſolum ſolemnes, quæ Vere & Autumno fiunt oblationes ſuo Edicto prohibuerit, ut antea explicatum eſt. Plane Obſervatori aſſentior, ſi tabellæ illæ ſunt ſuperſtitioſæ & genus quoddam idoli, debere eas prohiberi non ſolum in ſolemnibus oblationibus, verùm etiam in minus ſolemnibus & in exequiis, imo non permittendum Chriſtianis ut eas in privatis domibus retineant, niſi ſublata inſcriptione: *Thronus* ſeu *Sedes animæ*, aliiſque cautionibus adhibitis, quas Reverendiſſimus D. Maigrot præſcripſit, quod ut definitivo Sedis Apoſtolicæ judicio confirmetur flagitamus.

199. Hoc non placet Obſervatori ejuſque Collegis; rei quippe difficultate impediuntur, cum, inquiunt, hoc pacto ſalutis janua innumeris populis occludatur, quibus nunquam perſuaderi poterit ut ejuſmodi Progenitorum cultus abjiciant. Melius atque opportunius, pro benigno & indulgenti Societatis genio, exiſtimant hæc diſſimulare, atque ita interpretari, ut Neophyti etiam ſolemnibus defunctorum oblationibus, adhibitis quibuſdam cautionibus, liberè poſſint aſſiſtere.

200. Sancta Romana Eccleſia omnium fidelium mater à ſua pietate alienum putat, ejuſmodi indulgentiam adhibere erga eos quos in Sinum ſuum & in filiorum numerum admittit. Memoria retinet quid Chriſtus Dominus ad ſe venientibus denuntiavit, videlicet

vim ſibi ipſis faciendam, bonis, Parentibus, imo & propriæ vitæ renuntiandum ; arctam eſſe viam quæ ducit ad cœlum, neque patere niſi contendentibus in eam intrare : hiſque Evangelicis inſtitutionibus edocta, mavult fidelibus quid Chriſtiana profeſſio poſtulet, explicare, quam multos nomine Chriſtianos habere, qui adhuc ſuperſtitionibus & idololatriæ ſint addicti.

SECTIO TERTIA.

De nominibus Xangti (Supremus Imperator) & Tien (*Cœlum*), an adhibenda ſint apud Sinas ad ſignificandum Deum Optimum Maximum.

ARTICULUS I.

De hac quæſtione Patres Societatis inter ſe non conveniunt.

201. PAter Procurator Generalis Societatis in ſupplici Libello Sanctæ Congregationi contra Edictum Reverendiſſimi Dom. Maigrot exhibito diſertè ait, primum hujus Edicti caput de prohibendo vocabulo *Xangti*, ad ſignificandum Deum, eſſe omnino ſupervacaneum, cum jam à ſexaginta annis Societatis religioſi idem vocabulum ſupprimen-

mendum in ea ſignificatione judicaverint. Sed præſtat ipſamet ejus verba Italica hîc referre: *Il primo Capo dell' Editto che proibiſce la parola* Xangti, *è coſa del tutto ſoverchia, atteſo che già ſeſſant' anni ſono, fù eſpreſſamente ſtabilito dà Religioſi della Compagnia di non valerſi in alcun modo di tal vocabulo per ſignificare il nome di Dio, come poi ſi è ſempre pratticato, anche dagli altri Religioſi, e da tutti i Cattolici, che ſi ſervono ſolo del nome di* Tien Chu, *come ammette lo ſteſſo Monſignore Maigrot, affermando che tal nome è ricevuto per longo uſo: onde non ſi vede ragione di parlare di una coſa, che è ſenza difficoltà; ſalvo meramente trà i Gentili, a' quali non s'eſtende l'Editto.*

202. Poſt tam expreſſam Procuratoris Generalis declarationem, quis non miretur * Obſervatorem nunc ejuſdem Societatis nomine contra idem Caput Edicti, pro conſervandis vocibus *Xangti* & *Tien*, totis viribus decertare, tametſi concedat vocabulum *Tien Chu*, tanquam communi jam uſu receptum ſæpius uſurpandum? Societatis Scriptorem ea in re à Procuratore Generali diſſentire, atque eorum verba nulla ratione inter ſe conciliari poſſe nemo negaverit.

203. Et vero vetus eſt, hoc in Capite, Jeſuitarum diſſenſio, quæ initium ſumpſit à duobus primis Sinicæ Miſſionis Præfectis, Patre Mat-

* 2. *Part. Obſ. in ſingula Mand. Capita per totum.*

Mattheo Riccio & Succeſſore ejus Patre Nicolao Longobardo. Riccius qui anno 1581. in Sinam penetravit, poſtquam non ſine diuturno & improbo labore Sinicam linguam didiciſſet, ex lectione veterum ejuſdem gentis Philoſophorum, priſcos Sinas verum Deum agnoviſſe, & ſub nomine *Xangti* adoraſſe, perſuaſum habuit, qua in opinione per longos annos uſque ad mortem perſeveravit, eamque ſua auctoritate cæteris è Societate Miſſionariis, qui ei in excolenda hac Domini vinea primi adjutores fuerunt, perſuaſit. Longobardus anno 1596. Sinam ingreſſus in addiſcenda lingua Sinica multum laboravit, & in legendis Sinenſium libris diu verſatus eſt: qua ex lectione deprehendit ſententiam Patris Riccii parum eſſe certam, multoque verius videri priſcos Sinas ac Philoſophos, ſicut & eorum diſcipulos, ſucceſſu temporis uſque ad hanc noſtram ætatem, per *Xangti* nihil aliud intellexiſſe præter cœlum materiale ſeu ſubtiliſſimam materiam & quandam quaſi quintam eſſentiam, quam ***Li*** ſive ***Tai Kie*** appellabant, quæ per univerſas mundi partes diffunderetur, & in præſtantioribus ejus naturis cùm cœleſtibus, tum terrenis maxime vigeret. Unde conſequens eſt, nunquam eos veros ſpiritus à materia ſeparatos agnoviſſe, ſuppoſito tanquam fundatiſſimo ſuæ Philoſophiæ principio, ***omnia unum eſſe***; quæ fuit etiam ſententia Democriti & Epicureorum, quam noſtra hac ætate impius Spinoſa in monſtruoſis ſuis operibus iterum in lucem revocavit.

204. Longobardus, cùm Riccio in Missionariorum Societatis præfectura anno 1610. successisset, magis magisque in opinione concepta animum obfirmavit, atque etiam eruditissimum de ea tractatum composuit, quem Illustrissimus Navaretta 1. Tomo Operum suorum typis evulgavit. Hanc Longobardi sententiam apud Societatis Missionarios invaluisse ex eorum conventu anno 1628. in Civitate *Kiating* celebrato, patet. * In primo quippe articulo statuunt Regem alti sive *Xangti* quem secta Literaria prædicat, non esse verum Spiritum. *Siquidem*, inquiunt, *Sinæ veros spiritùs non agnoscunt, sed solum vim operativam seu influxum Cœli ad producendum res universas, quasè Cœlo seu Taikie ortum ducere existimant.*

205. Anno 1629. proximè sequenti Pater Palmeirus Sinensium Missionum Visitator, Missionarios Societatis de significatione vocabuli *Xangti* diffidentes reperiens, ut eos inter se conciliaret, prohibuit ne quis in posterum ea voce ad significandum Dei nomen uteretur. Verum postea Jesuitæ sententiam Riccii propagationi fidei magis commodam arbitrati, usum vocabuli *Xangti* revocarunt, spreto ac rejecto Longobardi tractatu, cujus lectione cum plurimi commoverentur, dicitur Pater Franciscus Hurtado Viceprovincialis anno 1645. eum flammis condemnasse, ut narrat Reverendiss. D. Maigrot in Expositione versus finem §. 3. *Observatione dignum.*

AR-

* *Navarretta tom. 2. p.* 110.

ARTICULUS II

Variæ considerationes circa vocabula Xangti, Tien & Tien Chu.

206. Inter omnes jam convenit, nomina Europæa ad ſignificandum Deum apud Sinas non eſſe inducenda, tum quia characteribus ad illa exprimenda careant, tum quia in eorum mente nullam rei ſignificatæ ideam excitare valeant. Unde ſapientiſſimè Pater Matthæus Riccius aliique primi Miſſionarii jam ab initio vocabulum *Tien Chu*, *Dominum Cæli*, ad ſignificandum Deum, ſelegerunt, cum notione ſua mentem excitet ad cogitandam ſubſtantiam aliquam excellentem, & Cœlo, id eſt rei, Sinarum judicio, præſtantiſſimæ præpoſitam.

207. Id ſolum in quæſtionem venit, an præter vocem *Tien Chu* jam apud omnes Chriſtianos in Sina uſu receptam, admittendæ ſint etiam voces *Xangti* & *Tien* ad ſignificandum Dei nomen: qua in re primum contendit Obſervator docendos in China Chriſtianos, ut Deum compellent non unica voce Sinica, ſed pluribus, idque, inquit, Apoſtolorum exemplo, qui inter Græcos & Latinos, etſi voce *Θεὸς*, aut *Deus* ut plurimum uſi ſint ad ſignificandum ſupremum numen, alias tamen & quidem multas adhibuerunt, vocando illum *Regem Regum*, *Dominum Dominantium*.

208. At hæc ratiocinatio nihil probat. Agitur

gitur enim de ſtatuendo ſpeciali ac proprio Dei nomine, non vero an admittenda ſint etiam nomina generalia, quæ verborum circuitu illum ſignificent, variaque ejus attributa deſignent, qualia ſunt Rex Regum, Dominus Dominantium, & ſimilia. Cum autem unitas ſit ex primis magiſque neceſſariis Supremi Numinis perfectionibus, præcipuumque religionis fundamentum, ſatius ac rationi convenientius videtur, ut in unaquaque lingua unum ſit proprium ac peculiare ejus nomen, quale & Græcis Θεὸς, & Latinis *Deus*. Unde Apoſtoli primique eorum Succeſſores uno Dei nomine contenti, plura alia apud Gentiles, quibus Evangelium annuntiabant, non induxerunt: idque hodie dum in omnibus linguis vulgaribus obſervatur.

209. Sola lingua Hebraica præter nomen Tetragrammaton *Jehova*, quod ineffabile appellabant, quodque erat velut proprium Dei nomen, plura alia ad ſignificandum Deum adhibebat, videlicet, *Elohim*, *Adonai*, *El*, *Ja*, quæ cum initio introducta eſſent ad notanda varia Dei attributa, poſtea ejus quaſi propria fuerunt, & communiter ad ſupremum numen ſignificandum uſurpari cœperunt, ut patet ex pſalmis, aliiſque Veteris Teſtamenti libris. Sed id peculiare fuit linguæ Sanctæ, nulliuſque periculi apud Judæos, quibus univerſa Lex Deum eſſe unum prædicabat: verum hæc nominum Dei multitudo nunquam locum habuit apud Græcos, & Latinos, alioſve Ethnicos, qui ſuſcepto Evangelio Eccleſiæ aggregati ſunt.

210. Infirmum prorſus ac debile eſt quod pro commendando nomine *Xangti* affert Obſervator, videlicet Fundatores Nationis Sinicæ primoſque Sectæ Literariæ Auctores verum ac vivum Deum agnoviſſe; atque eum nomine *Xangti* appellaſſe; hanc veri Dei cognitionem per duo & tria annorum millia perſeveraſſe apud Sinas, nec niſi longo poſt tempore apud pleroſque Literatos obliteratam fuiſſe, qui per vocem *Xangti* nihil amplius intellexerunt, quam cœlum materiale, unde in Atheiſmi barathrum prolapſi ſunt.

211. Hæc nituntur ſola auctoritate Patris Riccii & ſequacium ejus, qui hoc modo antiquorum Sinenſium libros vulgo dictos claſſicos interpretantur, in quibus aliqua occurrunt quæ in hunc ſenſum torqueri poſſunt. Verum cum ejuſmodi libri ſint obſcuri & in multis ænigmati ſimiles, ratio & æquitas poſtulare videntur, ut eorum explicatio & intelligentia petatur ex commentariis quos Sinæ Literati, tum primis illis temporibus, tum poſtea tot ſæculorum ſpatio ediderunt, quorum videlicet commentariorum tanta eſt auctoritas, ut nonnulli eorum veteribus illis claſſicis libris æquiparentur. Atqui omnium illorum commentariorum communis eſt doctrina, per *Xangti* intelligendum cœlum materiale, ſeu efficientem quamdam ejus virtutem, quam diximus *Li* vel *Tai Kie* appellari; & de veris ſpiritibus atque animarum immortalitate altum apud illos ſilentium.

212. Et quidem ea eſt adhuc hocce tempore

pore omnium Literatorum ſententia, ſi paucos excipias Chriſtianos qui Patri Riccio aſſentientes, ſpretis commentariis, veteres libros claſſicos ſenſu ad Chriſtianam veritatem accommodato benigne interpretantur. De hodierno Sinarum Imperatore, & quibuſdam aliis inter Mandarinos Literatis, an verum & vivum Deum ſub nomine *Xangti* agnoſcant, ſequenti articulo expendemus.

213. Prudentes autem & æqui Lectores conſiderent an veriſimile ſit, Patri Riccio paucisque aliis in Sinam ex Europa advenis veterum librorum Sinenſium atque ipſius Confucii ſenſum & doctrinam melius perſpectam fuiſſe, quam innumeris commentariorum Scriptoribus ac Literatis Sinenſibus, qui immenſo tot annorum ſpatio hanc Philoſophiam excoluerunt, & Confucium pro communi Magiſtro habentes, ejus libros aſſidue & magna cum diligentia evolverunt.

214. Præterea ex hoc Riccii atque Obſervatoris Syſtemate ſequeretur, antiquos Sinas per duo & amplius annorum millia verum ac vivum Deum agnoviſſe & adoraſſe; propemodum ſicut eum agnoverunt & adoraverunt Abraham, Iſaac, Jacob, Melchiſedech: id quod nullatenus cum Sacra Bibliorum Hiſtoria congruit, quæ docet idololatriam jam tempore Abrahami valde communem fuiſſe, etiam in Provinciis vicinioribus locorum ubi Noë ejuſque filii ac nepotes ſedes ſuas fixerant; ætate vero Moyſis non ſolum totam Ægyptum, ſed omnes latè regiones innundaſſe; ſi Abrahami & Lothi poſteros, nem-

pe Madianitas, Moabitas, Ammonitas excipias, apud quos utcumque veri Dei cultus perſeveravit. Dixi utcumque; nam de Moabitarum & Ammonitarum idololatria mentio jam ſub primis Judicibus habetur, Jud. 10. v. 6. id eſt de idolo Chamos proprio Moabitarum, & de Idolo Moloch proprio Ammonitarum, prout nominantur 3. Reg. 11. v. 5. & 7.

215. Nihil obſtat quin veteres Sinæ Perſarum, qui ſolem & ignem adorabant, ſimiles fuerint. Utrique proprie non erant Athei, ſed idololatræ, cum Supremi Entis ideam rebus corporalibus, quas præſtantiſſimas agnoſcebant, affigerent. Neque vero apparet quonam privilegio tota Sinenſium natio ad duo vel tria annorum millia, veri numinis notitiam retinuiſſet, dum omni ſcientiarum genere cultiſſimæ doctiſſimæque Nationes, ut Chaldæi, Ægyptii, Græci ac Romani offuſis idololatriæ tenebris, à cognitione & cultu Dei aberrabant.

216. Ultra adhuc progrediuntur recentiores Societatis Scriptores. Si enim eis fides adhibeatur, plures ex antiquis Imperatoribus Sinenſibus virtutes omnes morales & politicas cum veri numinis notitia & cultu conjunxerunt. Confucium in primis Philoſophum tanquam virum omni virtutum genere ornatiſſimum nobis exhibent, ac fere ut beatum in cœlo collocant. Atqui in ejus libris nuper editis nihil penitus occurrit, ex quo conjicias eum futuri Meſſiæ aliquam notitiam habuiſſe, cum tamen poſt Adami lapſum, nemo

mo sine fide Redemptoris æternam salutem obtinere potuerit.

ARTICULUS III.

An hodie multi sint Literati Sinenses qui veri numinis notitiam habeant.

217. * Observator Patris *Bouvet* & Patris *Le Comte* Jesuitarum auctoritate ac testimonio nixus, supponit multos hodie esse Literatos Sinenses; qui verum Deum agnoscunt; & qui relictis commentariis à quingentis aut sexcentis annis in lucem editis; antiquos Libros classicos & Confucii scripta; eodem; ac Pater Riccius; sensu explicant: affirmat nominatim Imperatorem *Cambi* Tartarum hodie regnantem nequaquam esse Atheum; per *Xangti* Deum vivum & verum intelligere; eique singulis annis *pro suo munere Pontificis religionis totius Imperii*; sacrificare; ipsum denique molestissimè laturum; si sensus Atheismo faventes sibi tribui resciret.

218. Quæ hanc in rem à Jesuitis afferuntur, parum firma aut probabilia videntur. Sanè constat hunc ipsum Imperatorem tanquam Sectæ Literariæ Principem nonnullos de Sinica Philosophia libros composuisse, in quibus de cœlo & subtilissima ejus parte, quam *Li* seu *Taikie* vocant, eodem prorsus modo disputat, ac Scriptores qui à quadringentis aut quingentis annis commentarios ediderunt; cæterique hujusce

* 2. *Part.* *Obs.* 3. §. Quare tertio.

jusce temporis Literati; ita ut non minus quam illi Atheus esse videatur, id est alienus ab agnoscenda substantia aliqua spirituali, cujuscumque materiæ aut corporis experte. Hanc rationem urget Reverendissimus D. Maigrot in sua Expositione circa medium §. 3. *Imperator* & §. *Verbum quod*, & eam quoque probat Pater Augustinus à Sancto Pascale Missionarius Ordinis Sancti Francisci in scripto cujus exemplum autenticum habeo.

219. Præterea idem Imperator singulis annis publicè cœlo sacrificat pro suo munere Pontificis religionis totius Imperii, ut loquitur Pater Bouvet in sua ad Observatorem epistola, iisdem prorsus ceremoniis, eodemque ritu, atque alii Imperatores Sinenses ejus prædecessores, præteritis sæculis, sacrificarunt. Deinde illud sacrificium offert tanquam Literariæ Sectæ Princeps, atque adeo non alia mente, non alio religionis sensu, quam cæteri Literati & Mandarini Regii Comitatus, qui illum in ea functione assectantur, ita ut cœli nomine non aliud, quam cœlum materiale seu efficientem ejus virtutem, intelligere censendus sit.

220. Si quando itaque idem Imperator, & nonnulli ex ejus Ministris vel aulicis in familiari cum Patre Bouvet aliisque Jesuitis congressu, significarunt se iis de existentia & natura Dei assentiri, credibile est id eos fecisse, ut Philosophiam suam commendarent, ad quam Patres Societatis se se in multis accommodare libenter vident.

AR-

ARTICULUS IV.

De eodem argumento.

221. Etsi Observatori concederem, tum antiquos Sinenses, tum aliquos etiamnum ex Literatis per *Xangti* verum ac vivum Deum intelligere; non inde sequeretur idem illud vocabulum nunc à Christianis eadem significatione usurpandum, quod sequentibus rationibus patebit.

222. Primò quam longissime spatium illud temporis, quo antiqui Sinæ verum Deum agnovisse & coluisse dicuntur, extendas, vix ultra primum æræ Christianæ sæculum producitur, quo tempore Secta idololatrarum dicta *Foe*, ex Indiis orta in Sinam ingressa est, anno ut creditur, Christi sexagesimo quinto: ab illo enim tempore ut ait Illustrissimus Lopez in Prologo sui Tractatus, & Pater Intorcetta in vita Confucii, Literati, ut hujus Sectæ, quæ alteri Magorum dictæ *Tao*, conjuncta multum invalescebat; progressum impedirent, à pristina doctrina de Deo, & animæ immortalitate recesserunt, ac paulatim in impietatem & Atheismum devenerunt. Itaque juxta hanc computationem, fere à mille & quingentis annis vocabulum *Xangti* apud Literatos Sinenses verum Deum non significat: quod si admittatur, concedendum etiam non expedire ut Christiani Sinenses ejusmodi vocabulum, diversa plane significatione, ab

ea quam per tam longum temporis ſpatium obtinuit, adhibeant. Neque juvat objicere non à tanto tempore, ſed à quadringentis, aut ut multum, quingentis annis Literatos Sinenſes à Majorum ſuorum doctrina degeneraſſe & in Atheiſmum delapſos eſſe. Id enim ad quæſtionem de qua agitur nihil refert, cùm æque certum ſit uſurpari non debere vocem *Xangti* ad ſignificandum Deum, ſive plura, ſive pauca ſæcula numerentur, ex quo deſiit in Sina hanc habere ſignificationem.

223. Secundò tametſi cum Jeſuitis ſupponeretur aliquot nunc eſſe Literatos Sinenſes qui verum Deum agnoſcant & nomine *Xangti* deſignent, negari non poteſt, quin reliqui hoc eſt totum Literatorum corpus, imo & univerſa Sinenſium Natio hoc nomine intelligant cœlum materiale, ſeu efficientem ejus virtutem, quam ſignificationem jam à quadringentis, ut minimum, annis obtinet. Jam vero quis dubitat, quin verba vim ac ſignificationem ſuam ex publico ac præſenti uſu accipiant, non vero ex quorumdam privatorum acceptione aut ex vetuſtiſſimo uſu, cujus vix memoria ſuperſit?

224. Tertio non juvat ſi dicas cum Obſervatore conſtare apud Sinas per hanc vocem *Xangti* non intelligi cœlum materiale à Chriſtianis, ſed Deum Opt. Max. id eſt ſubſtantiam ſpiritualem cujuſcumque materiæ expertem omniumque Creatricem & Gubernatricem. Nam 1. apud plebeios Sinenſes, imò & pleroſque Literatos, non ita notum ac pervulgatum eſt, quid fides Chriſtiana de divi-

næ

næ essentiæ spiritualitate doceat, quin facile in eo errare possint, existimantes vocem *Xangti* non aliud apud Christianos, quam apud se significare. 2. Cum valdè in suo sensu abundent, peculiarique hujus nationis vitio eâ sint arrogantiâ, ut vix quicquam ab exteris discere velint, facile contingeret, ut vocem *Xangti* ex ore Christianorum & Divini Verbi Ministrorum audientes, sibi in animum inducerent, nos non aliter atque ipsi solent, Deum intelligere, & cogitatione comprehendere; præsertim cum experientia constet quàm difficile sit mentem à corporalibus rebus abstrahere, & substantiam mere spiritualem animo percipere. Non potest itaque sine maximo incommodo vox ista usurpari à Christianis, diversa prorsus significatione, ab illa quæ ad apud Sinenses communis est. Hac verborum communicatione accedendo ad Literatos, non lucrum, sed damnum facerent Christiani. Non enim id agitur, ut relictis erroribus, facilius illi ad nos transeant, sed potius ut nos falsas eorum de Deo opiniones probare videamur. Uno verbo scandali & confusionis erit occasio, si ad significandum Deum eam vocem usurpemus, qua ipsi ad sui Atheismi professionem utuntur.

ARTICULUS V.

Objectiones contra suppressionem vocis Xangti *expenduntur.*

225. Objicit * Observator, si vox *Xangti* excludi debet ex eo quod Literati cœlum materiale per hanc vocem significent, debere excludi quoque vocem *Tien Chu*, cùm sint multi apud Sinas idololatræ qui sub illa voce plurima venerantur.

226. Facilis est responsio. Si quid ambigui sit in voce *Tien Chu* ob variam significationem quam habet apud idololatras seu Bonziorum Sectam, nullum inde periculum est nullaque difficultas Christianis, quibuscum Bonzii & idololatræ nihil pene habent commune. Eamdem quidem vocem aliquando adhibent Literati ad significandum cœlum materiale, tanquam omnium corporum præstantissimum. Verum id rarius contingit: fere semper ea significatione vocem *Xangti* usurpant. Cum itaque, prout inter omnes convenit, ad significandum Deum adhibenda sit vox Sinica, rejectis Europæis nominibus, ob rationes supra allatas, omnino opportunum atque expediens videtur ut vox *Tien Chu*, jam à principio à Christianis adoptata, & apud eos communi usu recepta, retineatur, spreta illa ejusdem vocis ambiguitate, quæ nullius est momenti.

227.

* 2. *Part. Obs.* 3. §. Quia secundo.

227. Alia objectio * Observatoris est, quod in libris permultis, jam à principio Missionis editis Deus Opt. Max. sæpe fuerit vocatus *Xangti*, qui quidem libri per omnes Sinensis Imperii Provincias ab omnibus passim leguntur, tam Christianis, quam infidelibus: unde ejusmodi libros supprimere frustra quis conaretur; eorum autem lectionem Christianis interdicere, nimis durum atque incommodum esset.

228. Respondeo duo esse genera librorum, in quibus vox *Xangti* ad significandum Deum occurrit. Alii dedità operà compositi sunt ad probandum id quod voce *Xangti* apud Literatos significatur, esse Deum Opt. Max. quem adoramus, adeoque vocem illam eadem significatione apud Christianos retinendam: alii sunt in quibus de ea quæstione siletur, sed simpliciter ea vox ad significandum Deum aliquando usurpatur. Quod ad priores libros spectat, qui non ita magno numero sunt, nihil incommodi timendum videtur, si eorum lectio Christianis interdicatur, quæ non nisi damno & fraudi eis esse potest, posito quod per vocem *Xangti* Sinæ tantum cœlum materiale seu vim ejus efficientem intelligant.

229. De aliis verò libris ubi simpliciter vox *Xangti* ad significandum Deum usurpatur, non videtur quod supprimendi sint, aut eorum lectio Christianis sit interdicenda, modo moneantur retinendam esse solam vocem *Tien Chu*, neque licitum fore imposterum in libris ad eorum usum publicandis aliam adhibere.

230. Quin & illud notandum in Sina typogra-

* *Part.* 2. *Obs.* 2. §. Quarta ratio.

graphorum formas, editis libris, non rumpi, sed integras ad sequentes editiones conservari; unde non ita difficile esset, mutatis locis ubi vox *Xangti* occurrit, novas procurare editiones librorum saltem magis necessariorum, quales sunt Catechismi, Horæ divini officii, precationum Libelli, & similes, si qui tamen ejusmodi adhuc cum voce *Xangti* reperiantur; idque eo facilius fieret, quod librorum editio apud Sinas parvo sumptu constet.

ARTICULUS VI.

De Vocabulo Tien (*Cœlum.*)

231. Postquam Reverendissimi Domini Maigrot Edictum circa vocabulum *Xangti* contra Observatorem defendi, inutile ac supervacaneum esset de vocabulo *Tien*, fusius disputare. Nam si vox *Xangti* (*Imperator Supremus seu Rex Altus*), qua quidquid est in Astris aliisque corporibus cœlestibus subtilius nobiliusque indicatur, ad significandum Deum, ob rationes supra allatas, adhiberi non debet; multo minus adhibenda est vox *Tien*, quæ cœlum in genere, id est omnes globos cœlestes, omniaque astra significat, cum dumtaxat nobilissimam excellentissimamque visibilis hujus mundi partem designet, quam idcirco veteres Persæ, sicut & Sinenses, divinis honoribus dignam esse putaverunt.

232. Neque hic velim omittere cultum illum

lum cœli apud Sinas rem esse adeo certam & publicam, ut inter notissimas hujus Nationis consuetudines numeretur in libro Italico recens edito. Is liber, qui dum hæc scriberem, in manus meas incidit, inscribitur: *Notizie varie dell' Imperio della China in Firenze* 1697. adjunctæ sunt aliquæ epistolæ Patris Joannis Grueber Missionarii è Societate, qui è Sina anno 1662. rediit, ubi inter alia loquens de Tartaris qui Sinam occuparunt pag. 88. hæc habet: *Tartari sunt ejusdem religionis cum Sinensibus, adorantque omnia idola Sinensium ac maxime cursum cœli & planetarum, cui multum adscribunt.* Ex quo patet Patrem Grueber pro certo habere, Sinenses esse idololatras, ac cœli astrorumque cursui magnam virtutem, adeoque & divinitatem tribuere: id quod sine dubio de Literatis Sinensibus intelligendum, cum Tartarus Imperator qui hodie regnat, cæterique Tartari ejus Ministri Sectam Literariam sequantur, nihilque cum duabus aliis Sectis, idololatrarum videlicet & Magorum, commune habeant.

SECTIO QUARTA.

De Secundo Capite Edicti Reverendissimi D. Maigrot circa tabellas inscriptas KING TIEN, id est, cœlum colito.

ARTICULUS I.

Jure merito interdictum à Reverendissimo D. Maigrot ne in Ecclesiis & super altare collocentur tabellæ cum hac inscriptione: cœlum colito.

233. QUæ præcedenti Sectione de vocibus *Xangti* & *Tien*, & de Literatorum Sinensium Atheismo seu Idololatria dicta sunt, sufficere possent ad defendendum secundum Caput Edicti Reverendissimi Domini Maigrot, quo Christianis usum tabellarum prædictarum interdicit, ac nominatim prohibet ne in Ecclesiis appendantur, aut supra Altare collocentur.

234. Si enim constet Literatos Sinenses à quadringentis saltem aut quingentis annis per vocem *Tien* cœlum materiale intelligere, cui tanquam rerum omnium visibilium excellentissimæ maximum honorem seu cultum deferendum putant; si hodiernus Imperator tanquam

quam Literariæ Sectæ Princeps, & totius Nationis primarius Pontifex eidem cœlo, non alio ritu, aliisve ceremoniis, quam prædecessores ejus Imperatores, publice sacrificat; necessario sequitur idololatricas esse ejusmodi tabellas, neque ab ea labe purgari posse, quod alio sensu à Christianis intelligantur; quasi verò vocis *Tien* significatio mutata sit, quod Imperator & aliqui alii Mandarini Literati Jesuitis in familiari congressu dixerint, se per istud vocabulum Dominum Cœli & Terræ, seu Deum Opt. Max. quem Christiani prædicant, intelligere.

285. Quando Imperator unam ex ejusmodi tabellis in qua propria manu scripserat *King Tien*, *Cœlum colito*, Jesuitis Pekinensibus dono dedit, non quo sensu se verba illa intelligere dixit, sed quo à Literatorum Secta totaque natione accipiantur, attendere oportebat. Quapropter consultius fecissent Patres Societatis, si donum istud apud se retinuissent, ut benevolentiæ & amoris pignus, quo eos Imperator tanquam Mandarinos Mathematicos, & in aula sua conficiendo quotannis Kalendario præfectos honorare voluit. At hoc honore non contenti, adinstar illius tabellæ plures alias effingi curarunt, easque aliis Jesuitis in Provincias miserunt, ut in eorum Ecclesiis & super altare collocatæ publico cultui exponerentur; qua in re verendum est ne studio obsequendi Imperatori, ejusque gratiam magis ac magis promerendi, non satis quid Christianæ Religioni congruerat, attenderint.

286. Observator * retinendam esse vocem *Tien* ad significandum Deum hac ratione probare conatur; videlicet quod sit satis frequens in nostris etiam scripturis hæc figura, qua ad exprimendum Deum continens ponitur pro contento, sive Cœlum pro Deo Cœli, quam in rem varios locos ex Scriptura Sacra adducit. Sed hæc in casu præsenti nihil omnino probant, cùm significatio vocis *Tien* ex publico usu & doctrina communi Literatorum Sinensium certam significationem habeat, quam nequidem per translationem verbi mutare licet ob periculum ambiguitatis in materia adeo gravi. Ejusmodi figura qua continens pro contento ponitur valet ad explicandum Sacræ Scripturæ locos, aut etiam has vulgares Christianorum locutiones, è Cœlo expectandum esse adjutorium, Cœlum tantam injuriam inultam non dimissurum, plurésque alias similes; sed frustra adhibetur ad explicandam vocem quæ apud universam nationem Sinensium & Literariam Sectam, significat ipsum Cœlum materiale tanquam omnium corporum præstantissimum, præter quod nullam aliam excellentiorem substantiam agnoscunt.

237. Hinc etiam patet falsam esse ratiocinationem † Observatoris, dum vocem *Tien* cum voce Latina *Deus* comparat, quam Apostoli non repudiarunt ad significandum supremum numen, tametsi ea Gentiles abute-

* *Part.* 2. *Obs.* 4. §. Ratio secunda. † *Part.* 2. *Obs.* 2. *in* 2. *Cap. Edicti* §. Sicut ergo.

terentur ad significandum Jovem aliosque falsos Deos. Non enim eadem est ratio vocis *Tien*, nisi manifesta petitione principii supponas hac voce Deum significari tum apud omnes antiquos Sinenses, tum etiam hocce tempore apud plerosque Literatos. At res contrario plane modo se habet. Vox *Tien* à longissimo jam tempore, ut de antiquis Sinensibus hîc sileam, apud Literariam Sectam & in tota Sina non est appellativum supremi numinis nomen ut apud Latinos *Deus*, sed dumtaxat materiale Cœlum tanquam mundi præstantissimum corpus summo ac peculiari honore dignum, significat; unde idoli loco eis est, haud secus ac Græcis & Latinis Gentilibus Jupiter fuit. Quapropter haud abs re Reverendiss. D. Maigrot in sua Expositione, hæc verba *Cœlum colito*, his verbis *Jovem colito*, confert, præsertim cum Jupiter, secundum etymologiam idem sit ac juvans Pater, quo nomine credibile est veteres Latinos Cœlum intellexisse, quod influxu suo inferiora corpora juvet ac foveat.

238. Denique quantumvis in Scriptura Sacra & in vulgari Christianorum sermone receptum sit Cœli nomine Deum intelligere, attamen si quis tabellam construeret his verbis inscriptam: *Cœlum colito*, eamque in altari collocaret, ut ab omnibus videretur & coleretur, nemo est qui illam, tanquam Religioni contrariam non respueret. Eam Episcopi aut alii Superiores Ecclesiastici juberent amoveri, & si quid tale Romæ contingeret, S. Congregatio S. Officii adversus hujus no-

vit-

vitatis reos inquireret, eosque debita pœna afficeret. Quid igitur censendum de iisdem tabellis in Sina, ubi Literatorum Sectæ solemne est hæc ipsa verba, *Cælum colito*, ad significandum cultum suum idololatricum adhibere? Nonne qui ejusmodi tabellas in Ecclesiis super altare collocant, veritatem cum errore, lucem cum tenebris, Christum cum Belial conjungunt? Nonne Religio Christiana infidelium sannis & irrisioni objicitur, ubi viderint ab Evangelii Ministris & Prædicatoribus adoptari & publico usu consecrari ea ipsa verba, quibus ipsi idololatriam suam seu Atheismum exprimere solent?

ARTICULUS II.

Expenduntur utilitates quas ejusmodi tabellæ dicuntur habere ad fidem Christianam inter Sinas confirmandam & propagandam.

239. Longè aliter ac Reverendiss. D. Maigrot, de hisce tabellis censet * Observator. Si hunc audiamus, non solum nihil Christianæ fidei contrarium continent, sed aptissimæ sunt ad destruendam in Sinis idololatriam, & ad propagandam Evangelii prædicationem.

240. Rem ita se habere valde optandum esset. Omnes illas tabellas laudarent, & Jesuitarum zelum ac prudentiam in eis admittendis

* 2. *Part. Observat.* 3. *in* 2. *Cap. Mand.* §. Primo & seqq.

tendis & ſuper Altare collocandis prædicarent. At dolendum quod tot præclaras tabellarum utilitates non alia ratione probet Obſervator, quam quod exiſtimet antiquos Sinas per tria circiter annorum millia verum Deum ſub nomine *Xangti* agnoviſſe & coluiſſe, multoſque aſſerat adhuc eſſe inter Literatos qui eundem verum Deum cognoſcant, neque inter Atheos; neque inter idololatras numerandi; atque ex iis eſſe hodiernum Imperatorem multoſque ejus Miniſtros ac Mandarinos. At hæc omnia valde eſſe incerta, vel potius omnino vana & falſa ſupra demonſtratum eſt.

241. Univerſa Literatorum Natio, fatentibus Jeſuitis ipſoque Obſervatore, à quadringentis vel quingentis annis in Atheiſmum delapſa eſt, non aliud rerum omnium principium agnoſcens, præter Cœlum materiale, atque ab eo tempore omnes eorum Scriptores in ſuis commentariis eodem hoc ſenſu libros Claſſicos, & Confucii, quem tanquam communem Magiſtrum venerantur, doctrinam, nullo contradicente, interpretati ſunt.

242. Quæ de hodierno Imperatore & nonnullis ejus Mandarinis dicuntur, ſolo Patrum *Bouvet* & *le Comte* teſtimonio nituntur, ut jam obſervatum eſt. Aiunt ſe ex colloquiis cum hoc Imperatore ſæpè habitis, certos eſſe, eum minime eſſe Atheum, ſed nomine *Xangti* verum Deum, quem Chriſtiani prædicant, agnoſcere. Luditur in ambiguo vocis Athei: Imperator *Cambi* non eſt Atheus, quo ſenſu hoc nomen ſumitur apud Europeos & Chriſtianos,

ſtianos, ut ſignificet eum qui nullum numen aut primum rerum omnium principium agnoſcit. At alio ſenſu Atheus dicendus eſt; quod utramque idololatrarum & Magorum Sectam; quæ varia numina agnoſcit, abhorreat, & juxta Sectæ Literariæ principia, non aliam rerum omnium cauſam agnoſcat præter Cœlum aut efficientem Cœli virtutem, cui proinde, more aliorum Imperatorum prædeceſſorum ſuorum, ſacrificat; unde merito ſimul & Atheus & Idololatra dicendus eſt.

243. Quidquid ſit de privata Imperatoris & quorumdam ex ejus Miniſtris de Divinitate ſententia; quam palam non profitentur, ut patet ex geſtis inter eundem Imperatorem & Patrem Verbieſt Jeſuitam Mandarinum, prout ab Obſervatore referuntur; conſtat totum corpus Sectæ Literariæ adeoque & ipſius Nationis in eadem ſemper ſententia & doctrina perſeverare, quæ ſimul dici poteſt & Atheiſtica & Idololatrica, quod ſatis eſt, ut tabellæ, de quibus agitur, à Chriſtianis rejiciantur.

244. Ad experientiam provocat Obſervator: affirmat poſtquam admiſſæ ſunt tabellæ illæ in Eccleſias Jeſuitarum, inſertam eſſe populorum animis majorem de veritate ac ſanctitate legis Divinæ perſuaſionem: Mandarinos ac Regulos frequentius ad eos acceſſiſſe; denique longè majores Divinæ gloriæ fructus animarumque proventus Miſſionarios Societatis retuliſſe, quam multorum annorum Olimpiadibus ſine illis tabellis habuiſſent.

245. Ad hæc probanda * citat Annales neſcio quos: neque enim quinam ſint Annales iſti

* *Ibid.* §. Et vero.

ex-

explicat. Suſpicarer eſſe relationes quas ſingulis annis Miſſionarii è Societate Romam ad ſuos Superiores mittunt, & quas S. Congregatio de propaganda Fide typis edi vetuit, facto ea de re ſolemni Decreto, quod experientia docuiſſet eas non ſemper veritate niti. Non minorem quam relationes illæ, fidem meretur Expoſitio Reverendiſſ. D. Maigrot, in qua teſtatur ſe nullum hactenus in ſuo Vicariatu inter eos, qui eam tabellam habent, & alios qui illam nunquam habuere, diſcrimen animadvertiſſe : ubi etiam addit, quod cum nonnulli tabellam illam parum cautè erexiſſent, eam omnes poſt publicatum Edictum, præter Patres Societatis abſque nullo incommodo ſuſtulerunt.

ARTICULUS III.

De Edicto Imperatoris Sinarum pro Religione Chriſtiana.

246. Occaſione tabellarum de quibus hîc agitur, * Obſervator laudibus uſque in Cœlum tollit hodierni Sinarum Imperatoris Edictum, quo fabricatæ jam Eccleſiæ conſervantur, & omnibus facultas datur eas ingrediendi atque ibi thus aliaque odoramenta cremandi, Chriſtianis vero conceditur, ut libere in eis Divina peragant, prout jam à longo tempore conſueverunt.

* 2. *Part.* *Obſ.* 3. *in* 2. *Cap.* *Mand.* §. Hæc omnia & ſeqq.

247. Quin hoc Edictum rei Christianæ conducat negari non potest. Rem tamen extra modum amplificat Observator, dum factum istud iis comparat quæ gesta sunt tempore Constantini Magni, quando Christianis permissum est Ecclesias construere, erigere palam altaria, & incruentam victimam offerre in omnibus Romani Imperii Urbibus, & præsertim Romæ in Lateranensi Basilica aliisque Apostolorum Petri & Pauli templis tanta magnificentia ædificatis. Quot & quanta non quadrare in ea comparatione reperirentur; si luberet eam ad vivum resecare? Sed his nolim immorari. Hoc unum observo Gallicam hujus Edicti translationem, quam exhibet Pater *Le Comte* in suis novis commentariis tom. 2. pag. 435. & quam, quibusdam detractis, sequitur Observator, esse potius paraphrasim, quam translationem, idque patere si conferatur cum interpretatione Latina quam è Sinensi factam ipsimet Jesuitæ S. Congregationi de propaganda Fide exhibuerunt.

248. Nam in hac Latina Jesuitarum interpretatione solum habetur, *quod homines Europei mari huc ex remotissimis terris advecti ament & venerentur excelsam doctrinam Vestræ Majestatis.* (Edicti Proœmium est in modum Libelli Supplicis quem Præfectus Tribunalis rituum Imperatori offert). Hæc verba in sensu obvio significant Jesuitas, qui Europeorum nomine designantur, Literariæ Sectæ doctrinam, quam profitetur Imperator, laudare & approbare. At in Gallica interpretatione apud *Pat. Le Comte* hæc aliter omni-

no

no sonant. *Europei*, inquit, *singularis prudentiæ tuæ fama, aliisque præclaris virtutibus tuis adducti, ab extremis partibus mundi per immensum, quo Europa à nobis dividitur, Occeanum, huc trajecti advenerunt.*

249. In Latina interpretatione sic legitur: *Nunc curam gerunt Mathematicæ, tempore bellorum superantes multas gravesque difficultates, fecerunt arma & tormenta bellica.* Pater Le Comte melius judicavit has operas Jesuitarum generalioribus verbis exprimere, & quasi obducto velo Lectorum mentem alio avertere. *Magnam*, inquit, *à nobis gratiam inierunt, meritoque eis gratificari debemus, ob insignia officia in bello tum civili tum externo nobis exhibita, & ob singulare studium in componendis libris utilibus & curiosis.*

250. Denique Latina interpretatio solum habet: *expedit, ut Ecclesiæ cujuscumque loci permaneant & conserventur:* cujus loco sic vertit Pater *Le Comte: Nos itaque judicamus templa Domino Cœli dedicata conservari oportere.* Hæc verba *Domino Cœli dedicata*, à Patre Le Comte addita studiose arripit Observator tanquam sibi in causa tabellarum faventia.

251. Si tamen res expendatur, Edictum istud Imperatoris ad tabellas confirmandas nullum pondus habet, de quibus ne unum quidem verbum in eo habetur. Frustra etiam Observator Eminentissimos Judices terrere conatur, quasi vero, nisi Decretum Reverendissimi Vicarii de supprimendis ejusmodi tabellis rescindatur, timendum sit, ne offensus Imperator Edictum abroget, aut saltem ejus

executio ac uberes fructus impediantur. Nam experientia jam docuit ex suppressione tabellarum nullum ortum fuisse incommodum Missionariis Provinciæ Fokiensis & Kiangsiensis, qui tabellas illas, post publicatum Reverendissimi D. Maigrot Decretum, è templis suis sustulerunt, ut testatur idem D. Maigrot in sua Expositione.

252. Solent quidem Patres Societatis gratiam, qua se apud Imperatorem & nonnullos Mandarinos florere gloriantur, tanquam religioni promovendæ valde utilem commendare. Ultro fatendum est Reverendissimum D. Maigrot cæterosque Vicarios Apostolicos ac Missionarios tam Cleri Sæcularis, quam Ordinum Regularium in aula Imperatoris Sinensis vix ac ne vix quidem notos esse; præsertim cum hactenus nullus nisi ex Societate Missionarius Pekini resideat. Quippe in Sinam advenerunt solum ut Missionarii non ut Mathematici, Astrologi, aut aliarum scientiarum vel artium Professores; libenti animo hanc Patribus Societatis gloriam tanquam eorum propriam relinquunt, ut etiam apud exteras & infideles nationes, in aulas Regum & Magnatum domos se se insinuent: sat habent ipsi Evangelicam simplicitatem imitari, & pro modulo suo in promulganda fide Christi, tritam ab Apostolis & omnibus Sanctis divini Verbi prædicatoribus viam sequi.

AR-

ARTICULUS IV.

Expenduntur quædam Observatoris argumenta, quibus tabellas his verbis : Cœlum colito, *inscriptas defendere conatur.*

253. Conglobatis inter se multis rationibus, sic valide, ut ipse existimat, pro tabellis argumentatur. Si, * inquit, è Christianorum templis tollantur ejusmodi tabellæ, merito credent Sinenses nobis persuasum esse, antiquos eorum Philosophos & Gentis Auctores Atheos fuisse, nullamque veri Dei notitiam habuisse: unde ansam sument hodierni in Sina Athei in pessimo suo errore permanendi, quod omnes de priscis illis Philosophis & Majoribus suis præclare sentiant, eosque singulari veneratione prosequantur: quin & inde nostratibus impiis & libertinis arma suppeditantur, cum eis concedatur gentem adeo antiquam, sapientem & in liberalibus artibus eruditam per multa annorum millia sine ulla veri Dei notitia in Atheismi tenebris remansisse. E contra verò vix exprimi potest quantum ad conversionem Sinensium fideique dilatationem futurum sit utile, si prò certo habeant Sinæ priscos suos Philosophos & Majores ad duo vel tria annorum millia verum ac viventem Deum sub nomine *Xangti* & *Tien* agno-

* *Ibid.* §. Exprimi vix. §. Superest ut &c *seqq.*

gnovisse, nec nisi à quadringentis aut quingentis circiter annis Literatos in Atheismum delapsos esse; neque tamen ita omnes à prisca doctrina descivisse, quin adhuc multi ex eis, præsertim post ingressum Patrum Societatis aliorumque Missionariorum in Sinam, verum adhuc Deum sub *Xangti* & *Tien* nominibus agnoscant. Hæc summa argumentorum Observatoris.

254. Si penes nos esset opinionum seu doctrinarum, quæ præteritis sæculis, aut etiam hocce tempore apud infideles receptæ sunt, Systemata formare, ab Observatore formatum Literatorum Sinensium doctrinæ systema libenter admitterem, quippe quod plerasque, quas tantopere prædicat, utilitates fortasse nobis afferret. Sed quantumlibet pro libitu ac desiderio res animo effingamus, redeundum semper ad id quod verum est. Summæ esset imprudentiæ in prædicando Evangelio ejusmodi niti suppositionibus, quæ, ubi diligenter examinatæ fuerint, falsitatis arguuntur. Non minus alta & supra intelligentiam nostram est Omnipotentis Dei in Adami filios paternæ culpæ reos justitia, quam ejus bonitas & misericordia in eos quos, nullis præcedentibus meritis, gratuito suæ voluntatis proposito, ad fidem vocat. Quis nesciat à ducentis annis, post apertam vastam illam continentem, quæ partem Orbis terrarum quartam efficit, varias hominum Nationes repertas, ac subinde novas adhuc, tum in America Septentrionali, tum in extremis Orientis partibus reperiri, quæ in summa religionis

gionis, imo primorum moralis disciplinæ principiorum ignoratione versantur, nihil pene nisi exteriorem hominum ratione utentium figuram retinentes? Fatendum quidem Sinas longe ab hac barbarie alienos esse, & in politica ac pluribus aliis scientiis & artibus excellere. At sciendum quoque proprium eorum vitium esse singularem superbiam atque arrogantiam, qua fit ut reliquos populos aspernentur, neque existiment se ab aliis quicquam posse addiscere. Cum itaque Deus superbis resistat, fieri utique potuit, ut illos in vanitate sensus sui ambulare, & in magnam divini numinis ignorationem incurrere permiserit. Non tamen idcirco Athei proprie dicendi sunt, sed potius, ad instar Persarum Cœli astrorumque cursum colentium, Idololatræ, ut jam supra dictum est.

255. Non parvum est incommodum, si Evangelii apud Sinas prædicatio ex facto omnino incerto pendeat, quale est illud, an antiqui Sinenses per tria fere annorum millia veri ac viventis Dei notitiam habuerint. Cum enim omnes Literati, saltem à quadringentis aut quingentis annis, si forte paucos hocce tempore excipias, contrarium sentiant, atque ex Libris & Historiis suis persuasum habeant, Confucium aliosque veteres Philosophos Sinenses nullum aliud primum rerum principium præter cœlum materiale agnovisse, Evangelii prædicatores aliud circa hoc factum sentientes & asserentes irridebunt, indeque ansam arripient obstinatiùs erroribus suis adhærendi, & quæ ex antiqua populi Hebræi

Hiſtoria proferemus indubium etiam revocandi.

256. Quinetiam verendum eſt, ne ſi ſæpius audiant, Majores ſuos per tria fere annorum millia verum Deum agnoviſſe & coluiſſe, Confucium verò, noſtro quoque judicio, inſignem virum fuiſſe omnique virtutum genere ornatiſſimum, atque iis etiam virtutibus, quæ Chriſtianæ legis maxime propriæ ſunt, quales ſunt humilitas, modeſtia, paupertatis amor, offenſarum condonatio, excelluiſſe; verendum, inquam, ne paulatim eis in mentem veniat, nòn ita neceſſariam eſſe Chriſtianam legem ad perfectam juſtitiam & ſalutem æternam conſequendam, adeoque poſſe eos ut Deiſtas rectè vivere, non ſuſcepta Chriſti religione.

257. Chriſtus Dominus, ejuſque exemplo Apoſtoli Evangelicam legem, nullo ad Philoſophorum Sectas, quæ tunc vigebant, habito reſpectu, publicarunt. Quid unaquæque veri haberet inter tot errores quibus ſcatebant, ſibi examinandum minime putaverunt. Paulus quidem Athenis degens cum Epicureis & Stoicis diſputavit, ut legitur Act. 17. v. 18. Sed ſolum eorum objectiones ſolvit erroreſque confutavit. Sin verò in Areopago concionem habens, hac inſcriptione, ignoto Deo, quam in quopiam eorum idolo legerat, in rem ſuam abuſus eſt, & nonnulla Græcorum Poëtarum de immenſitate Divini Numinis verba citavit; nequaquam tamen præclara illa ac vera dogmata, quæ Plato totaque ejus ſchola de Deo & pleriſque humanæ vitæ officiis docet, in medium attulit, quò eos ad ſuſci-

ſcipiendam Evangelii doctrinam magis promptos ac dociles redderet. Imo ſcribens ad Corinthios 1. Corint. 1. v. 25. ait *Deum ſtultam feciſſe hujus mundi ſapientiam eique placuiſſe per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, quia quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus & quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus.* Unde etiam gentium populi mox ad fidem convertendi & Eccleſiæ aggregandi, Petro Apoſtolorum Principi in myſtica illa viſione lintei è Cœlo demiſſi oſtenſi ſunt ſub figura ſerpentium, reptilium, aliorumque animantium immundorum, ut intelligeret jamjam futurum eſſe, ut omnium Gentium homines variis erroribus ac vitiis irretiti, per Evangelicam gratiam illuminati & ſanctificati, Eccleſiæ, quam ipſemet Petrus repræſentabat, id eſt corpori Chriſti agglutinarentur.

SECTIO QUINTA.

De ultimis Capitibus Edicti Reverendiſſ. Dom. Maigrot, & de variis Obſervatoris dictis in eundem Vicarium contemptus & contumeliæ plenis.

ARTICULUS. I.

De ſexto & ſeptimo Capite Edicti Reverendiſſimi D. Maigrot.

258. Reverendiſſimus D. Maigrot ſexto Edicti ſui capite inhibet quatuor propoſitiones in ſuo Vicariatu diſſemi-

 nari,

nari : *Prima est Philosophiam quam Sinæ profitentur, si bene intelligatur, nihil habere Legi Christianæ contrarium : Secunda, nomine* Tai Kie *sapientissimos priscos Deum causam primam rerum omnium definire voluisse : Tertia, cultum quem Confucius spiritibus adhibuit, civilem potius quam religiosum fuisse : Quarta, librum quem Sinæ* Je King *appellant, summam esse optimæ doctrinæ Physicæ & Moralis.* Hæc & similia uti falso, temere & scandalose dicta damnat, & in suo Vicariatu defendi ac disseminari vetat.

259. Denique septimo & ultimo capite sui Edicti monet Missionarios ut caveant ne Scholarum Magistri, qui libros Sinicos prælegunt, errores circa Atheismum & varias superstitiones, quibus referti sunt, in Discipulorum animos induci patiantur, sed potius ut inde ansam arripiant ejusmodi errores confutandi, & quod Religio Christiana de Deo, mundi creatione, providentia aliisque Capitibus Sinicæ Philosophiæ contrariis tradit, auditores diligenter edoceant.

260. Ad sextum Edicti Caput non aliud opponit Observator, * nisi Neotericum omnino esse in rebus Sinicis Reverendiss. Dom. Maigrot, qui propositiones istas vel sine sufficienti causæ cognitione ex se proscripserit, vel saltem ex suasione aliorum non multo forte doctiorum, quibus assentiri cæco modo illum oportuit.

261. Hic est stylus Observatoris. Patres Socie-

* 2. *Part. Obs. in 6. & 7. Cap. Mand. per totum.*

Societatis & pauci alii Missionarii nullius fere nominis, qualis fuit Pater Dominicus Sarpetri, qui cultus Progênitorum & Confucii etiam solemniores tanquam rem licitam & innoxiam defendunt, ac Sinicæ Philosophiæ principia cum fidei Christianæ regulis conciliant, viri sunt eximii, omni scientiarum genere ornati, & in lingua ritibusque Sinensium versatissimi. At Rēverendiss. D. Maigrot & cæteri omnes qui de his aliter sentiunt, sunt novitii, tyrones, Neoterici in rebus ad Sinam pertinentibus, vel saltem in Theologia & Philosophia parum versati, prout loquitur de Collega & socio suo Patre Nicolao Longobardo, quem negare non potuit linguæ ac literarum Sinensium fuisse peritissimum, & qui in Sina quinquaginta & octo fere annos, tum Missionarii, tum Missionariorum Societatis Præfecti munere magna cum laude perfunctus est, atque ibidèm nonagenarius obiit, ut refert Pater Nathanael Sotuelus in Bibliotheca Scriptorum Societatis pag. 632. Col. 1.

262. Jam quatuordecim & amplius anni sunt, ex quo Reverendissimus D. Maigrot in Sina moratur, in addiscenda lingua Sinensi, & indagandis iis quæ ad Philosophiam & Religionem Sinarum pertinent diligentissime versatus; qua in re, magnorum Societatis geniorum pace dixerim, cum præstantissimis Missionariorum, quos hodie sinu suo fovet Societas, etiamsi essent primi Ordinis Mandarini, certamen inire non dubitaret. At enim quosnam illi hoc loco objicit Observator?

tor? Patrem nempe Joachimum **Bouvet**, qui exiguo tempore mansit in Sina, Mathematicis vacans, Sinicæ linguæ rudis, in libris vero Sinensium plane hospes, utpote qui solam linguam Tartaricam à Sinensi omnino diversam, & scitu facilem didicerit. De his locuples testis esse possum, cum ea ex ipsomet Patre Bouvet audierim in Sina, ubi illum vidi, & unde revertens non exiguam itineris partem cum illo confeci. Hic ille vir est, „ qui, ut refert ** Observator, putat se invenisse viam certam detegendi & explicandi „ vera & legitima principia antiquæ Philosophiæ Sinensis; & speciatim doctrinam antiquissimi libri Je king, cujus Auctor, inquit, sub figuris ænigmaticis principia istius „ Philosophiæ involvit, quarum figurarum Analysim se daturum promittit. Quando hæc Analysis in lucem prodierit, & aperta fuerit via illa hactenus incognita ad Sinensem Philosophiam cum fide Christiana conciliandam, decernet Reverendissimus Vicarius an hoc Edicti sui caput abrogare debeat.

263. Quod septimum Edicti caput † spectat, nihil habuit Observator, quod carperet. Ne tamen ab ejus censura immune abiret, notari vult à Reverendissimo Vicario affectatam fuisse Patris Philippi **Couplet** è Societate accusationem.

264. Atqui Reverendissimus * D. Maigrot qua-

** 2. *Part. Obs. in* 6. *&* 7. *Cap. Mand.* §. Expectamus.

† *Ibid.* §. Quod spectat. * *In* 6. *Capite.*

quatuor propositiones, prout jacent, tacitis Auctorum nominibus, in suo Edicto proscripsit. Auctores autem solum in sua Expositione huic Sanctæ Sedi exhibita indicavit, Patrem videlicet Philippum *Couplet*, Patrem Philippucium, & Patrem Intorcettam. De solo Patre Couplet, cujus est 1. propositio, *Sinicam Philosophiam, si bene intelligatur nihil habere Legi Christianæ contrarium*, sollicitus videtur Observator. Ait se nunc non quærere quam fideliter ex libro Patris Couplet excerpta sit hæc propositio, vel quam merito damnata sit: unum observat solam esse ignorantiam qua defendere se possit Reverendissimus D. Maigrot, ne in manifesta vel acceptione personarum vel etiam prævaricatione teneatur, si probe sciens plures Dominicanos & Franciscanos haud secus ac Patrem Couplet de Sinensi Philosophia sentire, de illis omnino taceat, huic vero soli censuræ notam inurat.

265. * Citat hanc in rem Patrem Antonium à Sancta Maria ex Ordine Sancti Francisci, & Patrem Joannem Baptistam Moralem ex Ordine Prædicatorum. Hi, inquit, in Libris Sinice editis de Confucio aiunt quod Cœlum, hoc est Deus, eum assumpsit, ut esset ligneum crepitaculum, id est Præco ad doctrinam morum promulgandam. Alludunt autem, ut notat Observator, ad vetustum Sinarum morem, cum lignei crepitaculi pulsu plebs ad morales sententias audiendas à Præfecto convocabatur.

266.

* *Ibid.* §. Exemplo sit.

266. Respondeo 1. duorum Libellorum, unde hæc verba citantur; fidem esse penes Observatorem: de his enim hactenus nihil auditum est: cumque uterque Sinicè scriptus esse dicatur; fidelem esse Latinam interpretationem constare etiam non potest. Certe Pater Franciscus Varo Dominicanus, qui per 20. annos in Sina cum Patre Joanne Bapt. Morali vixit, anno 1670. postquam obierat, ejus operum indiculum texens, hujusce Libelli nullam facit mentionem; neque etiam Societatis Apologistæ Pater Brancatus & Pater Faber in suis Apologiis illum citant, tametsi hinc inde quidquid causæ faveret, præsertim ex Dominicanis corraderent. Locum Patris Varo affert celebris Missionarius nunc Episcopus & Vicarius Apostolicus in Epistola ad me scripta quam sæpius jam laudavi. Patrem verò Antonium à Sancta Maria de Philosophia Sinensi Patri Nicolao Longobardo potius quam Patri Riccio assensum fuisse compertum est ex indubitatis ejus opusculis quorum unum penes me habeo manuscriptum sub hoc titulo: *Relatio Sinæ Sectarum.*

267. Deinde posito quod verba ista sint ab utroque illo Patre scripta, facile crediderim Historicè tantum ab eis relata fuisse, tanquam apud Literatos Sinas vulgata, non quod persuasum habuerint Confucium fuisse talem qualis ibi describitur. Postremo ex ipsismet verbis allatis patet elogium istud Confucii spectare solum ad moralia; de quibus eum egregia quædam præcepisse omnes fatentur. At propositio Patris Couplet, *Philosophiam Sinensem*;

ſem, ſi bene intelligatur, nihil habere Legi Chriſtianæ contrarium, generalis eſt, & ſpecialius etiam intelligitur de doctrina Confucii aliorumque veterum Philoſophorum Sinenſium circa materiam primam ſeu primum rerum principium dictum *Li* ſeu *Tai kie*, circa Spiritus Cœli, Terræ, Montium, Fluminum, denique circa naturam animæ rationalis aliaſque ſimiles quæſtiones ad Phyſicam ſeu Metaphyſicam pertinentes. In his autem neque Pater Antonius à Sancta Maria, neque Pater Joannes Baptiſta Morales, neque alius quiſpiam eorumdem Ordinum Miſſionarius docuit Confucii aliorumque Philoſophorum Sinenſium doctrinam, ſi bene intelligatur, cum fide Chriſtiana congruere. Id docere Patri Couplet & forte aliis quibuſdam ejus collegis peculiare eſt.

268. Patet itaque perperam & temere de ignorantia vel de perſonarum acceptione aut etiam prævaricatione accuſari Reverendiſſimum D. Maigrot, quod damnatam ab eo propoſitionem ſoli Patri Couplet in ſua Expoſitione tribuerit.

ARTICULUS II

Injurioſa & contemptus plena Obſervatoris dicta in Reverendiſſimum D. Maigrot.

Falſa Janſeniſmi accuſatio.

269. Paſſim in Obſervationibus occurrunt ejuſ-

ejusmodi dicta, quibus Observator, quasi ferulam manu gerens, Vicarium Apostolicum castigat. Aliqua tantum exempla hîc proferemus.

I.

270. Primâ * Observationum paginâ, ac deinceps multis locis, exhibetur Reverendissimus D. Maigrot tanquam commotum atque infensum in Jesuitas animum gerens, qui hanc de cultibus Sinensium litem eis non alio consilio moverit, quam ut conceptam in eos simultatem exerceret; idque tam clarum esse, ut qui Expositionem ejus legerit, de hac ejus malevolentia dubitare non possit.

271. Injustum plane ac malignum est de hominum mente & consilio judicium ferre, abditosque animi recessus intrare, ut actionem per se bonam vel indifferentem tanquam malam accuses. Quod si ratio & æquitas id generaliter, etiam erga privatos prohibet, cum jubeamur de proximo bene sentire, & alteri non facere, quod nobis fieri nolimus; gravius adhuc peccatum est, si de Præpositis ac dignitate Superioribus agatur, atque ea quæ ad eorum munus & officium spectant, injustæ censuræ subjiciantur. Tunc enim non solum debitus eis honos læditur, sed eò gravior infertur injuria, quò per calumniam, quæ zelo justitiæ & officii debito gessisse censendi sunt, impotenti animo & perversis conciliis

* 1. *Part. Obs.* 6. §. Secundo accidit. *Ibid. Obs.* 7. §. 6. An fuerit.

ciliis tribuuntur. Talem esse hanc Observatoris exprobrationem in Reverendissimum D. Maigrot; ipsa per se causa clamat, & hæ Notæ, ut spero, demonstrarunt. Neque juvat dicere adjunctam Mandato Expositionem certam ac manifestam esse hujusce malevolentiæ atque odii probationem. Id enim falsissimum est, nisi forte animo præjudiciis occupato legatur; neque ulla eorum, de quibus in hac causa agitur, ratio habeatur. Sed pluribus exemplis etiam recentibus compertum est Jesuitis solemne esse, si quid in eorum doctrina aut moribus reprehensione dignum, à viris etiam dignitate & sanctitate conspicuis, notetur, non eâ, quâ par esset, modestiâ in bonam partem accipere, sed tanquam alieno ab eis animo per invidiam aut simultatem factum calumniari.

272. Neque hic omittendum quod ait Observator 1. part. Obs. 7. §. *Utinam qui*, ubi loquens de Vicariis Apostolicis & Episcopis Gallis ad Orientales partes missis, ait Evangelii Ministros, Jesuitas videlicet, *duriora sæpe ab illis passos esse, quam ab ipsis infidelibus.* Sic placet Observatori appellare hanc de cultibus Sinensibus contentionem, & Vicariorum Apostolicorum adversus Jesuitas ea de re expostulationem. Atqui de hoc primi adversus Patres Societatis contenderunt Missionarii è Sacris Ordinibus Prædicatorum & Franciscanorum, longè antequam illuc mitterentur Vicarii Apostolici & Episcopi. Sin verò aliud quoddam vexationis genus intelligit Observator, debuisset illud clarius exprime-

re, cum prorsus ignorem quid unquam duri passi sint Patres Societatis à Reverendissimo D. Maigrot aliisque Vicariis Apostolicis & Episcopis in Orientem missis; & multis è contra exemplis probari possit, tum Missionarios aliorum Ordinum, tum etiam Vicarios Apostolicos & Episcopos, sive in Japonia, sive in Sina, aliisque mundi partibus à Patribus Societatis durissima passos fuisse, de quibus sufficit autentica testimonia quæ habentur in Archivio S. Congregationis de propaganda fide consulere.

II.

272. * Observatoris judicio Reverendissimus D. Maigrot in rebus Sinensibus est *rudis*, *Tyro*, *Neotericus*, vix quicquam Philosophiæ, aut Literarum Sinicarum intelligit, ut non nisi temere, quantumvis Doctor Sorbonicus, de publicando Edicto suo consilium ceperit. Rogo humillimè Eminentissimos Patres, ut dignentur, secum perpendere, an Jesuitarum Scriptor, qui Sinam nunquam nisi in chartis Geographicis vidit, qui longas ac verbosas Observationes suas ex Telleriana Defensione ac, suppeditatis aliunde documentis consarcinavit, quique hactenus aliis studiis deditus, has de cultibus Sinensibus quæstiones non attigerat, sic loqui potuerit Eminentiis V. V. de Vicario Apostolico, qui à quatuordecim & amplius annis in Sina degit, qui duos Cate- chismos

* 1. *Part. Obs.* 5. *versus finem.* §. Denique.

chismos lingua Sinica multum apud omnes probatos in lucem edidit, & qui in addiscenda lingua Sinensi & in indagandis Sinarum placitis ac moribus plurimum laboravit, ut ipsemet declarat in Scriptis S. Congregationi exhibitis.

III.

274. Si credimus * Observatori Reverendissimus D. Maigrot non solum rerum, de quibus agitur, rudis est & imperitus; sed in agendo & scribendo valdè inconsultus & inconsideratus: multæque occurrunt in ejus Edicto & scripta ad Summum Pontificem epistola verborum ac sententiarum repugnantiæ & hallucinationes; unde merito tanquam homo judicii & consilii expers haberi debeat. Eminentissimos Patres spero aliter de eo ex epistolarum scriptorumque ejus lectione judicaturos, & ex his Notis jam agnovisse confido, objectas verborum sententiarumque repugnantias & hallucinationes esse mera Observatoris figmenta.

IV.

275. Vult in primis † Observator Reverendissimum D. Maigrot magnum suæ contra Jesuitas indignationis nec non etiam imprudentiæ

* 1. *Part. Obs.* 5. §. Sufficiat. §. Jure ergo. §. Multa hic. † 1. *Part. Obs.* 6. *versus finem.* §. 3. Novum prodit.

tæ argumentum dedisse, dum in Expositione sua ait: „ Vix dubito quin Patres Societatis, uti jam fecerunt, dicant statim me hæreticum & Jansenistam esse: hujus, inquit Observator, de Jansenismo accusationibus, „ meo quidem judicio, à Reverendissimo D. „ Maigrot mentio non debuisset fieri; aut „ debuisset aliter, quam fiat ab illo, refutari.

276. At quid hac in re sibi faciendum esset, non ab Observatore aut quocumque alio Jesuita discere debuit Reverendissimus D. Maigrot. Ex supplici Libello quem bonæ memoriæ Episcopus Heliopolitanus post suam Manilæ captivitatem Hispaniarum Regi obtulit, ex testimonio Illustrissimi Navarrettæ Tom. 1. Tract. 2. pag. 92. & ex epistola Patris Victorii Riccii Missionarii Ordinis Prædicatorum ad S. Congregationem de Propaganda fide, cujus autenticum exemplum penes me habeo, constat Jesuitas hanc potissimum de Jansenismo accusationem adversus Episcopos Vicarios Apostolicos & Missionarios Gallos in Orientis partibus adhibuisse, ut omnem eis, si fieri posset, fidem atque auctoritatem detraherent. Haud abs re erit ipsa Patris Riccii verba de Episcopis Vicariis Gallis ab Apostolica Sede ad Regna Siami, Tunkini, Cocincinæ, Champai & Cambodiæ missis referre: „ Hoc unum; inquit, „ certissime scio præfatos Reverendissimos Episcopos, qui specula sunt Sanctitatis, ab „ Jesuitis verbis & factis dilacerari quam plu-

„ ri-

„ rimis ; nec non Janſeniſtas impudenter ni-
„ mis appellari.

277. Non ſolum itaque à quadraginta & amplius annis in Gallia, Belgio aliiſque Europæ Provinciis, quamplurimos Cleri tum Secularis, tum Regularis viros, atque etiam Laïcos, pietate ac doctrina inſignes, vaga hac Janſeniſmi accuſatione in invidiam adducere atque opprimere conati ſunt; eodem quoque nomine appellantes quotquot Probabiliſmo aliiſque peſſimis novorum Caſuiſtarum laxitatibus repugnabant: verum ea etiam accuſatione uſi ſunt adverſus Evangelii Miniſtros & Prædicatores Verbi divini in extremis illis Orbis partibus, ubi de Janſenio ejuſque doctrina vix quicquam auditum eſt.

278. At Dei Sanctæque Sedis providentia huic malo jam proſpectum eſt ſcriptis à Sanctiſſimo Domino Noſtro ad Epiſcopos Belgii Brevibus, in quibus regulæ ab ipſa æquitate hauſtæ præſcribuntur, quibus & veri hæretici, ſi qui ſint, deprehendantur, & viri Catholici ab ejuſmodi vagis accuſationibus eximantur. Hæ autem regulæ Apoſtolicâ Sanctiſſimi Domini Noſtri ſapientiâ & charitate digniſſimæ probatæ ſunt ac laudatæ ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi pluribuſque aliis Galliæ Epiſcopis, ut ex publicis eorum ſcriptis patet.

279. At verò Obſervator, ſpretis his regulis, non ſolum vagam illam in Reverendiſſimum Dominum Maigrot accuſationem non rejicit, ſed potius eam non obſcurè confir-

mat. „ * Ait enim ſi Reverendiſſimus Domi-
„ nus Maigrot dictus ſit Janſeniſta à Patribus
„ Sinis, audiendos illos ut dicti rationem red-
„ dant; addit, ſi calumnia eſt, poſſe illam
„ ac debere diluere Reverendiſſimum Domi-
„ num Maigrot, cum iſta, inquit, vel veritas
„ vel calumnia non leve odium pariat: quibus verbis ſatis inſinuat non ſine fundamento videri illam accuſationem. Meminiſſe debuit Obſervator Reverendiſſimum D. Maigrot eſſe Doctorem Sorbonicum, quem gradum, in Academia Pariſienſi nemo conſequitur niſi conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. contra quinque propoſitiones obediens fuerit, & conditum ab Alexandro VII. Decretum formularium ſubſcripſerit ac juraverit.

280. Hæc non libuit attendere, ſed maluit eo ipſo Reverendiſſimum D. Maigrot de Janſeniſmo ſuſpectum habere, quod facta hujuſce accuſationis mentione, non, ſicut ipſe vellet, eam confutavit, *quam*, † inquit, *uno verbo diluere poterat, declarando damnari à ſe tanquam hæreticas quinque Janſenii propoſitiones, & in ipſo Janſenii ſenſu ſic à ſe damnari.* Ubi ſatis apertè declarat, eum, qui famoſas quinque propoſitiones in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, damnaret, fore ſemper hæreticum Janſeniſtam, niſi etiam credat ac jurare paratus ſit hunc ipſum ſenſum eſſe Janſenii, ſeu quem Janſenius in libro ſuo cui titulus, *Auguſtinus*, tenuit ac docuit: quod quid aliud eſt, quam Apoſtolicum Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri eludere,

* *Ibid.* §. 2. Neſcire me. † *Ibid.* §. Itaque.

ſe, præſcriptaſque ab eo ſtabiliendæ paci Eccleſiaſticæ regulas floccifacere?

281. * Quid, quod factum Martinii in exponendis S. Congregationi ritibus Sinenſibus audet comparare facto Janſenii, hoc eſt, ut de Sinarum ceremoniis Reverendiſſimus D. Maigrot affirmat Sanctam Sedem fuiſſe à Patre Martinio male informatam, id etiam de Janſenii libro & ſenſu clamitare Janſenianos, deceptum ſcilicet fuiſſe Summum Pontificem atque malè informatum circa quæſtionem ſaltem facti? Certe ſi perinde conſtaret Pontificem circa ſenſum Janſenii male informatum fuiſſe, quam certum eſt falſam fuiſſe expoſitionem Martinii, peſſimo loco eſſet cauſa Obſervatoris ejuſque Collegarum contra prætenſos Janſeniſtas.

282. Quidquid ſit de hac bella comparatione facti Martinii cum Janſeniano facto, aliiſque Obſervatoris ratiocinationibus adverſus Janſenianos, quorum cauſa nihil ad me vel ad Reverendiſſimum D. Maigrot pertinet, unum adhuc notari velim, inter rationes ob quas Reverendiſſimum D. Maigrot in ſuſpicionem Janſeniſmi vocat, † hanc etiam eum afferre, quod conſtet quam cordi illi ſit Arnaldicos de Morali Jeſuitarum practica libellos vendicare.

283. Verum quî fieri poteſt ut Reverendiſſ. D. Maigrot cordi fuerit Arnaldicos de Morali Jeſuitarum practica libros vendicare, ſi illos non

* *Ibid.* §. Nam quod.

† *Ibid.* §. Itaque.

non legerat, quando Edictum suum promulgavit & Expositionem composuit? At id testari possum, cum ei tunc ad fuerim. Imo neque adhuc existimo ab eo, aut ab alio Vicario Apostolico vel Missionario Cleri Secularis lectos fuisse istos Libellos: unde vix intelligi potest, quo fundamento dixerit idem * Observator, Missionarios Gallos in Orientis partes ejusmodi Libellorum lectione instructos proficisci.

284. Mitto quam futile sit quempiam de Jansenismo suspectum habere, quod quædam Doctoris Arnaldi Opera legerit; quod si admittatur, Jansenismi postulandus erit, qui libros ejus de perpetuitate fidei circa Eucharistiam Clementi IX. Summo Pontifici dedicatos, vel Catholicorum Apologiam contra Juriæum Calvinistam, totque alios ejus pro fide Catholica lucubrationes legerit vel laudarit.

285. Addit quidem Observator, post confirmatam ejusmodi ratiocinationibus Jansenismi accusationem, nolle se prorsus credere Reverendissimum D. Maigrot Janseniano dogmati favere. *Nam si verè*, inquit, *Janseniano dogmati faveret, quod prorsus nolim credere, vel ex hoc solo capite vehementer*, &c. quibus verbis fortasse contendet se satis omnem à Reverendissimo D. Maigrot Jansenismi suspicionem amovisse. Sed qui hæc verba: *quod prorsus nolim credere*, rectè attenderit, facile animadvertet non alio consilio addita fuisse ab Observatore, quam ut tam malignæ accusationis tot

* 1. *Part. Obs. Prœm.* §. Illud autem.

tot falsis rationibus atque implicatis verbis institutæ invidiam paululum declinaret.

286. * Certe alio loco postquam ait multa gravia passos esse Jesuitas à Lutheranis, Calvinianis, Jansenianis, quod nec curarunt multum, nec visum est illis mirum, postea sic prosequitur: *Hoc Jesuitis durum magis, quod ab his talia patiantur, qui se Catholicos esse profitentur atque dici volunt.* Quibus verbis satis apertè significat, se ac socios suos Jesuitas vix tanquam Catholicum habere Reverendissimum Dominum Maigrot, quin potius, tametsi exterius agat Catholicum, reipsa tamen eis hæreticum videri.

287. Denique potuit rescire Observator ante novem aut decem annos hanc eandem de Jansenismo accusationem pluresque alias ejusdem generis adversus Reverendissimum D. Maigrot Sacræ Congregationi de propaganda esse exhibitas, neque id impedimento fuisse, quominus postmodum Vicarius Apostolicus Provinciæ Fokiensis, ac nuper Episcopus Cononensis ab Apostolica Sede electus fuerit. Quin & Sanctissimus D. N. Brevi Apostolico illum honoravit, quod hîc referre non erit inutile, ut magis ac magis pateat quanta sit temeritas Observatoris, qui eum passim toto scripto tam injuriose tamque intemperanter tractat,

BREVE

* 1. *Part. Obs. in 2. Cap. Mand.* §. Quandiu talia.

BREVE

Sanctissimi Domini Nostri

INNOCENTII PP. XII.

Ad Reverendiss. Dom.

MAIGROT VICARIUM
Apostolicum electum Episcopum Cononensem.

Dilecto Filio Carolo Maigrot *electo Episcopo Cononensi Vicario Apostolico Provinciæ Fokiensis in Sinarum Imperio.*

INNOCENTIUS XII.

288. Dilecte Fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Sicuti nihil magis cordi est nobis, quam ut animæ ad imaginem & similitudinem Dei creatæ & unigeniti ejus filii sanguine redemptæ Creatorem suum ac Redemptorem agnoscant, & in spiritu ac veritate adorent; ita nihil potest nobis accidere jucundius, quam ut audiamus Operarios ab eo in vineam suam per hanc

S.

S. Sedem miſſos gnaviter fructuoſèque laborare. Quocirca maximo nos gaudio affecit eorum relatio, qui nuntiarunt, quod etiam ex multis literis tuis cognovimus, te invicta diligentia in ea incumbere ſtudia, plurimumque in iis profeciſſe, quibus opus eſt, cum ut verbum Dei per Miſſionarios Apoſtolicos facilius diſſeminari, tum ut idololatria, & cujuſcumque generis ſuperſtitio Gentilium extirpari poſſit. Magna facta eſt lætitiæ noſtræ acceſſio, ubi intelleximus te tuoſque ſocios non in ſermone adulationis, neque in occaſione avaritiæ, nec quærentes ab hominibus gloriam, ſed Dei ſpectantes honorem & animarum ſalutem, in propagandam Fidem & Religionem Catholicam aſſiduè eſſe intentos. Et quoniam Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis & aliis Operariis Evangelicis nihil ſtudioſius commendavit, ac inculcavit diligentius, quam ut inter ſe unum eſſent, & animorum & ſenſuum conjunctione unitatem ipſam Patris cum Filio imitarentur; enitendum maxime tibi eſt, & quantum potes efficiendum, ut pacem cum aliis in eodem opere occupatis ſemper retineas, ac magis magiſque confirmes. Fieri quidem non poteſt ut hæc omnia conſequaris ſine gravibus difficultatibus ac laboribus, ſine quibus nihil arduum ad Dei gloriam ſuſcipi, promoveri aut perfici poteſt. Sed pro modo patientiæ ac conſtantiæ merces copioſa eſt in Cœlis. Quamobrem oportet te Moyſis ſequi exemplum, majores divitias æſtimantis Theſauro Ægiptiorum, improperium Chriſti, & aſpicientis in re-

remunerationem. Apoſtolicam interim benedictionem tibi peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xv. Januari M. DC.XCVII. Pontificatus Noſtri anno 6.

MARIUS SPINULA.

Concluſio hujus ſcripti

Ac Brevis repetitio ante dictorum pro defenſione Edicti Reverendiſſ. D. Maigrot.

289. Quod hocce ſcripto promiſeram me præſtitiſſe confido, examinando ac diluendo quidquid in prolixis ac verboſis Obſervationibus contra Edictum Reverendiſſimi Domini Maigrot aliquam difficultatem habere videbatur.

290. Principio quis ſit ſtatus quæſtionis circa cultus Progenitorum & Confucii definivi, factum à jure, quod permiſcere & confundere conantur Jeſuitæ, clare diſtinguendo. Factum in eo poſitum eſſe oſtendi, ut ſciatur quidnam reipſa in ejuſmodi cultibus peragatur: jus vero, ut definiatur an ejuſmodi cultus ſint civiles & politici, an vero Religioſi & Idololatrici, atque adeo Chriſtianis liciti vel illiciti. Idcirco cultus illos, quemadmodum à multis auctoribus referuntur, & ab ipſis Societatis Scriptoribus & Apologiſtis agnoſcuntur, accurate deſcripſi; quo ſemel poſito, ſequitur expoſitionem factam à Patre Marti-

Martinio ann. 1656. esse à vero alienam, adeoque Decretum ab eo obtentum tanquam obreptitium & subreptitium, nullius esse roboris, unde ultra sequitur standum omnino esse Decreto anni 1645. quod vera ac sincera facti expositione nititur.

291. His ita suppositis, probavi Reverendissimum D. Maigrot ut religioni atque animarum saluti consuleret, potuisse ac debuisse Edictum suum promulgare; eumque proprio muneri sic satisfecisse, ut nullatenus debitam Apostolicæ Sedi observantiam violarit.

292. Deinde docui Probabilitatem, qua una nituntur Patres Societatis ad permittendos ejusmodi cultus, rem esse infirmam ac ruinosam, quæ apta sit solum ad tegendam superstitionem atque idololatriam, & ad fovendam atque & confirmandam inter Evangelii Ministros Christianosque Neophytos variam prorsus ac diversam circa præcipuum religionis caput, agendi rationem; quod quidem sine magno Missionum damno, & gravissimo tum Fidelium, tum etiam eorum qui foris sunt, scandalo esse non potest. Præterea ostendi hanc ipsam Probabilitatem sola Theologorum Collegii Romani aliorumque Jesuitarum auctoritate niti, cum fere quotquot ex Ordine Prædicatorum Missionarii ab Observatore adducuntur male ac perperam ab eo adduci probaverim.

293. Postremo respondi objectionibus & difficultatibus quibus Observator causam per se claram, & ad dijudicandum, si benè propona-

ponatur & examinetur, facillimam, obscurare atque implicare conatus est.

294. Quod ad secundum Caput de tabellis Defunctorum spectat, eas superstitionis plenas esse demonstravi; atque adeo prohibendum earum cultum, tum solemnem, qui ter aut quater per singulos annos in defunctorum Capellis eis exhibetur, tum etiam privatum, qui domi quotidie frequentatur; denique aut omnino abolendas esse, aut saltem tollendum ab eis quidquid superstitionem aut idololatriam sapit.

295. De nominibus *Xangti* & *Tien* plane demonstratum puto, nullam esse vel necessitatem vel utilitatem, ut ad significandum Deum adhibeantur; sed potius multa in eo fore gravissima incommoda; unde sequitur retinendum solum nomen *Tien Chu*, quod jamdiu apud Christianos communi consensu in usum receptum est.

296. Ex his quoque probavi recte prohibitas esse tabellas sic inscriptas: *King Tien*; *Cælum colito*, ne saltem in Ecclesiis appendantur vel super altare ad publicam venerationem exponantur; quidquid vero Observator ad eas defendendas attulit, infirmum ac vanum esse ostendi.

297. Aliud etiam Caput Edicti Reverendissimi Domini Maigrot de quibusdam propositionibus & libris, quibus Christianæ Doctrinæ veritas & Neophytorum Sinensium fides corrumpi posset; defendi, & ab Observatoris objectionibus vindicavi.

298.

298. Itaque à S. Congregatione Eminentiſſimorum Patrum ac Judicum mihi polliceri audeo, fore ut in cauſa per ſe clara, totque jam ſcriptis & documentis, ad liquidum explicata & inſtructa, proviſorium Reverendiſſimi Domini Maigrot Decretum non tantum ſuo definitivo judicio confirmatura ſit, ſed à Sanctiſſimo Domino Noſtro impetratura, ut publica & ſolemni Conſtitutione hæc eadem capita definiat, & ſingulis Miſſionariis, quid in prædicando Evangelio & formandis novis illis Eccleſiis ſequi debeant, Apoſtolica ſua auctoritate præſcribat, non incertas & fallaces Probabilitatis opiniones, ſed veritatis, cujus fidelis ac perpetua cuſtos eſt Romana Eccleſia, certas atque immobiles regulas conſulendo.

FINIS.

BRE-

BREVES
NOTATIONES
IN PRÆCIPUA LOCA
OBSERVATIONUM
RESIDUALIUM
SOCIETATIS JESU

Contra Mandatum Reverend. Dom.

CAROLI MAIGROT

Vicarii Apoſtolici Provinciæ Fokienſis Sinarum, & in Epiſcopum Cononenſem nuper electi :

A

NICOLAO CHARMOT

Ejuſdem Reverendiſſimi

DOMINI MAIGROT

aliorumque Epiſcoporum ac Vicariorum Apoſtolicorum Gallorum Procuratore Generali Sacræ Congregationi S. Officii oblatæ, die 7. Menſis Octobris 1698.

PRÆFATIO.

Mirum certè videri debet Reverendos PP. Societatis Jesu, post exhibitum S. Congregationi Sancti Officii grande Observationum volumen circa res Sinenses, hoc secundum Residualium, ut vocant Observationum adjicere, in quo vel eadem repetuntur, vel fusiori adhuc sermone non tam explicantur quam involvuntur. Majoris forte esset erga Eminentissimos Patres reverentiæ, hujus secundi voluminis confutationem omittere, tanquam supervacaneam, atque inutilem, postquam meis ad priores Observationes Notis totam hanc materiam satis, ut spero, explanavi. Ne tamen in causa gravissima æque ac justissima officio meo deesse videar, bona Eminentissimorum PP. venia, medium quoddam in hac Responsione tenebo, ut omissis iis quæ ad rem nihil faciunt, vel jam satis explicata sunt, præcipua tantum quædam loca perstringam, aut in prioribus Notis à me ultro omissa, cùm iterum hîc ab Observatore proponantur, breviter confutem. Claritatis autem gratia, verba ipsa Observatoris afferam, atque ad ea statim meam responsionem subjungam.

PARS

NICOLAI CHARMOT BREVES NOTATIONES

in

Præcipua loca Obſervationum reſidualium Societatis Jeſu,

contra

Mandatum Reverendiſſ. D. Caroli Maigrot.

PARS PRIMA.

Ex Reſponſo Obſervatoris ad primum Libellum Supplicem quem S. Congregationi Sancti Officii obtuli.

Verba Obſervatoris.

1.* DOminus Nicolaus Charmot in hac cauſa non agit niſi ut Procurator Reverendiſſimi Domini Maigrot. Alii enim ſive Epiſcopi, ſive Vicarii Apoſtolici Miſ-

* §. 2.

Missionum Asiæ Orientalis neque subscripserunt Decreto Reverendissimi Domini Maigrot, neque illud autenticè approbarunt. . . . Sanè certò scimus Illustrissimos & Reverendissimos Episcopos Pekinensem, Nankinensem, & Cantonensem illi esse plane contrarios.

Responsio.

2. Non solius Reverendissimi Domini Maigrot, sed aliorum Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum & Missionariorum Gallorum me Procuratorem rectè appellavi. Neque enim ad hoc requiritur ut singuli Decreto Reverendiss. Domini Maigrot subscripserint, aut illud autenticè approbarint: sufficit ut persuasum habeant è re Christiana esse, ut quæ suo Edicto decrevit Reverendiss. D. Maigrot, definitivo S. Sedis judicio confirmentur; quos inter numerandi sunt etiam Episcopi & Vicarii Apostolici Galli, qui anno 1696. à Sanctissimo D. N. pro variis Regni Sinarum Provinciis designati sunt.

3. De Reverendiss. Argolicensi, nunc Pekinensi Episcopo aiunt PP. Societatis se certò scire eum hac in re Reverendiss. Domino Maigrot plane contrarium esse. Id probandum esset, non verbis tantum affirmandum. Nunquam id probabunt ex ultimis literis ab eo scriptis ad S. Congregationem de propaganda fide. Deinde cum jam grandævus in Sinam advenerit, non multum ad linguam Sinensem, multo minus ad literas librosque Sinenses animum adjecit: unde mirandum non est, si de rebus ab eo non satis perspectis judicium hactenus ferre noluerit.

4. Quod

4. Quod ad Reverendiſſimum Epiſcopum Nankinenſem, Patrem videlicet *Ciceri* è Societate Jeſu, ſpectat, an linguam literaſque Sinenſes ſatis calleat, ignoro. Sane eum pro Societate contra Reverendiſſimum Dominum Maigrot ſtare mirum nemini eſſet, tametſi vix credam eum adhuc mentem ſuam de his controverſiis aperuiſſe, aut de his quidpiam publicè ſtatuiſſe.

5. Idem dicendum de Epiſcopo Macaenſi, quem Cantonenſem Obſervator appellat, quod ei nuper Provincia Cantonenſis attributa ſit. Is enim Eboræ in Seminario ſeu Collegio Patrum Societatis educatus Macaum anno 1692. pervenit, neque huc uſque, quod reſcierim, Cantonum perrexit. Sat habuit anno 1693. illuc quemdam Patrem Franciſcanum mittere, qui de rebus iſtius Miſſionis illum certiorem faceret. Hæc ego præſens vidi, cum tunc temporis Cantoni adeſſem. Cum autem eodem anno 1693. Menſe Martio Edictum Reverendiſſ. Domini Maigrot publicatum ſit, credibile non eſt Macaenſem Epiſcopum adhuc in rebus Sinenſium hoſpitem, & linguæ Sinenſis imperitum, palam ſe Edicto Reverendiſſ. D. Maigrot contrarium profiteri voluiſſe.

Obſervatio.

6. Non benè explicat ſtatum quæſtionis D. Charmot dum affirmat agi in hac cauſa de prohibendis in Sina ceremoniis idololatricis. Quia 1. hujuſmodi ritus omni jure ſunt jam prohibiti, naturali, poſitivo, divino, humano, canonico, civili. Juſſerunt millies jam

inde ab initio Societatis in Sina Missionarii conculcari idola à Neophytis, frangi, comburi: conculcarunt ipsi sæpissime, fregerunt, combusserunt.

Responsio.

7. Duplex est idololatriæ genus apud Sinas. Una est crassior & turpior, quam sequitur Secta Bonziorum seu Idololatrarum propriè dictorum, qui plurima ac turpissima in suis Pagodis seu fanis simulachra colunt. Alia est propria Sectæ Literatorum, quæ est præcipua Secta ac in toto Imperio regnans, cujus Caput ac Princeps est ipsemet Imperator. Hi juxta vulgata eorum Philosophiæ principia non cœlo tantum & terræ, sed & spiritibus montium, fluminum, atque idolo ***Chin hoan***, hoc est tutelari cujusque Urbis genio sacrificant, ac præterea Progenitorum & Confucii Magistri tabellis idololatricos ac superstitione plenos cultus adhibent. De priori illa Bonziorum idololatria, nulla unquam fuit inter PP. Societatis & reliquos Missionarios disputatio. Omnes enim conveniunt esse rejiciendam; & hoc sensu verum est quod jam inde ab initio Societatis Missionarii jusserunt à Neophytis idola conculcari, frangi, comburi, & quod ipsimet sæpissime ea conculcarunt, fregerunt, combusserunt.

8. At proprie lis est circa cultus Progenitorum & Confucii, quales illos in Notis meis descripsi, quos jam ab initio Missionarii Ordinum Sancti Dominici & Sancti Francisci, eorumque postea exemplo Reverendissimus Dominus Maigrot cæterique Vicarii & Missionarii

narii Galli idololatria & superstitione imbutos judicaverunt, atque etiamnum judicant, & quos Patres Societatis mere civiles ac politicos esse probabilius putant, adeoque Christianis permittendos censent, prout eos jamdiu suis Neophytis & Christianis permittunt.

9. Dixi propriè litem esse de ejusmodi cultibus: nam initio fuit etiam de cultu idoli *Chin hoan*, an adhibitis certis cautionibus Christianis permitti posset. Sed jamdudum hoc in capite Patres Societatis manus dederunt, & post Decretum anni 1645. nulla amplius de eo quæstio superest. Rectè itaque mihi videor statum quæstionis circa cultus Progenitorum & Confucii explicasse, ubi dixi in hac causa agi de prohibendis in Sina ceremoniis idololatricis, præsertim adendo verba sequentia quæ omisit Observator, *vel saltem idololatria & superstitione imbutis.*

Observatio.

10. * Alioqui dicendum erit, quod horrescunt Catholicæ aures, Christianis licitos esse juxta S. Sedem idololatricos ritus, ideoque errasse Romam in jure turpissimè.

Responsio.

11. Quidquid hoc paragrapho ex Decreto anni 1656. repetit Observator, in Notis meis examinavi & refelli. Falsa autem & plane sophistica est consequentia, quam hîc affert. Neque enim Sancta Sedes Decreto anni 1656. eosdem ritus Christianis licitos esse pronuntiavit,

* §. Ratio est.

vit, quos Decreto anni 1645. tanquam idololatricos damnaverat; sed falsa Martinii expositione circa factum decepta, ritus ab eo propositos, juxta quæsita & circumstantias in dubiis expressas, ad cultum civilem & politicum revocandos, adeoque in Christianis tolerandos declaravit. At vero cum jam liquidò constet rem aliter omnino, atque à Martinio exposita est, se habere, & veridicam fuisse expositionem à Joanne Baptista Morale anno 1645. factam, nequaquam admittendum errasse Romam in jure turpissimè, sed dicendum eam ob diversitatem facti in decidendo variasse, adeoque jam cognitâ veritate facti, necesse esse declarare obtentum per subreptionem Decretum anni 1656. esse nullum, nulliusque roboris, atque unicè posthac Decreto anni 1645. standum fore.

Observatio.

12.* Eò certius constabat hujusmodi Missionariis juxta sententiam sibi probabiliorem permittendos esse Sinis illos ritus, quod S. Congregatio approbante S. Sede censuerit non esse inquietandos ab Evangelii Ministris Sinas, qui aliquid supra sortem recipiunt in mutuo ratione periculi &c.

Responsio.

13. Quam debile sit atque infirmum Probabilitatis fundamentum in hac materia, ubi agitur de rebus ad summum Religionis pertinentibus, & quæ primo Decalogi præcepto, hoc est lege divina naturali prohibentur, fuse in priori meo scripto ostendi. Quæ vero hic affe-

* §. Multa hìc.

afferuntur ex Decreto anni 1645. de non inquietandis Sinis qui aliquid in mutuo ultra ſortem accipiunt ratione periculi probabiliter imminentis, nihil prorſus ad rem faciunt. Neque enim S. Congregatio ex probabilitatis regulis ſic reſpondit, ſed in propoſito caſu juxta circumſtantias in dubio expreſſas, quid Miniſtris Evangelii tanquam verum ac rectum ſequendum eſſet, præſcripſit; ut omittam longè diverſam eſſe uſuræ atque idololatriæ rationem. Etſi enim uſura Legi Divinæ naturali contraria ſit, unde etiam ſtatim idem Decretum ſeveriſſime eam etiam apud Sinas damnat, tamen cum mutuum ſæpe in alios contractus, videlicet, ſocietatis, emptionis & venditionis, aut dotalis conſtitutionis tranſeat, atque ei nonnulli aliunde tituli ad aliquid ultra ſortem accipiendum accedant, quod à jure civili plerumque pendet; Eccleſiæ Paſtores & Confeſſarii in pleriſque his caſibus fidelium conſcientias non eſſe inquietandas prudenter judicant. At de idololatria, quæ Religioni capitaliter adverſatur, aliter cenſendum eſt. Ab ea fideles ita arcendi ſunt, ut ab iis etiam actibus abſtinere debeant, in quos vel ſola idololatriæ ſuſpicio cadit. Quid igitur de iis actibus exiſtimandum, qui, ſi fideliter exponantur, ſtatim idololatrici ac ſuperſtitione pleni inveniuntur?

Obſervatio.

14. Is * cultus qui per ſe mihi licitus eſt, non poteſt mihi fieri illicitus per internam & occul-

* §. Quia quarto.

occultam aliorum idololatriam. Hæc enim inficit quidem cultum eorum externum, qui speciem sumit ab interno, sed extendi ad me non potest, nec ad vitiandas licitas per se mihi ceremonias, quibus Avos vel Magistrum Imperii colo.

Responsio.

15. An cultus Avorum & Confucii apud Sinas in sua prima institutione licitus ac mere politicus fuerit, non disputo. Illicitum esse ob introductam saltem jam à quadringentis aut quingentis annis, ut ipsimet Jesuitæ fatentur, superstitionem & idololatriam contendo. Neque vero illicitus est solùm ob internam & occultam idololatriam, ut falsò sibi sumit Observator, sed ob externam & patentem. Num occultum quid & internum victimas sortitò eligere, jejunia & continentiam conjugalem præmittere, ipso die solemnitatis in ædibus ad hoc dedicatis, cereis accensis super Altare, thus & odoramenta coram tabellis Avorum & Confucii cremare; Caput porci aut capræ offerre, vinum libare, pannos sericos & nummos papyraceos, postquam oblati sunt, igne consumere, & alia rite ac solemniter peragere, quæ in Notis prioribus retuli? Hæ ceremoniæ simul sumptæ non speciem sumunt ab interno, ut asserit Observator, sed cultum constituunt per se superstitiosum & idololatricum, ac proinde Christianis omnino illicitum.

Observatio.

16. * Status ergo quæstionis ille est: an ob

* §. *Status ergo.*

ob ritus & ceremonias, quæ longè maximo doctissimoque in literis saltem Sinensibus Missionariorum numero, post multiplex de illis examen institutum ea diligentia qua vix potest esse major, videntur mere politicæ ac civiles; an, inquam, ob tales ritus claudenda sit innumeris Sinis janua salutis & fidei.

Responsio.

17. Quis non videt sic proponendo statum quæstionis, illudi Apostolicam Sedem, & fucum fieri Eminentiss. Patribus? Non rem ipsam judicio S. Sedis determinandam subjicit Observator, sed nusquam illam clare explicando, tanquam jamdiu plurimorum Missionariorum ac Theologorum è Societate ac nonnullorum aliorum auctoritate definitam proponit, ut ope Probabilitatis Romana Ecclesia id Christianis licitum esse pronuntiet, quod statim atque verè expositum est, idololatricum ac superstitione plenum apparet. Hocce artificio Eminentiss. Patres à vero statu quæstionis se abduci, ac detracto Judicum officio, Probabilismi erroribus implicari nunquam patientur.

Observatio.

18. * Ita judicarunt viginti tres Sinarum Missionarii anno 1668. pro fide Cantonem relegati, tres nempe Dominicani, Franciscanus unus.

Responsio.

19. Franciscanus ille erat P. Antonius à Sancta Maria, pietate & zelo Religionis insignis,

* §. *Ita judicarunt.*

gnis, qui usque ad mortem, quam Cantone obiit, cultus Progenitorum & Confucii illicitos esse defendit; è tribus vero Dominicanis erat P. Navarretta Missionariorum Ordinis sui Præfectus, ac postea Sancti Dominici in America Archiepiscopus, qui ea de re Patrum Societatis sententiæ ac deliberationi numquam subscribere voluit, ut ipse narrat Tom. 2. Operum suorum, de quo videndæ Notæ Sect. 1. art. 9.

Observatio.

20. * Dico primo nos habere ex Sacro Dominicanorum Ordine insignes in Sinicis maxime rebus viros quos Reverendissimo P. Navarrettæ opponamus.

Responsio.

21. Detractis, quos pro se falsò citat Observator, Dominicanis, insignes illi viri ad tres rediguntur, videlicet Patrem Sarpetrium, Illustrissimum Lopez & Patrem de Paz, de quibus videsis quæ dixi in prioribus Notis Sect. 1. art. 7. & 8. Hos tres solos habent Jesuitæ quos opponant non soli Reverendissimo Navarrettæ, sed Patribus Joan. Baptistæ Morali, Joanni de Polanco, Timotheo de Sancto Antonino, Dominico Coronado, Francisco Varo, celeberrimis Ordinis Præd. Missionariis, vel potius omnibus qui ex hoc Sacro Ordine in Sina, & Tunkino à sexaginta amplius annis Evangelium prædicarunt.

Observatio.

22. Hic † Navarretta Jesuitas etiam Sinenses im-

* *S. Interim dico.* † *Hic Jesuitas.*

immenſum laudat, & immenſum vituperat ...... Biennio ante mortem mirè Societatem commendat ..... Sic ille loquitur factus in America Archiepiſcopus in literis ad Gubernatorem Inſulæ *San Domingo*, deinde ad Regem Catholicum datis, omnia movens pro retinendis apud ſe Jeſuitis, proque obtinenda unius in ſua Metropoli Collegii fundatione.

Reſponſio.

23. Quæ hic ſummatim contra honorem & famam Illuſtriſſimi Navarrettæ objiciuntur, in Notis meis Sect. primæ art. 9. ſatis, ut ſpero, dilui & confutavi. Quæ autem adduntur de literis ab eo ſcriptis biennio ante mortem, in quibus Jeſuitarum zelum ac pietatem laudat, melius ſubticuiſſet Obſervator. Hæc enim ſolùm probant, Reverendiſſimum Præſulem non infenſo aut commoto in Societatem animo de cultibus Sinenſium adverſus Jeſuitas contendiſſe, quos, jam Factus Archiepiſcopus multis laudibus ornat, ut eos in ſua Metropoli, ubi eorum opera ad inſtituendam juventutem indigebat, retineret. De Patre Garcia & Patrè Alcala Dominicanis quos citat Obſervator, vide dicta in Notis Sect. 1. art. 8.

Obſervatio.

24. * Quis primo non miretur (Domini Charmot) credulitatem.

Reſponſio.

25. Nimiam mihi credulitatem exprobrat, quod Patrem Joannem Baptiſtam Moralem per decem circiter annos moratum in Sina dixerim,

* §. *Quis primo.*

rim, antequam Romam proficiſceretur; cum tamen, inita ſubductaque temporum ratione, non amplius quam octo anni cum dimidio reperiantur. Si abſolute decem annos dixiſſem, aliquem me reprehenſioni locum dediſſe non abnuerem; quanquam ad experientiam cultuum Sinenſium de qua agitur, perinde eſt ſi quis octo tantum, aut decem annos in Sina degerit. Sed cum particulam *circiter* addiderim, nodum in ſcirpo quærit, qui id coram Eminentiſſimis Dominis reprehendendum ducit.

Obſervatio.

26. * Duo Patres interfuerunt Sacrificiis, hoc eſt viderunt ritus externos profundas inclinationes, odores incenſos, oblatas carnes & alia ejuſmodi quæ in Sina continuò fiunt amicis, hoſpitibus, Mandarinis adventantibus.

Reſponſio.

27. Falſiſſimum eſt, quod bona pace Obſervatoris dixerim, amicis, hoſpitibus, Mandarinis adventantibus ea fieri, quæ Pater Antonius à Sancta Maria & Pater Joannes Baptiſta Morales in eo ſacrificio Progenitorum, cujus oculati teſtes fuêre, viderunt. Num ſolemnes ad Altare genuflectiones, & orationes per aliquod tempus hoſpitibus etiam Mandarinis adventantibus fiunt? Num calix vini ambabus manibus ſuper caput tollitur & offertur, ac deinde ab offerente bibitur? Num ſimili modo caput capræ floribus intextum una cum pilis

* *Ibid.*

pilis & cornibus elevatur & offertur? ut omittam plura alia quæ ex ritualibus libris & autenticis teſtimoniis in deſcriptione ejuſmodi ſacrificiorum retuli Notarum mearum Sect. 1. Art. 2. Sanè cum Reverendo Patre *Bouvet* duabus vicibus Cantone Macaum perrexi, quem Urbium Mandarini & Magiſtratus more Sinico tanquam Mandarinum excipiebant, quod ex Aula Pekinenſi ad Imperatoris colloquium aliquoties admiſſus rediret: at nunquam ceremonias quæ in Progenitorum cultibus uſurpantur, aut quid ſimile ei fieri perſpexi.

Obſervatio.

28. * At ſecundo, Quis majorem in eo non deſideret æquitatem? Plures quam 80. tam Dominicani quam Jeſuitæ teſtantur ritus illos non eſſe vera ſacrificia . . . . . comparentur duo vel tres teſtes cum pluribus quam octoginta.

Reſponſio.

29. Poſita ſemel veritate facti circa cultus Progenitorum & Confucii, quam in prioribus meis ſcriptis conſtabilitam, ne ipſe quidem Obſervator negare auſus eſt, non contra æquitatem, ſed contra rectam rationem & communem ſenſum Chriſtianorum peccare me exiſtimarem, ſi hos cultus Chriſtianis licitos eſſe crederem. Neque moror auctoritatem 80. Jeſuitarum, adjunctis tribus Dominicanis de quibus jam ſupra, qui probabile vel etiam probabilius arbitrantur præfatos cultus tanquam mere civiles ac politicos Chriſtianis per-

* §. At ſecundo.

permitti posse. In his enim quæ cultum divinum, hoc est summum religionis caput spectant, non quid probabile vel probabilius, sed quid verum ac certum sit quærendum est, ut fusè ostendi in priori scripto Sect. 1. Art. 6. & seqq. Non duos autem aut tres tantum testes in hac causa Jesuitis oppono, sed fere quotquot ex aliis Sacris Ordinibus Missionarios Regulares, & ex Clero Sæculari Vicarios Apostolicos ac Missionarios Gallos hactenus regnum Sinarum habuit, qui fere omnes non ut probabile, sed ut verum ac certum putant ejusmodi cultus idololatriæ & superstitionis damnandos esse; prout reipsa eos Decretum anni 1645. damnavit.

Observatio.

30. * Numerari possunt in septemdecim ejus (Patris Joannis Bapt. Moralis) quæsitis suppositiones falsæ supra quadraginta, quas absit ut malæ ejus fidei adscribamus: sunt igitur tribuendæ datæ illi ab aliis informationi non sinceræ. Inde procul dubio factum est ut ipse Roma rediens in Sinas cum Decreto S. Congregationis non ausus sit illud vulgare quale reipsa est: nam ex septemdecim quæsitis novem tantum proposuit Sinensibus.

Responsio.

31. Proponat Observator quadraginta illa Patris Moralis errata: non deerunt, ut spero, ex Sacro Ordine Prædicatorum qui integerrimum ac celeberrimum Missionarium contra ejusmodi objecta defendant. Sat mihi est

* §. Dixi Patrem.

eſt ex tot ſuppoſitionibus nullam ei tribui in quæſitis quæ ad cultum Progenitorum & Confucii ſpectant, in quibus ſolum ait Obſervator, exaggeratam ſupra modum ab illo idololatriam: ego vero omnia fideliter & ſecundum veritatem expoſita contendo, idque ex prioribus meis ſcriptis ſatis patere. Conſtat etiam eum ad Sinas reducem Decretum Sacræ Congregationis rite publicaſſe, & exempla autentica dediſſe vel miſiſſe Superioribus Ordinum, tum Goæ, Macai, & Manilæ, tum etiam præcipuis Miſſionariis in Sina degentibus. Sin vero in Libello ſeu Catechiſmo Sinenſi poſtmodum ab eo vulgato; non ſingula Decreti Reſponſa, ſed aliqua tantum propoſuit, id veriſimiliter fecit; quod conſultius judicaverit non omnia in ejuſmodi Libello vulgo exponere, quæ Miſſionariis & Divini Verbi Miniſtris ex ipſo Decreto nota eſſe ſatis habebat.

Obſervatio.

32.* Sed hic duo notanda ſunt, primò Alexandri VII. Decretum eſſe poſterius altero, editumque fuiſſe poſt utramque partem auditam . . . . . antequam autem ſecundum Decretum emanaret, utraque pars audita eſt.

Reſponſio.

33. Quid hæc juvant, ſi conſtet falſa Martinii expoſitione circa factum deceptam eſſe S. Congregationem? At id jam clarius eſt, quam ut negari poſſit. Hæc etiam verba *poſt utramque partem auditam*, &, *utraque pars audita*

N

* §. 8. Anno 1669.

dita est, ambiguè dicta sunt, ut Lectori illudatur. Nam dum Martinius dubia sua Romæ proponeret, falsum est citatos vel auditos fuisse PP. Dominicanos, aut aliquem pro Patre Joanne Bapt. Morali Decretum anni 1645. defendisse & Martinio contradixisse, quod tamen insinuant prædicta verba. Id quoque evincitur ex Decreto anni 1669. quo, ad postulationem Patris Joannis Polanco Ordinis Prædicatorum declaratum est Decretum anni 1645. per Decretum anni 1656. *circumscriptum non fuisse, sed omnino secundum quæsita, circumstantias & omnia in dubiis expressa esse servandum.* Si enim Decretum anni 1656. audita utraque parte, &, ut loquuntur, in contradictorio editum fuisset, S. Congregatio quæ id facile ex Regestis suis rescire potuit; nunquam declarasset præcedens Decretum anni 1645. in suo robore manere; & juxta factam à Patre Joanne Morali expositionem servandum esse; sed potius ei per posterius Decretum anni 1656. derogatum fuisse respondisset. At cum eodem Decreto declaretur servandum quoque esse diversum & quodammodo contrarium Decretum anni 1656. *juxta quæsita, circumstantias & omnia in eis expressa*, patet hanc Sacræ Congregationis declarationem fuisse tantum per modum provisionis, donec videlicet eliquata facti veritate Apostolica Sedes quid omnino circa hos cultus Sinenses ab omnibus Missionariis sequendum esset, definitivo judicio statueret; quod quidem judicium nunc ab eadem S. Sede, per-

specta

ſpecta ſatis facti veritate, omnes expectant.

Obſervatio.

34. * Diceres nihil obvium magis, nihil facilius quam hanc quæſtionem facti definire: ſed illudunt, qui ſic loquuntur.

Reſponſio.

35. Quæſtio facti eſt quid reipſa fiat in cultibus Avorum & Confucii apud Sinas. Id autem in Sina degentibus eſt nôtiſſimum nulloque negotio ſciri poteſt. Id ipſum prioribus meis Scriptis evidentiſſime probavi, ubi præfatos cultus accuratè deſcripſi. At Obſervator rem vellet reddere difficilem vel potius inextricabilem, jus ſimul & factum permiſcendo. Ita ſibi illudi non patientur Eminentiſſimi PP.

Obſervatio.

36. † Supra effectum eſt ritus illos reſpectu Chriſtianorum nec debere dici, nec poſſe materialiter quidem idololatricos, multo minus formaliter quia primò.

Reſponſio.

34. Generaliter loquitur Obſervator, ita ut ne quidem excipiat ſolemnes oblationes quæ bis per ſingulos annos, tum Confucio tum Progenitoribus mortuis fiunt, quemadmodum eas priori meo ſcripto retuli. Quis autem non miretur adhuc defendi ejuſmodi ceremonias reſpectu Chriſtianorum ne quidem materialiter dici debere idololatricas?

* §. 10. Et verò.

† §. Supra effectum eſt.

Sanè qui illas, prout à me relatæ ſunt, attenderit, vix unquam dubitabit quin reſpectu Sinarum Infidelium ſint idololatricæ. At ſi ſaltem à multis jam ſæculis ſunt apud totam Sinarum Nationem idololatricæ, quî fieri poteſt, ut per internam mentis directionem Chriſtianis innocentes & omni idololatria liberæ evadant? Neque enim ea, quæ in prædictis oblationibus peraguntur, ex occulta tantum & interna Sinarum idololatria, mala ſunt, ut falsò ſibi ſumit Obſervator, ſed ex loco, Miniſtris, Victimarum delectu, oblatione, precationibus, aliiſque adjunctis omnino idololatrica & ſuperſtitioſa haberi debent.

Obſervatio.

38. * Nunc Dominus Charmot aggreditur commendare S. Congregationi Mandatum Reverendiſſimi Domini Maigrot . . . . ac, primò quidem Auctorem Mandati in primis commendat ob ſingularem ejus pietatem, doctrinam, ac prudentiam &c.

Reſponſio.

39. Quæ hîc opponit Obſervator ad deprimendum Reverendiſſimum D. Maigrot, videlicet in brevibus ſcriptis multiplices ejus contradictiones, in reformando Alexandri VII. Decreto temeritas, in appellando Sinarum Imperatore Atheo imprudentia & male dictum, in prioribus meis Notis diſcuſſa ſunt & confutata, neque operæ pretium exiſtimo hiſce examinandis diutius immorari.

Obſer-

* §. XI. Nunc Dominus.

Observatio.

40.*Festive addit (D. Charmot): cum de anima-
„ rum periculo agitur, non desiderari tot testes,
„ neque probationes adeò certas .... sic
„ pergit: cum de matrimonio contrahendo,
„ inquit, agitur, sufficit unus testis impedi-
„ menti dirimentis ut non contrahatur ....
Nescio an Dominus Charmot satis attenderit ad consequentias hujus sui argumenti.

Responsio.

41. Probationes & testes de quibus loquor, sunt circa factum, ut patet exemplo impedimenti dirimentis matrimonium, quod quidem impedimentum est v. g. consanguinitas, vel affinitas in certo gradu, votum solemne castitatis & similia quæ in facto consistunt. De his aio sufficere unum testem, ut celebratione matrimonii superſedeatur. Sic in præsenti casu ad probandam veritatem facti, hoc est hæc atque hæc peragi in cultibus Progenitorum & Confucii, posset sufficere unius gravis viri testimonium: suppono enim ubi semel de facti veritate constiterit, vix quempiam, cujus aliunde mens non sit præconceptis opinionibus occupata, dubitare posse quin cultus illi idololatria & superstitione sint infecti, idque patere ex conscientiæ remorsibus complurium Missionariorum, qui ea de re Reverendissimum Dominum Maigrot consuluerunt, & ut tam gravi malo mederetur rogaverunt. At Observator res omnino diversas permiscens, quæ de facto dicta sunt, ad

* §. 13°. Advertens.

ad quæſtionem juris transfert, ut malos mihi atque ineptos diſcurſus affingat.

Obſervatio.

42. * Quando agitur de honeſtate vel malitia actus, cum Lex vel imperans vel prohibens non reddat hunc actum mihi illicitum vel licitum nisi dependenter à cognitione mea, adeo ut ſi legem invincibiliter atque inculpabiliter ignoro, non ſit mihi illicitus actus quem Lex ſic ignorata prohibet: inde fit ut cum probabilius judico legem illam non exiſtere, vel certè non extendere ſe ad hunc, v.g. contractum, Lex iſtiuſmodi non me obliget ſaltem in actu ſecundo, etſi fortè exiſteret. Unde ſive agatur de uſura, ſive de ſimonia, ſive de idololatria, ſi prudenter ac probabilius judico actum de quo eſt quæſtio non eſſe uſurarium nec ſimoniacum, nec idololatricum, ideoque nec prohibitum Lege vel uſuram vel ſimoniam vel idololatriam prohibente, certum eſt hujuſmodi actum eſſe omnino mihi licitum, nullaque reſpectu mei imbutum labe ſive malitia neque uſuræ, neque ſimoniæ, neque idololatriæ.

Reſponſio.

43. Qui mihi falſas & ineptas ratiocinationes affingit, peſſimas ipſe ex falſo & erroneo Probabiliſmi principio conſequentias infert. Admittit enim, juxta communem Scholæ ſuæ doctrinam, dari invincibilem & inculpabilem ignorantiam in iis etiam quæ jure divino naturali

* §. At verò.

turali prohibentur. Ea autem, ut ipse existimat, invincibiliter & inculpabiliter ignoramus, quæ hîc & nunc, aut quibusdam rationibus ducti, aut aliorum, quos consuluimus, auctoritate persuasi, licita nobis esse judicamus; tametsi reipsa Legi Divinæ naturali contraria sint: quod si semel admittatur, vix ulla ignorantiæ peccata restabunt, & plerique homines in delictis gravissimis culpa carebunt, ut speciatim, hîc de usura, simonia, imo & idololatria affirmatur. Quanto verius ac solidius alii Theologi post Angelicum Præceptorem, docent, in primis juris naturalis principiis non dari ignorantiam invincibilem, in iis vero quæ per remotas consequentias ab eodem jure pendent, si quæ datur ignorantia, eam nunquam esse omnino inculpabilem, adeoque peccatum quidem minuere posse, sed non penitus tollere. Hanc doctrinam Reverendissimus Dom. Maigrot & ejus Procurator non ex Scholis Patrum Societatis, sed ex Scholis Sorbonicis se hausisse gloriantur.

Observatio.

44. * Propterea culpandos non putavit eos Reverendissimus Dominus Maigrot, qui ante suum Mandatum prohibitam nunc per illud praxim amplexi sunt, ut sibi tunc temporis probabiliorem.

Responsio.

45. Non ex Probabilismi regulis sic loquutus est Reverendissimus Dominus Maigrot: solum his verbis declaravit, se, pro bono pacis,

* *Ibidem.*

cis, nolle eos, qui ad illud usque tempus, contrariam praxim sequuti erant, in foro exteriori traduci aut inquietari, divinoque relinquendum judicio, quid quantumve in tolerandis ejusmodi cultibus peccaverint. Vide Notas Sect. 1. art. 12. n. 168.

Observatio.

45. * Agitur enim tantum de ritibus externis, qui cum sint ex natura sua indifferentes, ut fiant vel cultus civilis, vel cultus religiosus, debent omnino apud illas gentes ad alterutrum determinari ex voluntate & institutione hominum, vel etiam ex eorum intentione.

Responsio.

46. Ritus, qui præsertim in solemnibus oblationibus Progenitorum & Confucii adhibentur, prout à me relati sunt in priori Scripto Sect. 1. art. 2. non sunt ex natura sua indifferentes, sed ex loco, Ministrorum qualitate, precationibus aliisque circumstantiis statim religiosi & sacri esse dignoscuntur; neque ad hoc ut tales habeantur, necesse est internam & occultam hominum intentionem spectare.

Observatio.

47. † Non est aliunde minus certum hanc non esse communem Sinarum maxime Literatorum persuasionem ac fidem, (Confucium & Progenitores mortuos esse numina & idola) ut alibi probatum est, ac proinde ritus externos, quibus Confucius ut Regni Magister ob doctrinam, & Progenitores ob vitam ab illis ac-

* §. *Resp.* 4. † § *Tota ergo.*

acceptam coli possunt, remanere semper non modo civiles & politicos, sed etiam licitos & innocentes ..... Ergo ritus illi externi de quibus agitur in præsenti quæstione, ne materialiter quidem respectu Christianorum dici possunt idololatrici: ergo in ritibus illis externis nullum est nequidem idololatriæ periculum levissimun respectu Christianorum bene instructorum.

Responsio.

49. Hæc generaliter dicuntur, & ad solemnes quoque oblationes, tum Progenitorum, tum Confucii extenduntur. Quis autem, ubi harum oblationum relationem, quæ priori meo scripto habetur, attenderit, ferre poterit earum ritus dici remanere semper non modo civiles & politicos, sed etiam licitos & innocentes? Certe ipsemet Martinius in solemnibus Progenitorum oblationibus, multa superstitiosa peragi ab infidelibus Sinis confessus est, ut videre est in Decreto anni 1656. De solemnibus verò Confucii oblationibus, quæ perinde ac solemnes Progenitorum oblationes Decreto anni 1645. damnatæ erant, idcirco tacuisse videtur idem Martinius, quod clara esset earum superstitio & idololatria, eamque vix se occultare posse desperaret.

50. Falsum autem est ritus illos, de quibus agitur, non habendos esse ut religiosos ac sacros, nisi persuasum sit Sinis Progenitores mortuos & Confucium esse quædam numina & idola. Quidquid Sinæ de spiritibus Avorum mortuorum & de Spiritu Confucii sibi in animo fingant, certum est ritus quos in iis

colendis adhibent non minus esse sacros & religiosos, quam quos adhibent eodem plane modo in sacrificiis spiritus tutelaris cujusque urbis, quem *Chin hoan* appellant. Hos autem ritus idoli *Chin hoan*, omnes superstitiosos & idololatricos esse consentiunt. Quis vero patienter audiat, ejusmodi ritus ne quidem materialiter respectu Christianorum idololatricos dici oportere, quod melius instructi illos alia mente, aliaque circa statum Confucii & Progenitorum fide quam infideles Sinæ, peragant? Certe ex Christiana fide, tum Confucium, tum Proavos in infidelitate mortuos, cum Diabolo ad infernum detrusos esse norunt. An igitur hac fide imbuti magis alieni erunt ab omni superstitionis & idololatriæ periculo, si eosdem illos cultus adhibeant, quos singula adjuncta religiosos sacrosque esse demonstrant, quosque in colendo *Chin hoan* seu spiritu tutelari cujusque urbis idololatricos esse nemo negat?

Observatio.

51. Si * Missionarii adhuc novi, & in literis ac ritibus Sinicis rudes & indocti rem aliter apprehendant quam sit, sibique & suis falsò persuadeant, vel ex præconcepta opinione, vel ex auctoritate Navarrettæ Confucium esse Idolum & Progenitores Idola, quis dubitat quin stante tali judicio quantumcumque falso, fiant illis omnes isti ritus illiciti, imo etiam idololâtrici?

Responsio.

52. An primus & solus Illustriss. Navarret-

* §. 14. *Dico.*

retta cultus Progenitorum & Confucii superstitionis & idololatriæ damnavit? Nonne Pater Antonius à S. Maria & Pater Joann. Baptista Morales, ille ex Ordine Minorum, hic ex Ordine Prædicatorum, longe ante Navarrettam cultus illos, ut Christianis illicitos reprobarunt? Nonne quotquot fere postea ex utroque illo Ordine atque etiam ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini, qui Sinicam Missionem excoluerunt, in eadem fuère sententia? An omnes illi etiam post decem, viginti, triginta, vel quadraginta & amplius annos in Sina completos, adhuc novi & in ritibus Sinicis rudes & indocti dicendi sunt?

Observatio.

53. † Sic viri vel indocti vel scrupulosi aut melancholici aut proprii judicii plus justo tenaces multa quotidie spargunt tanquam illicita...... * Apage ergo male fundatos in Missionariis conscientiæ remorsus, imaginaria pericula, imprudentes eorum metus,

Responsio.

54. Felices Jesuitæ, qui singulari eruditione & doctrina res difficillimas nullo negotio explicant, quique Probabilitatis ope suas & aliorum conscientias ita tranquillant, ut ubi tot alii manifestam superstitionem & idololatriam deprehendunt, ipsi nihil nisi innocens, imo nisi honestum & laude dignum comperiunt, indoctorum ac scrupulosorum hominum imaginaria pericula, & imprudentes eorum metus deridentes.

De

† *Ibid.* * §. *Apage ergo.*

De primo punCto mei Memorialis :

Qua voce ſit nuncupandus Deus apud Sinas.

Obſervatoris Verba.

55. * Quoad tertium & quartum punctum (Mandati Reverendiſſ. Domini Maigrot) de non appellando unquam Deo neque *Xangti* neque *Tien*, quam ſit hoc imprudenter præſcriptum, patebit legenti Obſervationes in caput primum Mandati : in prima probatur ..... Hæc autem tam clare ni fallor, tamque ſolide probata ſunt, ut ad ea qui vel leviter attendet, miraturus ſit vel ſummam Reverendiſſ. Domini Maigrot & Domini Charmot in rebus Sinicis ignorantiam, vel parum æquam utriuſque nocendi Jeſuitis libidinem.

Reſponſio

56. Quam juſte & neceſſario, ſuppreſſis vocibus *Xangti* & *Tien*, ſolam vocem *Tienchu* ad ſignificandum Deum Opt. Max. retinendam decreverit Reverendiſſ. D. Maigrot, probatum eſt, ut ſpero, Notis meis prioribus ſect. 3. art. 1. & ſeqq. qua in re conſentientem habemus Reverend. P. Procuratorem Generalem Societatis in Memoriali S. Congregationi exhibito, ut ibidem art. 1. notatum eſt. Unde facile omnes mirabuntur tantam Obſervatoris in hoc argumento confidentiam, mul-

* §. *Quoad tertium.*

multoque magis ejus ſupercilium, ne dicam verborum petulantiam, præſertim in Vicarium Apoſtolicum à quatuordecim & amplius annis in Sina non ſine laude commorantem, atque honorifico nuper Summi PP. Brevi dignatum.

De ſecundo puncto Memorialis,

De abolendis tabellis quibus inſcriptæ ſunt voces iſtæ: *King Tien, Cœlum colito.*

Obſervatio.

57. * Qui legerit præcedentes Obſervationes, intelliget is facile, quam ſit parum prudens, quam injuſtum quoad iſtiuſmodi tabellas Reuerendiſſ. Mandatum, &c.

Reſponſio.

58. Summatim hîc repetit Obſervator quæ fuſius habet Obſer. Part. 2. in 1. & 2. Cap. Mand. Reverendiſſ. D. Maigrot, quibus ſatis, ni fallor, reſpondi in Notis meis ſect. 3. & 4. unde ſupervacaneum eſſet ac Lectoribus moleſtum eadem hîc replicare.

De tertio puncto

Circa informationem Patris Marrinii,

Obſervatio.

59. † Conqueritur hîc P. Le Tellier falsò ſibi

* *§. Qui legerit.* † *§. Conqueritur hic.*

ſibi impoſitum à Domino Charmot, quod in ſuo libro dixiſſet per Decretum Alexandri VII. derogatum eſſe Innocentiano. Petit Auctor aſſignari ſibi locum in quo id legerit; cum è contra pag. 199. edit. 3. & pag. 143. edit. 4. poſitive is affirmet utrumque Decretum à Clemente IX. eſſe confirmatum.

Reſponſio.

60. Defenſionis Tellerianæ neque tertiam neque quartam editionem conſului: ſolum habui ad manum primam editionem quæ ad S. Congregationem Indicis delata bis unanimi Conſultorum voto à S. Congregatione damnata eſt. In hac autem Edit. pag. 188. & 189. hæc verba Latinè reddita leguntur: „ Pater Martinius obtulit autentica documenta quæ de his rebus ſecum attulerat: communicata ſunt cum iis qui partes Patris Moralis agebant & diligenter per multos menſes examinata. Denique omnibus ex utraque parte auditis Congregatio die 23. Martii 1656. coram Alexandro VII. Decretum condidit ab eodem Pontifice approbatum, quod tanquam judicium his de rebus in contradictorio latum haberi debet. Huc uſque P. Tellier. Nonne his verbis ſatis aperte ſignificat Decreto anni 1645. non auditis Jeſuitis, ut ipſi conqueruntur lato, per poſterius Decretum anni 1656. derogatum eſſe?

Obſervatio.

61. Sed * Dominus Charmot cum ſuo Reverendiſſimo contendit haberi numen à Sinis Confucium.

Reſpon-

* §. *Sed Dominus.*

Responsio.

62. Quidquid de Confucii spiritu seu anima sentiant Sinæ Literati, tabella quæ sic inscribitur: *Sedes seu Locus animæ Sanctissimi & superexcellentissimi Protomagistri Confucii*, ubi spiritum ejus tempore oblationum, insistere ac requiescere putant, superstitione & idololatria non vacat; neque coram illa genuflectere, thus & odores cremare Christianis licitum est; multo minus vinum libare, capræ aut porci caput offerre, & reliqua obire quæ in solemni ejus cultu bis per annum fieri solent.

Observatio.

63. * Colunt (Literati) & inferiori cultu tutelares, de quibus ante, spiritus.

Responsio.

64. His verbis Observator licitum declarat cultum genii tutelaris cujusque urbis, quem *Chin hoan* appellant. Atqui jamdiu omnes conveniunt illicitum esse & idololatricum hujusmodi cultum, eumque absolutè prohibuit Decretum anni 1645. neque contra hanc prohibitionem quidquam mussitare ausus est Martinius.

Observatio.

65. † Ita Pater Semedo Christi Confessor, ut supradictum est, & 46. annorum Missionarius. Numquid mirum quod à Navarretta Dominoque Charmot hic citetur pro tuendis suis de Sina erroribus?

Responsio.

66. Quæ hîc de Patre Alvaro Semedo habet

* § *Quod spectat.* † §. *Ita Pater.*

bet Observator, melius & commodius infra; ubi de eodem Semedo agetur, examinabo numer. 128. & 129.

Observatio.

67. † Quod spectat ad Longobardi sententiam de Sinarum Philosophia, respondeo 1°. hunc fuisse pietate ac zelo præstantiorem quam Philosophiâ & Theologia.

Responsio.

68. Successit Pater Longobardus Patri Riccio in Præfectura Missionariorum Sinensium, & hoc munere per longos annos præclare functus est, Linguæ & Philosophiæ Sinensis studiosissimus ac valde peritus. Quis non miretur talem virum hîc exhiberi tanquam Philosophiæ ac Theologiæ rudem; quod ejus se auctoritate premi sentiat Observator? Deinde quis non advertat, ut Missionarius de præsenti quæstione judicium ferat; parum referre an plus vel minus in Philosophia & Theologia profecerit; modo literas & ritus Sinenses apprime calleat.

Observatio.

69. * P. Roboredo nunquam ingressus est Sinas. Venit Macaum ex Jndia cum P. Brancato; Macaoque, vix paucis mensibus ibi transactis, Manilam missus est; quodque notandum; dum is fuit in urbe Macao, nullum ibi Sinensem Missionarium reperit, teste eodem Brancato. Denique cum inventus esset minus ha-

† §. *Quod spectat.*
* §. *Respondeo 2.*

habens capacitatis, expulsus est è Societate. En gravem plane testem rerum Sinicarum.

Responsio.

70. Si nulla aut parva fides de rebus Sinensibus iis qui Sinam non sunt ingressi, habenda est; quid censendum de auctore Observationum qui nunquam Europa egressus, tanta confidentia de cultibus & ceremoniis Sinensium loquitur; ut non mihi solum, sed & Reverendissimo Domino Maigrot os occludere velle videatur. Pater Bartholomæus Roboredo erat Procurator Provinciæ Philippinarum & Missionum Societatis in Sina; quando Apologiam pro Societate adversus Religiosos utriusque Ordinis tum Sancti Dominici, tum Sancti Francisci composuit, eamque approbavit Visitator Societatis ejusdem Provinciæ. Unde tametsi paucos tantum menses Macai, ubi est Missionariorum Societatis seminarium, moratus sit, ex aliorum Jesuitarum relatione, nec non ex literis & monumentis quæ Macai & Manilæ in eorum Collegiis asservantur; facile eorum, quæ ad Sinicam Missionem spectant, certam ac sufficientem scientiam habere potuit. Sed quia aliis sincerior multa in eo scripto ut vera agnovit, quæ hodie Societas è re sua judicat in dubium revocare; hinc est quod Observator, eum, nullis licet probationibus adductis, tanquam hominem nullius pretii; adeoque è Societate expulsum, infamet.

Observatio.

71. * Testem appellamus ipsum Navarrettam qui ad calcem secundi sui tomi pag. 484. Scriptum illud Patris Roboredi bis publicavit.

Responsio.

72. Lectori fucum facit Observator: Ex verbis Navarrettæ ab eodem Observatore hic allatis non habetur Scriptum Roboredi de quo ibi agitur, esse Apologiam ab eodem compositam, quam integram ad calcem sui tomi retulit Navarretta. Imo potius ex ejus verbis arguere licet; fuisse aliud quoddam, privatum scriptum manu Roboredi signatum; & ab eo cuidam Tribuno Militum Hispano Manilæ traditum. Denique ex utriusque scripti die patet diversa fuisse scripta; nam Apologia habet adscriptam diem 26. Decemb. 1638. scriptum vero illud de quo Navarretta tom. 2. pag. 318. Tribuno Militum Hispano anno 1637. traditum fuit.

Observatio.

73. † Dico secundo ne umbram quidem superstitionis inesse juxta Dominum Charmot iis quæ in suis quæsitis S. Congregationi circa Confucium reliquosque defunctos proposuit Pater Martinius:.....: Non debemus hic omittere quam turpiter impegerit Dominus Charmot, dum in hoc loco affirmat in eo desiderari fidelitatem Patris Martinii, qui ceremo-

* §. *Hoc si revera.*
† §. *Dico secundo.*

remonias illas proposuit, ut ne vel umbram quidem superstitionis inesse significaret. *Longe postea* §. *Non debemus.*

Responsio.

74. Me falsò & per calumniam hæc dixisse de Patre Martinio contendit Observator, idque ait patere ex ipsis quæsitis Patris Martinii & ex Decreto S. Congregationis. Idem in prioribus Observationibus mihi objecit, quam objectionem veluti vanam & futilem in notis meis omisi. Cum autem illam iterum repetat, respondeo verba mea non ita accipienda, quasi significarim, voluisse Martinium ne umbram quidem superstitionis inesse iis quæ ab infidelibus fiunt in cultu Progenitorum defunctorum; sed tantum res, quas Jesuitæ suis Neophytis permittunt, ita exposuisse, ut nemini dubium esset quin superstitione vacarent, ac proinde in Neophytis Sinensibus tolerari deberent. Atque idem est sensus D. Reverendiss. Maigrot ubi in Expositione sua versus medium sic ait: „ atque ut manifestius „ appareat iis quæ à Reverendo Patre (Martinio) relata sunt, aut saltem plerisque ne „ vel umbram superstitionis inesse...... No- „ tandum est illum ferè ea omnia prætermisisse, in quibus difficultas posita est, eaque proposuisse quæ sunt extra controversiam.

75. Frustra itaque Observator verba mea in alienum & absurdum sensum detorquet, ut in manifesta me calumnia & falsitate deprehensum clamitet, atque adeo indignum

esse cui in aliis rebus fides adhibeatur. Ex ipsa Martinii expositione & responsis S. Congregationis ad quartum quæsitum de cultibus Progenitorum, patet tum Martinium, tum S. Congregationem suppoſuiſſe aliqua in ejusmodi cultibus superstitiosa & illicita fieri à Sinis Gentilibus. Stolidus esset aut impudens, qui id de Expositione Martinii & Decreto S. Congregationis negaret. At cum Martinius ibidem supponat, cultus illos, si in se spectentur, esse merè civiles ac politicos, solumque per accidens adjuncta fuisse nonnulla superstitiosa, quæ à Christianis facilè omittuntur, aut quibus, cum ab infidelibus peraguntur, facta fidei protestatione, licitè interesse possunt; hinc rectè observavi eum hac in re praxim & usum Neophytorum Societatis sic exposuisse, ut ne umbram quidem superstitionis inesse significaret.

76. Videat potius Observator quâ ratione conciliari possint quæ habentur in Expositione Martinii, & Decreto S. Congregationis de superstitionibus ejusmodi cultuum, cum iis quæ idem Observator, post P. Tellier, Patrem Sarpetrium aliosque sæpè repetit, scilicet probabile, imo & probabilius videri, cultus Progenitorum & Confucii, tam solemnes quam minus solemnes, esse merè civiles & politicos, adeoque licitos & innocentes Sinis Gentilibus, quippe qui nullam divinitatem aut dignitatem supernaturalem in Confucio & Proavis mortuis agnoscant, nihilque ab eis aut sperent aut petant.

Obser-

Observatio.

77. * Porro nihil ridiculum magis quam quod sibi fingit Navarretta in istis ritibus Sacerdotem, Diaconum, Subdiaconum, applicatque Sacrificio Missæ hujusmodi ceremonias.

Responsio.

78. Nec solus nec primus Navarretta solemnium oblationum, quæ bis in anno Confucio & Progenitoribus fiunt, Ministros nostris Hierarchicis Ministris, comparavit. Id fecerunt Pater Antonius à S. Maria & P. Joannes Baptista Morales in relatione hujusmodi solemnis oblationis, cujus occulati testes fuerunt. Sanè qui descriptionem harum oblationum à me factam attenderit, non ridiculam illam comparationem, sed rei explicandæ aptissimam judicabit.

Observatio.

79. † Ridicule ergo ex eo quod nos Europæi cultum in istis reponimus Religiosum, inferetur idem de Sinis.

Responsio.

80. Multa hîc circa humanum civilemque Sinensium cultum in visitandis & honorandis Magnatibus affert Observator, quasi eadem essent atque illa quæ in cultibus Confucii usurpantur; quod à vero prorsus alienum esse jam supra ostendi num. 27.

Observatio.

81. ** Etsi autem inter Societatis Missio-

O 3 na-

* §. *Porro nihil.* † §. *Ridicule ergo.* ** §. *Etsi autem.*

narios id constet, (in oblationibus Confucii solemnibus nihil esse quod superstitionem redoleat,) quia tamen Neophyti non tenentur istis interesse solemnitatibus, ideoque sine inimicitiis & odiis hinc abesse possunt, quod dici non potest de ritibus Progenitorum, non permiserunt hactenus solemnes illas Confucii ceremonias celebrari à Christianis.

Responsio.

82. Falsissimum est Neophytos, si sint Mandarini, non teneri solemnibus Confucii oblationibus interesse. Imo præcipuus cujusque civitatis Mandarinus hujusmodi oblationum, quæ bis per annum, Vere scilicet & Autumno celebrantur, proprius est Minister seu Sacerdos, quem ad ædem Confucii pergentem magna pompa cæteri Magistratus, officiales & multi Literati comitantur, idque Imperialibus legibus & usu publico Regni sancitum est. Sed cum pauci hactenus fuerint Neophyti Mandarini, facilius fuit Patribus Societatis declarare se Christianis suis solemnes illas Confucii ceremonias interdicere; id quod de ritibus Progenitorum, qui ad omnes fere cujuscumque generis homines pertinent, minime sibi faciendum statuerunt, Unde Pater Martinius, silentio prætermissis solemnibus Confucii oblationibus, de Progenitorum tantum oblationibus sollicitus fuit, quas sic Apostolicæ Sedi exposuit, ut sublatis superstitiosis, Christiani eas celebrare, aut cum celebrantibus infidelibus, facta fidei protestatione, adsistere licite possent; cum tamen reipsa solemnes Progeni-

nitorum oblationes non minus ſint ſuperſtitione & idololatria infectæ, quam Confucianæ oblationes, ut alibi demonſtratum eſt.

83. An aliquando Patres Societatis ſolemnes duas Confucii oblationes prohibuerint, vel etiam adhuc prohibeant, dubitari poteſt. De hoc egi in priori ſcripto ſeu Notis in Obſerv. Sect. 1. Art. 4. Quiſquis allatas ab Illuſtriſſimo Navarretta rationes Tom. 2. Tract. 6. pag. 354. 355. perpenderit, vix dubitare poterit quin ante annum 1667. quo inter Miſſionarios in Urbem Cantonem relegatos acriter de cultibus Confucii diſputatum eſt, Patres Societatis ſolemnes illas oblationes Neophytis ſuis, ſi non expreſſe permiſerint, ſaltem diſſimulando tolerarint, eos, ut dici ſolet, in ſua bona fide relinquendo, neque eam ob rem à Sacramentis excludendo, quod ubi fit, Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ, id cenſentur permittere, quod re ipſa non prohibent.

84. Neque obſtat quod habet idem Navarretta quatuor aut quinque locis ejuſdem ſecundi Tomi, quos citat Obſervator Obſ. in §. Cap. Mand. Reverendiſſimi Domini Maigrot verſus finem §. *Non jam veremur.* Nam ſi rectè verba Navarrettæ his locis expendantur, non aliud ſignificant quam tunc temporis, cum ſimul degerent Cantoni, & de his cultibus Confucii diu eſſet diſputatum, Patrem Paceco Viſitatorem alioſque Jeſuitas declaraſſe nunquam ſe duas ſolemnes oblationes Neophytis ſuis permiſiſſe, de quo minimè ſibi contendendum exiſtimavit Navarretta, modo impoſterum inter eos conveniret mini-

mè permittendum esse Christianis ejusmodi oblationibus ministrare, vel etiam cum Literatis infidelibus adsistere.

85. An verò postea Jesuitæ hisce conventis stèterint, & Neophytos suos ab ejusmodi oblationibus Confucii omnino arcuerint, adhuc incertum videri potest; præsertim cum hucusque contendant has ipsas oblationes ad cultum civilem & politicum revocari, adeoque rem esse per se licitam & innocentem, à qua proinde Christiani potius ex consilio quam ex præcepto abstinere debeant.

86. Sane à 30. & amplius annis inter Neophytos suos plures habuerunt Literatos ac nonnullos Mandarinos. In vita Patris Magallensis à Patre de Buglio ejus socio composita, & ad calcem ejus Relationis Gallicè edita, funus ejusdem Patris Magallensis, qui Pekini anno 1677. diem suum obiit, describitur; ubi inter alia hæc leguntur: *Octo Mandarini Christiani superpelliceis induti Patri Officium celebranti adsistebant.* Et de Patre Alphonso Vagnono ejusdem Societatis Missionario legitur; quod plures Mandarinos ad fidem & religionem Christianam adduxerit, apud Sotuelum in Bibliotheca Scriptorum Societatis. Edictis autem Imperialibus & publico usu debent tum Mandarini, tum Literati præfatis solemnibus Confucii oblationibus ministrare, alioquin Mandarinatûs, graduumque amissione & aliis etiam gravioribus pœnis mulctandi. Quod si aliquis Mandarinus aut Literatus, hac de causa per tot annos, dignitate vel gradu excidisset, vix fieri posset quin ejus

jus rei fama ad Vicarios Apostolicos aliosque Missionarios emanasset. At tale quid de aliquo Mandarino hactenus in Sina inauditum.

87. Postremo in eo minimè sibi ipsis constant Patres Societatis: si enim nihil sit in solemnibus Confucii oblationibus, quod civilem & politicum cultum excedat, quodque Sinicos ritus consuetudinesque non ignoranti superstitionem redoleat, ut loquitur hîc Observator; ut quid eas Christianis suis interdicunt? Nonne hoc est recedere ab instructionibus à S. Congregatione de propaganda fide ad Vicarios Apostolicos in Sina Missis, quibus monentur, *ne ulla ratione suadeant illis populis, ut ritus suos, consuetudines & mores mutent, modo ne sint apertissimè religioni & bonis moribus contraria*? Nonne hoc pacto innumeris hominibus Ecclesiæ aditus & salutis janua occluditur; quod tantopere iidem Patres ad cultus solemnes Progenitorum permittendos urgent? Neque enim unquam rerum Sinensium peritis probabunt, ea quæ in ejusmodi cultibus Progenitorum fiunt, minus habere superstitionis, quam quæ in Confucianis oblationibus peraguntur.

88. Num igitur obtendent variam esse utrarumque oblationum rationem, quod oblationes Progenitorum ad omnes fere cujuscumque generis homines pertineant, Confucii verò ad solos Mandarinos & Literatos, quorum hactenus pauci Christo nomen dederunt. At nullius momenti est hæc differentia; imo si quis attendat quantum sit è re Christiana ad tuendam ac propagandam inter Sinenses reli-

gionem, multos Mandarinos ac Literatos fidem ampleсti, facile intelliget eos potius indulgentiâ alliciendos, quam præscriptis non necessariis à suscipiendo Evangelio deterrendos; quod certè contingeret, si à solemnibus Confucii oblationibus, quantumvis, ut volunt Jesuitæ, innoxiis & ab omni superstitione liberis, abstinendum sibi fore intelligerent, idque cum certo atque evidenti periculo amittendæ dignitatis & in alias adhuc graviores pœnas incurrendi. Unde in eam rem optime quadrant verba prædicti conventus Cantonensis Missionariorum Societatis Art. 41. quæ referuntur ab Illustrissimo Navarretta Tom. 2. Tract. 6. pag. 295. „ Posita, in„ quiunt, probabilitate (quod cultus illi sint „ tantum quid civile & politicum) non est „ claudenda janua salutis innumerabilibus Si„ nis qui avocarentur à Christiana religione, „ si prohiberentur ea facere, quæ licite ac „ bona fide, & non sine gravissimis incom„ modis prætermittere cogerentur.

Observatio.

89. * Verum exposuit Martinius cum asseruit nihil à defunctis Majoribus sperare, nihil petere. Id habet expresse Liber *Lyky* . . . . . id affirmavit Pater Matthæus Riccius.

Responsio.

90. Contrarium probant Rituales Libri & variæ Literatorum auctoritates quas affert Pater Franciscus Varo Missionarius Dominicanus in

* §. Verum exposuit.

in tractatu quem ex autentico exemplo manu propria in Sina exscripsi. Idem etiam probat tractatus Illustrissimi Lopez, quem ipsimet Jesuitæ producunt Cap. 3. §. De oblatione *Ci* de novo addito, ubi plures auctoritates ex libris Ritualibus & antiquis commentariis afferuntur, quæ disertè ejusmodi deprecationes defunctis Imperatoribus & proavis fieri docent. Primus locus est ex Rituali Sinico dicto *Ly chy*, ubi Auctor loquens originaliter de oblationibus seu Sacrificiis *Ci* quales sunt oblationes solemnes quæ bis in anno Proavis mortuis offeruntur, sic habet. „ In oblatione „ seu sacrificio *Ci* habentur preces, habentur „ gratiarum actiones, habetur etiam inde se- „ quens morborum, calamitatum, peccato- „ rum infortuniorumque omnium cessatio, vel „ potius fuga & extinctio. Secundus locus est Commentatoris in hunc textum *Ly ky*, qui ad explicandum quibus precibus in dicta oblatione *Ci* utendum sit, ex alio libro rituali hæc verba refert. „ Primo petantur felicita- „ tes, petatur perpetuitas optimi gubernii . . . „ In vere ac æstate petenda sunt frumenta, o- „ riza & alia hujusmodi. Tertius locus est ex commentario in eundem librum *Ly ky* ubi hæc leguntur. „ Oratori primario „ seu ceremoniarum Magistro in hujusmodi „ oblationibus seu sacrificiis adhibenda cura „ est de sex generibus orationum seu precum. „ Ad Coadjutorem verò seu secundarium O- „ ratorem spectat petere bona, felicitates &c. Quartus locus est ex Commentatore alterius Ritualis, ubi dicitur, „ Statutis temporibus

„ sa-

„ sacrificandum esse animabus seu spiritibus, „ quos *Ly Kuey* ac *Yeu hoen* vocat, hoc est „ spiritus & animas errantes, fixumque seu „ determinatum locum non habentes (dicun„ tur autem esse animæ illorum qui sine hæ„ redibus decesserunt) eisque comestibilia ad „ usum offerenda præscribit, ad hoc ut illi „ spiritus vel animæ hominibus non noceant, „ infirmitates pellant, aliaque bona conce„ dant. Has auctoritates de precibus, quæ in oblationibus Progenitorum adhibentur, ipsemet Illustrissimus Lopez adducit, quas quidem postea explicare atque eludere conatur, adductis etiam aliis auctoritatibus quæ supra allatis contrariæ videntur. Denique P. Alvarus Semedo ab Observatore multum laudatus in sua rerum Sinicarum Relatione Part. 1. Cap. 18. post relatos honores & cultus Confucio & Progenitoribus exhiberi solitos; hæc addit: „ pro anima sua in altera vita nihil ex„ pectant aut petunt. At pro vita præsente „ adjutorium postulant, bonam videlicet sor„ tem atque eorum gesta, & facta posse imi„ tari „. De quo videsis priores meas Notas Sect. 1. Art. 3. numero 38. itemque Art. 7. numero 81. An in prima ejusmodi rituum institutione secus res se habuerit, nolim disputare. De prima illa institutione videtur intelligendus locus Libri Ritualis *Ly ky* citatus ab Observatore. Patris Riccii ad defendendos ritus Sinenses propensioris auctoritatem non moramur.

91. Postremo qui naturam & mores Sinensium sua ubique commoda sectantium & ar-

denti

denti avaritia laborantium adverterit, vix unquam sibi persuadebit eos tot sumptus facturos, tantumque operæ ac studii in celebrandis Progenitorum cultibus posituros, nisi hoc pacto aliqua se bona hujus vitæ consecuturos sperarent. Certè complures apud eos reperias, quod expertus testari possum, qui cum Parentes adhuc vivos malè habuerint, eos post mortem iisdem illis ritibus diligentissime colunt. Quis autem credat hoc eos ob solam erga defunctos Parentes pietatem ac reverentiam facere, quos vivos neglexerunt, aut etiam malè tractarunt, & non potius communi illa opinione ductos, quod qui proavos solemni illo ritu prosequuntur, felicitatem hujus vitæ, hoc est divitias, honores, bonam valetudinem & longam vitam sperare debeant? Quod si ejusmodi bona sperent, quis dubitet quin etiam ad illa consequenda in tanto ceremoniarum apparatu preces & vota adhibeant?

Observatio.

92. * Quod autem de Patre Adamo Schaal, hoc est plusquam ridiculum. Nempe iste Pater, quo nemo alius communi sententiæ firmius adhæsit, scribens ad Dominicanum alterius opinionis ironicè sic loquutus est &c.

Responsio.

93. Perridiculum Observatoris effugium. P. Adamus Schaal Mathematices in Aula Pekinensi Mandarinus & componendo quotannis Kalendario, in quo dies fausti & infausti notantur, Præfectus, etsi in aliis Societatis utilitati

* §. Quod autem.

tilitati & gloriæ non parum serviens, potuit ejus de tolerandis Progenitorum cultibus sententiam minus probare, ac privatim ea de re sensum suum, scriptis ad Missionarium Dominicanum literis, aperire. Eum autem non seriò, sed per ironiam id scripsisse qui dicit, an seriò vel per ironiam loquatur meritò dubitari potest.

Observatio.

94. * De Antonio Govea, qua fide dici potuit, improbatum fuisse ab illo Decretum obtentum à Martinio? Erat ipse Cantoniensis Domus Superior cum huic Decreto subscriptum est à Conventu Cantoniensi, isque secundo loco subscripsit inter nostros. Qua igitur fide nisi Navarrettica id potuit affirmari?

Responsio.

95. Potuit Pater Antonius de Govea deliberationi Conventus Cantoniensis subscribere; tametsi in aliquibus Decretum à Martinio obtentum non probaret. Æqui prudentesque lectores judicent cui ea de re potius credendum, an Reverendissimo Navarrettæ tanti nominis Missionario ac postea Sancti Dominici in Hispanica Americæ Insula Archiepiscopo, qui per plures annos cum Patre Govea Cantoni frequens fuit; an Observatori, aliisque Patribus Societatis. An verò priusquam Operum Illustrissimi Navarrettæ Confutatio, quam jactant Jesuitæ in lucem edita sit, Observator velut suo jure potuerit fidem omnino vanam & nullam vocare per contemptum fidem

* §. De Antonio.

dem Navarretticam, quasi Illustrissimus Navarretta jam ut impostor habendus sit; aliorum esto judicium. De hoc videri possunt priores Notæ Sect. 1. Art. 9. numero 105.

Observatio.

95 * Est, inquam; ipse Govea ad quem Navarretta scripsit epistolam pro approbando Societatis praxi circa Confucium & Progenitores.

Responsio.

96. Hæc est illa epistola, quam falsam esse & Illustrissimo Navarrettæ suppositam demonstratum est in Confutatione Tellerianæ Defensionis novorum Christianorum; de quo videsis Notas meas loco jam citato numero 117.

97. Hic solum juvat addere, epistolam illam seu declarationem Navarrettæ Patri Goveæ Viceprovinciali Missionariorum Societatis inscriptam, uno Patris Sarpetri Dominicani testimonio niti. Neque enim hactenus Pater Tellier aut Observator prætensæ illius Navarrettæ epistolæ Autographum vel autenticum exemplum exhibuerunt, sed solum Patrem Sarpetri allegant; qui illud se vidisse Cantoni testatur. At suspecta est omnino fides Sarpetri; qui clam Navarretta suo Superiore tunc etiam Cantoni degente Jesuitis se conjunxit, & tractatum de cultibus Sinensium vel ipse composuit, vel à Jesuitis compositum adoptavit, suoque nomine inscriptum unà cum epistola ad S. Congregationem de pro-

* §. Est enim.

propaganda fide Romam mitti consensit. Unde idem Navarretta cum anno 1674. Romam venisset, ibique de scriptis illis Sarpetri, ipso inscio, missis primùm audiisset, de hoc conquestus est apud Reverendissimum Generalem suum, qui hac de causa aliisque ad se delatis Manilam scripsit ut idem Sarpetrius à Missione Sinensi revocaretur.

99. Quis autem credat Navarrettam hæc Romæ adversus Sarpetrium acturum fuisse, ac postea in secundo tomo Madriti anno 1679. edito tot tantaque publicaturum ex quibus constat eum, quandiu Cantone captivus fuit, semper cum Patribus Societatis de cultibus Progenitorum & Confucii contendisse, si conscius sibi fuisset, se tunc temporis Patri Goveæ Viceprovinciali Jesuitarum epistolam seu declarationem propria manu scriptam ac signatam dedisse, qua se plane eorum sententiæ ac praxi consentire profiteretur? Id prorsus ei è memoria excidisse nemo dixerit. Cur igitur saltem alicubi ejus mentionem non injecit, ut ea de re Lectoribus se quocumque modo excusaret, cum epistolam illam seu declarationem à Jesuitis aliquando sibi objiciendam esse vix dubitare posset? At nusquam id facit: imo Tom. 2. pag. 396. Col. 2. refert se eo ipso die quo data dicitur præfata epistola id est 29. Sept. 1669. ab ipsomet Patre Govea de tabellis quæ vocantur Sedes seu Locus animæ defuncti ea audiisse, quæ nullatenus cum eadem epistolâ seu declaratione conveniunt. Unde aut omnino supposita est ejusmodi epistola, aut fuit solum dirimendæ controversiæ

ab

ab ipso Patre Govea designatum exemplum, cui subscribere recusarit Navarretta.

De sexto puncto Memorialis,

Circa Philosophiam Sinensem &c.

Observatio.

100. * Legenda Observatio in sextum & septimum Mand. cap. ubi patet Reverendissimum vel ex ignorantia vel ex acceptione personarum &c.

Responsio.

101. Quæ hîc tanquam à se in Observationibus probata contra Reverendissimum Dominum Maigrot summatim refert Observator, discussa sunt & confutata in Notis meis Sect. V. Art. 1.

Observatio.

102. † Quam falsò autem idem Dominus Charmot pronuntiet nihil in hoc Mandato contineri, quod à 50. & plus annis à RR. PP. Dominicanis & Franciscanis in suas per totam Chinam Ecclesias introductum non fuerit, apertè demonstrant tum ipse Reverendissimus tum ipse Dominus Charmot, tum quæ dicta sunt de Missionariis illis, non solum à nobis, sed etiam à Reverendissimo Domino Maigrot & Domino Charmot.

103.

* §. 1.
† §. Quam falsò.

103. Nam primò Reverendissimus in Epistola ad Innocent. XII. Summum Pontificem positive affirmat, dubitari merito posse an qui sunt in China Christiani *iidem fere omnes non sint idololatræ*: nonnisi quia sequuntur praxim in Mandato reprobatam. Ergo vel Patres Dominicani & Franciscani nullos fere habent in China Christianos; vel manifeste falsum est nihil contineri, in Reverendissimi Mandato, quod à 50. plus annis à PP. Dominicanis & Franciscanis in suas per totam Chinam Ecclesias introductum non fuerit. Ergo imponit vel Reverendissimus Summo Pontifici, vel Dominus Charmot Eminentissimis Patribus.

104. Secundò in eadem ad Summum Pontificem epistolà affirmat Reverendissimus non deesse Missionarios in China, utique Dominicanos vel Franciscanos, qui indulgent suis Neophytis eos ritus quos ipsi superstitiosos & idololatricos judicant. Ergo non modo gravem inurit Reverendissimus tam Dominicanis quam Franciscanis injuriam, sed etiam falsi arguit Dominum Charmot, qui contrarium declarat Eminentissimis.

105. Tertiò. Continuo repetit Dominus Charmot harum ceremoniarum usum plerisque Missionariis visum esse talem, ut ob eam rem perpetuis conscientiæ stimulis motibusque exagitati fuerint.... Ergò falsissimum est quod affirmat hic Dominus Charmot à 50. plus annis quidquid Mandato Reverendissimi præscribitur in usu fuisse apud Franciscanos, Dominicanosque. Si enim ita est, cur isti religiosi rituum illorum superstitionem agnoscentes perpe-

perpetuis agitantur conſcientiæ ſtimulis? Pudere debuit Dominum Charmot tam putide falſa enarraſſe Eminentiſſimis Patribus.

Reſponſio.

106. Hîc triumphat Obſervator; ſibique ipſi plaudit, quod hæc mea dicta inter ſe, & cum verbis Reverendiſſimi D. Maigrot conciliari non poſſe exiſtimet. Non mirum in his eum errare, qui Sinam nunquam viderit, nec quemquam Romæ præter me, quem his de rebus percontaretur habuerit. Sed propriis ratiocinationibus non ita fidere debuit, nec mihi in re non ſatis ei perſpecta inſultare.

107. Certiſſimum eſt, ex quo Pater Joannes Baptiſta. Morales Ordinis Prædicatorum, & Pater Antonius à Sancta Maria Ordinis Minorum anno 1633. Sinam ingreſſi ſunt, quotquot fere ex utroque illo Ordine, & ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini. Sinenſem Miſſionem excoluerunt, propriis Neophytis Progenitorum & Confucii cultus non permiſiſſe. Sin verò unus aut alter in ſententiam PP. Societatis abiit, id fere contigit quia in ſpeculatione probabilem illam haberi poſſe judicavit, non quod eam in praxi ſibi ſequendam ſtatuerit, niſi forte in caſibus quibuſdam extraordinariis, ut de Patre Sarpetri refert Reverendiſſimus Pater Petrus de Alcala in epiſtola à me in Notis relata. Unde veritati conſonum eſt quod dixi, nihil in Mandato Reverendiſſimi Domini Maigrot circa cultus Progenitorum & Confucii contineri quod à 50. & plus annis à RR. PP. Dominicanis &

Franciſcanis in ſuas per totam Chinam Eccleſias introductum non fuerit.

108. Dixi in ſuas Eccleſias; hoc eſt erga ſuos Neophytos & Chriſtianos eis ſubditos. Nam ubi contingit Patrum Societatis Neophytos vel Chriſtianos à prædictis Miſſionariis peregre degentibus; vel alio quocumque neceſſitatis caſu, Sacramenta poſtulare, repulſam ab eis, ob Progenitorum & Confucii cultus, non patiuntur; ſed in ſuo uſu ac bona fide, quæ Patrum Societatis auctoritate nititur, relinquuntur: tametſi iidem illi Miſſionarii propriis Neophytis aliiſque Chriſtianis ſuæ curæ commiſſis, eoſdem cultus interdicant. Hanc agendi rationem Vicarii Apoſtolici & Miſſionarii Galli ſibi ſequendam non putaverunt; ſed generaliter Chriſtianos ad Sacramentum pœnitentiæ minimè admittunt, niſi promittant ſe ejuſmodi cultus relicturos.

109. His circa factum ita explicatis, patet rectè à me dictum, *nihil contineri in Edicto Reverendiſſimi Domini Maigrot; quod à 50. plus annis à PP. Dominicanis & Franciſcanis in ſuas per totam Chinam Eccleſias introductum non fuerit.* Patet etiam quo ſenſu idem Reverendiſſimus in epiſtola ad Summum Pontificem dixerit, *Non deeſſe Miſſionarios, qui quos ipſi ritus ſuperſtitioſos & idololatricos eſſe exiſtimant; eos diverſis ſaltem in locis Chriſtianis indulgent*; ubi advertendum Obſervatorem mutaſſe verba Reverendiſſimi Domini Maigrot, & pro *Chriſtianis* poſuiſſe *ſuis Neophytis*; quod plane ſenſum variat, ut inde anſam arriperet objiciendi me & Reverendiſſimum D. Maigrot

grot pugnantia dicere, & Patres Dominicanos ac Franciscanos ab eodem Reverendissimo pessime tractari.

110. Cum autem Patrum Societatis Neophyti & Christiani in Sina longe aliorum omnium Missionariorum neophytos & Christianos superent, hinc etiam patet Reverendissimum Dominum Maigrot vero & optimo sensu dixisse, *dubitari merito posse an qui sunt in China Christiani iidem fere omnes non sint & idololatræ.* Nam præterquam quod Christiani omnes à Patribus Societatis baptisati aut instructi latè per diversas Sinæ Provincias diffusi cultus Progenitorum & Confucii frequentant, quibus accedunt complures alii quos, ut supra dictum est aliorum Ordinum Missionarii ex indulgentia ejusmodi cultibus immisceri permittunt; pluribus adhuc aliis modis Christiani tum Patrum Societatis, tum aliorum Missionariorum hac in parte peccant, sive tabellas Proavorum cum hac inscriptione: *Sedes* seu *locus animæ* domi retinentes, variisque salutationibus, ac odorum suffitu, nec non florum, leguminum; aliorumque eduliorum oblationibus venerantes; sive in exequiis mortuorum, coram hujusmodi tabellis, eadem modo dicta peragentes, multaque alia vana & superstitiosa usurpantes; unde Reverendissimus Dominus Maigrot, ut tantam religionis labem & confusionem tollendam ostenderet, rectè Summo Pontifici potuit dicere, dubitari merito posse an qui sunt in China Christiani, iidem fere omnes non sint & idololatræ.

111. De conscientiæ stimulis & anxietatibus, quibus plerique Missionarii exagitantur, jam clarum est qua ratione id verum sit, etiam in Missionariis Dominicanis & Franciscanis; qui cum præfatos cultus Progenitorum & Confucii propriis Neophytis interdicant, erga Christianos Patrum Societatis indulgentius se gerunt, eos in bona fide, quam obtendunt, relinquendo, quæ causa est stimulorum & anxietatum animi quibus postea iidem Missionarii agitantur.

112. Videat jam Observator an ipsum pudere non debeat de rebus quas ignorat, tam confidenter coram Eminentissimis Patribus loquutum fuisse.

Observatio.

113. * Constat tamen ex epistolis dicti Patris Lucæ ab eodem Domino Charmot relatis istum Patrem esse in rebus Sinicis tam rudem, ut non posset fere Sinis loqui, nec audire illos confitentes nisi per signa.

Responsio.

114. Quis dubitet quin vel doctissimi viri, cum in Sinam ad obeundum Missionarii munus, adveniunt, aliquantum temporis insumere debeant in addiscenda lingua Sinensi, adeo ut vix interim cum Sinis nisi per Interpretem loqui valeant? Neque tamen verum est Patrem Thomam Lucam jam annum integrum in Sina degentem, nisi per signa confitentes Christianos audiisse. Non hoc ipse dicit, sed tantum ante oculos confitentium posu-

* §. Præterea ex.

posuisse formulam confessionis literis exaratam, ut certus esset an illi eum intelligerent, & ipse illos. Si quidem etsi Europæus quis jam Sinicam linguam calleat, & Sinice loquentes intelligat, attamen ob accentuum & pronuntiationis difficultatem, quæ hujus linguæ propria est, difficile ab indigenis Sinis intelligitur; quæ ratio fuisse videtur, cur Pater Thomas Lucas, etsi jam Sinice loqueretur, formulam illam confessionis scripto exaratam ob oculos confitentium posuerit, ut se ab illis intelligi certior fieret: & hac via uno die octo vel novem ex confitentibus ait se invenisse, qui Progenitorum tabellas venerando, auxilium ab eis speraverant, & consecutos se crediderant. Hoc est quod Observatorem male habet, cum hoc testimonio & Martinii expositio falsa, & cultus Progenitorum sacer ac religiosus, adeoque superstitiosus & idololatricus esse convincatur.

Observatio.

115. * Hic loquendi modus plurimis dubium movit utrum hic Probabilitatis materiæ addiscendæ multum temporis impenderit. De illa enim loquitur quasi in Theologicis rebus non esset magis versatus, quam in Sinicis.

Responsio.

116. In addiscenda probabilitatis doctrina male tempus & operam collocassem. Hanc Observatori scientiam non invideo: viderit tantum ne à Reverendissimo suo Generali dissentiat, qui cum in hac materia à recepta com-

* §. Si legere dignetur.

communiter in Scholis Societatis ſententia receſſiſſet, non modicam adverſum ſe tempeſtatem concitavit. Si de Theologicis rebus nemo rectè loquitur, quin diu in addiſcendo probabiliſmo verſatus ſit, hanc laudem lubens Obſervatori relinquo: an verò melius quam ego, res Sinicas teneat, aut de iis rectius in ſuis Scripturis loquatur, Eminentiſſimi Domini judicabunt.

Obſervatio.

117. * Agitur de honeſtate vel malitia actus quæ pendet à lege ſufficienter cognita, ac proinde quæ non eſt omnino independens à cognitione noſtra.

118. Idem habet ſupra §. *At vero*, his verbis: quando agitur de honeſtate vel malitia actus, cum lex vel imperans vel prohibens non reddat hunc actum mihi illicitum vel licitum niſi dependenter à cognitione mea, adeo ut ſi Legem invincibiliter & inculpabiliter ignoro, non ſit mihi illicitus actus, quem Lex ſic ignorata prohibet.

Reſponſio.

119. Obſervator ſuas de probabilitate, & de ignorantia invincibili atque inculpabili juris naturæ prælectiones diſcipulis ſuis reſervet. Aliam ego doctrinam in Scholis Sorbonicis, aliam apud S. Thomam aliosque melioris notæ Theologos didici. Mihi plane probatur fundatiſſimum iſtud principium Doctoris Angelici Quodlib. 8. Art. 13. „ Duo„ bus modis, inquit, aliquis ad peccandum „ obli-

* §. Quartò pergit.

„ obligatur, uno modo faciendo contra Legem, ut cum aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra Legem . . . . . Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam „. Loquitur hic Sanctus Thomas de lege naturali & æterna, quæ nunquam propriè ignoratur ignorantia invincibili atque inculpabili seu contra quam nemo unquam agit invincibiliter atque adeo inculpate. Est enim ab ipso Auctore naturæ tam alte mentibus nostris impressa, ut nonnisi malitia sua excæcatos & pravis affectibus præpeditos latere possit. Unde ignorantia juris naturæ in certis circumstantiis potest quidem minuere peccatum, sed nunquam illud tollit.

120. Contraria doctrina, quæ admittit dari ignorantiam invincibilem & inculpatam, ac proinde prorsus involuntariam in iis quæ pendent à jure naturæ, atque adeo actum legi naturali contrarium, ei, qui sic ignorat, non esse illicitum, sed omni culpa vacare, mihi non solum falsa, sed valde perniti[illegible] videtur, ut pote latam sternens viam ad [illegible]cusanda gravissima quæque peccata, ad confirmandum Probabilismum, & ad revocandum pessimum Philosophismi dogma ab Apostolica Sede nuper damnatum.

Observatio.

121. * Quod in his casibus Dominus Charmot

* *Ibid.*

mot velit eum obligare qui prudens ſit ad ſequenda tutiora, adeo ut ne probabiliſſimam quidem ſequi poſſit ſi tutior non ſit, caveat ne impingat in damnatam ab Alexandro VIII. propoſitionem.

Reſponſio.

122. Poſita veritate facti circa cultus Progenitorum & Confucii, prout à me deſcripti ſunt, contendo ſententiam illos Chriſtianis permittentem, nullam habere probabilitatem, niſi forte extrinſecam quandam ſumptam ab auctoritate Theologorum Collegii Romani & quorumdam aliorum Jeſuitarum. Probet Obſervator illam eſſe probabiliſſimam, probabilitate præſertim intrinſeca, quæ rationibus ex ipſa re deſumptis nitatur; & tunc damnatam ab Alexandro VIII. propoſitionem mihi poterit objicere.

Obſervatio.

123. * Infamat (Reverendiſſimus Maigrot) virum pium, doctum, ac religioſum, cujus merita viſus eſt Deus ipſe palam commendare, integro ejus corpore per 20. annos poſt ejus mortem conſervato cum omnium admiratione. Qui Patris iſtius Martinii famam maculare non potuit, illum falſi accuſando, intacta S. ipſa Congregatione.

Reſponſio.

124. De prætenſa corporis Martinii incorruptione jam alias reſponſum eſt: uſque ad nauſeam hoc repetit Obſervator. Martinium falſa expoſitione S. Congregationi obrepſiſ-

ſe,

§. * Quod ſpectat.

se, luce meridiana clarius est. Hanc ejus obreptionem detegere, ut Sinæ Christiani à superstitione & idololatria liberentur, non est S. Congregationem offendere, sed ejus pietatem ac zelum juvare, ut, rescisso subreptitio Decreto, animarum saluti ac sinceræ fidei Christianæ prædicationi in vastissimis illis regionibus prospiciat.

PARS SECUNDA.

Ex *Responso ad Memoriale meum Sacræ Congregationi exhibitum sub hoc titulo: VERITAS FACTI.*

125. Meminerint Lectores hîc unice agi de factis quæ jussus sum probare, quantum fieri possit, ex ipsismet Scriptoribus Societatis Jesu, v. g. circa cultus Progenitorum & Confucii, quid in eis peragatur, quo loco, quibusve ceremoniis, an preces adhibeantur, an hujusmodi cultibus aliquid petatur aut speretur: De jure verò quod ex facto oritur, non ibi tracto, an videlicet ejusmodi cultus sint mere civiles & politici, an verò sacri & religiosi, adeoque superstitione & idololatria imbuti; ac proinde Christianis liciti vel illiciti. De hoc fusè egi in aliis meis scriptis. Ea autem supervacaneum ac molestum esset hîc repetere, prout facit Observator, satis verbose repetens quæcumque in Observationibus à se probata ac demonstrata supponit.

Pri-

Primum factum

De voce Xangti, *& de voce* Tien.

Observatio.

126. * Resp. 1. primum istud factum sive antecedens esse falsissimum in eo sensu in quo verum illud esse oporteret, ut consequentiæ valerent. Ut autem id clare constet.

Responsio.

127. Hic replicat Observator: quæ de hoc argumento in Observationibus ad Mandatum Reverendissimi Domini Maigrot habentur, & quæ à me confutata sunt in Notis ad easdem Observationes Sect. 3. Art. 1. 2. 3. 4. 5.

Observatio.

128. † Agitur de auctoritate Patris Semedo. Hic autem non modò non favet opinioni Domini Charmot, quod Sinæ omnes Literati non alium *Xangti* sive Deum agnoscant, quam cœlum materiale, sed est illi plane contrarius.

Responsio.

129. De facto à Patre Semedo relato agitur, non de ejus auctoritate in explicanda Sectæ Literariæ doctrina. Refert autem ille Reginæ Matris funus describens, *die octavo Lunæ oblata esse sacrificia Cœlo, Terræ, planetis, montibus*, & fluminibus magna cum solemni-

* §. Resp. 1.
† §. P. Semedo.

lemnitate; unde rectè intuli per cœlum hic intelligendum cœlum visible & materiale, quemadmodum per terram, planetas, montes, & flumina, ibidem intelliguntur partes visibles & corporeæ universi.

130. At, inquit Observator, Pater Semedo non existimat Sinas Literatos per *Xangti* intelligere cœlum materiale.

131. Respond. primò in loco Semedi à me allato non agi de voce *Xangti*, *Rex altus*, sed de voce *Tien*, *Cœlum*.

132. Secundò, locus Semedi à me allatus sumptus est ex cap. 17. pag. 105.. Quæ autem citantur ab Observatore ut ostendat ex sententia Semedi, Sinas Literatos per *Xangti* rem aliam intelligere, quam cœlum materiale habentur cap. 18. pag. 110.. Num verò mihi legendus fuit totus Liber, ut scirem an loco à me citato, aliquid alibi contrarium occurreret?

133. Tertiò eo ipso loco quem mihi objicit Observator, aliqua verba omittit, quæ ipsius falsam interpretationem arguunt. Nam postquam ait ex Patre Semedo, Literatos agnoscere Supremum Dominum & Imperatorem qui potest punire & compensare; appositis punctis supprimit sequentia verba: „ Non „ hanno però chieze nelle quali l'adorino, „ ne officii che li facciano, ne orationi da „ recitare, ne Sacerdoti ò Ministri „ che li „ prestino culto „: ex quibus verbis sequitur cœlum de quo supradictum est quod ei Sinæ sacrificant, non esse Supremum illum Dominum & Imperatorem, quem nullo peculiari

cultu

cultu apud eos coli ait Semedo. Deinde prætermisit etiam quæ apud Semedum proximè sequuntur his verbis : „ Ma come che non „ conobbero distintamente il vero Dio, ven„ nero ad adorare tre cose le piu celebri e „ poderose e utili del mondo, le quali chia„ mano San Cai, cioe Cielo, Terra & Huo„ mo. Quæ quidem verba totum Systema Observatoris evertunt. Si enim Literati eodem prorsus modo à multis jam sæculis cœlum, terram & homines colunt & adorant, patet ex sententia Semedi cultum illum, tum erga cœlum & terram, tum erga homines, puta Confucium & Progenitores mortuos, ut postmodum ipsemet Semedo explicat, esse cultum non mere civilem & politicum, sed sacrum ac religiosum, proindeque superstitiosum & idololatricum.

134. Hoc vere magnum piaculum haberi debet, in citando aliquo Auctore, ea quæ eodem loco leguntur, supprimere, ne Eminentissimi Judices in causa tam gravi quid verum ac justum sit deprehendant.

135. Pater Gabriel Magaillans celebris è Societate Missionarius in nova sua Relatione rerum Sinensium eodem modo, ac Pater Semedo de cultu Cœli, Solis, Lunæ ac Progenitorum loquitur cap. 13. pag. 20. ubi agens de Tribunali rituum, ait ejus esse cognoscere *de templis & de Sacrificiis quæ ab Imperatore offeruntur Cælo, Terræ, Soli, Lunæ, ac suis Progenitoribus*; & eodem cap. pag. 209. agens de alio quodam Tribunali, ait *ejus curæ esse sartâ tecta tenere templa in quibus Sinas Progenito-*

res

res colunt, & cœlum, terram, solem, lunamque adorant.

Observatio.

136. * Intelligent hæc omnia adhuc clarius Eminentissimi Patres ex iis quæ jam adduco Patris Matthæi Riccii hoc de argumento testimoniis.

Responsio.

137. Saltat extra chorum Observator. Unicè agitur de facto quod, adducto Semedi testimonio, probavi, videlicet Sinas Literatos per vocabulum *Tien, Cœlum*, intelligere Cœlum materiale. Quin Pater Riccius putaverit veteres Sinas per *Xangti* intellexisse supremum Numen, & sub eo nomine Deum Opt. Max. agnovisse & adorasse; nemo dubitat. At Pater Nicolaus Longobardus qui Riccio in præfectura Sinensium Missionariorum successit, hanc Riccii sententiam minus firmam esse demonstravit, & plerique hodie rerum Sinensium periti, si Patres Societatis excipias, persuasum habent chimericum esse totum illud Riccii systema, de quo videsis priores Notas Sect. 3. Art. 1. 2.

Observatio.

138. † Hinc collige templum quod vocatur Cœli, esse templum Cœlorum Domini, templum verò terræ esse Terræ Domini templum. Et verò ne Dominus Maigrot quidem accusat Literatos Sinas, quod terram habeant pro idolo, sed cœlum materiale.

139.

* §. Etsi autem.
† §. 1. In illorum.

Responsio.

139. Egregia verò ratio non explicandi verba Auctorum; sed ad sensum nostrum detorquendi. De templo cœli cum aliqua probabilitate dici potest esse templum Cœlorum Domini. At per templum terræ significari templum Domini Terræ, absurdum videtur; præsertim si quis attendat Sinicæ Philosophiæ doctrinam de spiritibus tutelaribus terræ, fluminum, montium, civitatum, quacumque ratione Sinæ ejusmodi spiritus sibi animo fingant. Unde per templum terræ ad summum intelligi potest templum spiritus terræ. Porrò ex ejusdem Sectæ Literariæ principiis, quæ nullos agnoscit veros spiritus, sed hoc nomine appellat subtilissimam quamdam materiam, quæ maximè in cœlo, in terra, & in hominibus viget; rectè infert Reverendissimus D. Maigrot Sinas Literatos æque terram pro idolo ac cœlum materiale habere: imo & in colendis Progenitorum & Confucii spiritibus idololatriæ quoque scelus admittere, uti modo ex Patre Semedo audivimus.

Observatio.

140. * Hæc Secta, inquit Riccius, idola non colit, sed nec habet: unum numen veneratur; ideo quod ab eo conservari gubernarique hæc inferiora omnia arbitretur: Spiritus etiam, sed inferiore cultu; & contractiore dominio colit.

Responsio.

141. Secta Literaria non habet idola multa

* §. 20. Hæc Secta.

ta & monstrosa, ut duæ aliæ Sectæ, quæ vocantur Magorum & idololatrarum: sed cælum, astra, ut veteres Persæ; aliasque præcipuas mundi partes colit. De hoc utroque idololatrarum genere quid censeat Sapiens, videsis Sap. 13. v. 6. & v. 10. Notandum quoque his verbis Riccii spirituum cultum apud Sinas Literatos approbantis, declarari licitum cultum ***Chin hoan***, hoc est tutelaris spiritus seu genii cujusque civitatis, quem tamen cultum tanquam idololatricum; post Decretum anni 1645. ipsimet Jesuitæ rejiciunt.

Observatio.

142. * Nulla prorsus est in hac materia auctoritas Patris Kirkeri, nisi in quantum nititur auctoritate Patris Riccii.

Responsio.

143. Sic placet Observatori eorum auctoritatem, quos sibi contrarios offendit, elidere, In aliis rebus, quas etiam præsens non vidit, non leve pondus habebit Pater Kirkerus à Sotuelo ob singularem eruditionem ac Literaturam in Bibliotheca Scriptorum Societatis valde laudatus: de rebus Sinensibus nequidem audiendus erit, quod ex Europa nunquam egressus, hæc per se videre aut discere non potuit; quantumvis magna diligentia & indefesso labore insigne de hac materia opus composuerit, quod non sine laude in præfata Bibliotheca Scriptorum Societatis commemoratur, ac pleraque in eodem Libro ex Trigau-tio

* §. Nulla prorsus.

tiõ aliisque Societatis Scriptoribus vel monumentis retulerit.

Observatio.

144. * Quia primò Kirkerus expresſè docet Part. 3. Cap. 1. Sinas Literatos idola juxta Confucii dictamina non colere, ſed unum numen quod vocant Regem Cœlorum.

Reſponſio.

145. Nihil clarius, nihil expreſſius quam, juxta Kirkerum, Sinas Literatos credere rerum omnium principium eſſe figuratum, & talis corpulentiæ, ut Sinenſibus comprehendi queat, quod cœlo materiali ſeu efficienti ejus virtuti, quam ***Li*** ſeu ***Tai kie***, vel etiam ***Xangti***, id eſt Regem altum appellant, optime congruit. An alibi idem Kirkerus in longo ſuo Opere aliquid contrarium docuerit, vel ex aliis ut Riccio, Trigautio retulerit, non meum erat exquirere. Id oneris non ſumpſi, quando ab Eminentiſſimis Patribus juſſus ſum facti veritatem, ex Scriptoribus Societatis quantum fieri poſſet, probare: neque hac unquam ratione probabit Obſervator me falsò vel Semedum, vel Kirkerum produxiſſe.

146. Deinde loco quem opponit Obſervator, Kirkerus ita docet Sinas Literatos unum numen colere, quod vocant Regem cœlorum, ut ſtatim addat ex Trigautio, „ Regi Cœlo- „ rum ſacrificandi ejuſque colendi munus ſo- „ lum ad Regem ſpectare: in hunc finem Re- „ gem duo habere templa ſane magnifica in „ utraque Regia Nankinenſi & Pekinenſi; „ cœlo

* §. Quia primò.

„ cœlo dicatum esse unum, Terræ alterum: „ in his olim ipsum per se Regem litasse; „ nunc in ejus locum Magistratus gravissimos „ successisse, qui Cœlo & Terræ (non secus „ ac Ægyptii Oziridi & Isidi) boves & oves „ magno numero mactant, aliosque multos „ ritus exhibent „. Quis hæc verba legens non agnoscat, cultum Regis Cœlorum apud Sinas, ex sententia Kirkeri & Trigautii, esse superstitiosum & idololatricum?

Observatio.

147. * Rogantur humillimè Eminentissimi PP. ut dignentur attendere ad istas probationes Domini Charmot de Jesuitis per Jesuitas triumphare affectantis.

Responsio.

148. Spero Eminentissimos non dedignaturos attendere tum ad veritatem ac soliditatem utriusque hujus probationis, quam ex Semedo & Kirkero attuli, tum etiam ad stylum Observatoris parum modestum, ut non dicam petulantem & injuriosum, qui passim me falsitatis & malæ fidei temere ac perperam incusat. Cæterum absit ut de Jesuitis per Jesuitas aut per alios triumphare velim. Hoc unum voveo, ut de me primùm, tum etiam de Jesuitis, veritas, quæ Christus est, in hac causa triumphet.

Observatio.

149. † Post Patrem Semedo & Patrem Kirkerum sequitur Pater Magaillanensis Lusitanus, cujus

* §. Rogantur.
† §. Post Patrem.

cujus textum hic refert Dominus Charmot, quo solo jugulatur ejus opinio.

Responsio.

150. Mihi propositum fuit probare Literatorum Sectam hocce tempore, & à multis retro sæculis per hæc vocabula *Tien* & *Xangti* nihil aliud intelligere, quam cœlum materiale. Hoc autem evidenter sequitur ex interrogatione Patris Magaillanensis; & ex responso Literati ad ejus quæsitum. Hic enim ad interrogata respondens agnoscit homines, utpote hebetes & corporeis rebus addictos, supremi numinis oblitos, nihil aliud præter cœlum materiale cogitare, quod de Literatis intelligendum ipsa verborum series satis ostendit. An verò veteres Sinæ aliud per *Tien*, *Cœlum*, intellexerint, & etiamnum aliqui inter Literatos eo nomine cœlum immateriale; seu substantiam intelligentem rerum omnium fontem & originem significent, nequaquam mihi examinandum proposui. Sufficit saltem à quadringentis aut quingentis annis priorem illam de cœlo materiali significationem communem esse inter omnes pene Literatos totamque Sinensem Nationem, ut inde inferam admittenda non esse inter Christianos vocabula illa ad significandum Deum Opt. Max. ut late ostendi in Notis meis Sect. 3. Art. 1. 2. 3.

151. At, inquit Observator, sequuntur eodem loco apud Patrem Magaillanensem verba, quæ de industria & mala fide omisi. Siquidem Literatus ille continuò adjungit, „ Quod tamen in templis Cœli, Terræ, So-
„ lis,

„ lis, & Lunæ, ita ſolummodo nuncupatis, „ ut ſacrificiorum ac temporum diverſitas de- „ ſignetur, Rex non ſacrificet hiſce creatu- „ ris, ut imaginatur vulgus, ſed cœlo ſpiri- „ tuali.

152. Reſpondeo me probandum ſuſcepiſſe, non quiſnam fuerit privatus hujus Sinæ ſenſus de vocabulo *Tien*, Cœlum, & de ſacrificiis quæ Cœlo, Terræ, Soli & Lunæ offeruntur, ſed quid de his rebus à multis retro ſæculis atque etiam hocce tempore Secta Literaria ſentiat. Hoc autem ex allatis à me verbis rectè probatur; neque obſtant omiſſa verba Literati; quin potius idem confirmant, dum ibi dicitur, *ut imaginatur vulgus*: Vulgi enim nomine intelligendi quoque Literati qui fere omnes aliud cœlum, præter cœlum materiale vel efficientem ejus virtutem, non agnoſcunt.

Obſervatio.

153. * Poſt Magaillanum Dominus Charmot citat Maffeum .... Reſpondeo 1. Dominum Charmot non advertiſſe Hiſtoriam Indicam Maffei Latinè typis editam eſſe jam ſæculo præcedenti anno 1589. verſa eſt Italicè à Franciſco Serdonato. Unde prima editio Latina fuit adhuc prior. Tunc autem temporis magna erat ignorantia rerum Sinicarum, maximè quæ ſpectant ad religionem.

Reſponſio.

154. Tam clarum tamque expreſſum Maffei de Sinis cœlum hoc viſibile colentibus teſtimo-

* §. Poſt Magaillanum.

ſtimonium infirmari non poteſt, quod jam ſæculo præcedenti Hiſtoria ejus Indica in lucem prodierit quando vix adhuc notæ erant res Sinicæ. Ex iis quæ Lib. 6. à pag. 92. uſque ad pag. 102. de Sinarum moribus refert, patet eum bona ac certa de his habuiſſe documenta. Unde jam ab initio Operis pag. 2. ſic præfatur : „ Denuntio profiteorque jam „ nunc me nihil in medium eſſe allaturum, „ niſi quod è publicis tabulariis aut probatis „ Auctoribus, quive interfuêre ipſimet rebus „ gerendis accepero : Quæ mihi copia, quo „ promptior & expeditior eſſet, non ſubter- „ fugi quominus Oliſiponem uſque, commo- „ randi cauſa, contenderem „. Adde quod cum ad annum uſque 1603. vixerit, teſte Sotuelo in Bibliotheca Scriptorum Societatis, ſi quid ei falſi in hac Hiſtoria excidiſſet, illud facile in poſterioribus Operibus ab eo editis corrigere potuiſſet.

Obſervatio.

155. * Poſt Maffeium non modo fruſtra citavit Bartolum, ſed auſim dicere, non ſatis bona fide.

Reſponſio.

156. Non ipſum Bartolum, ſed ex Bartolo Patrem Palmeirum Viſitatorem Miſſionariorum Sinenſium citavi. Hic autem, ut refert Bartolus, in curſu Viſitationis ſuæ diſſentientes de ſignificatione *Xangti* Miſſionarios reperiens, prohibuit, ne impoſterum vocem illam ad ſignificandum Deum uſurparent. An verò

* §. Sed poſt.

verò hæc vocis *Xangti* prohibitio Bartolo & Collegii Romani Theologis, longo post tempore non placuerit, minimè mihi disquirendum aut annotandum putavi.

Observatio.

157. * Idem Pater *Le Comte* super ea re consultus sic respondit literis ad me nuper datis.

Responsio.

158. Quid Pater *Le Comte* privatim ab Observatore consultus rescripserit, non curo. Ex commentariorum ejus verbis à me allatis duo liquent : primùm, fatente ipso Imperatore, vulgo, id est apud longè majorem Literatorum partem, & apud plebem per *Xangti* non intelligi verum Deum, sed cœlum materiale: alterum, id tam certum habuisse Patrem Verbiest, ut nisi Edicto publico declararet Imperator per vocem *Xangti* intelligendum supremum Numen seu Deum Opt. Max., minime Christianos ad significandum Deum adorant, ea usuros esse significaret.

Observatio.

159. † Respondeo 2. Patrem Longobardum virum fuisse valde pium & religiosum, sed non adeo Theologum.

Responsio.

160. Hæc ratio nullius est momenti ad elevandam Patris Longobardi in hac materia auctoritatem. Quid enim ad hanc rem facit, eum in Theologia (Scholastica videlicet, ut vulgò

* §. Venio ad.
† §. Respondeo secundò.

vulgò intelligitur) plus vel minus peritum fuisse? At verò eum dignissimum, cui in hac ipsa quæstione auscultetur, exhibet Pater Sotuelus in Bibliotheca Scriptorum Societatis, sic de eo scribens: „ Duodecim annis functus „ est illo munere (Præpositura Missionario- „ rum Societatis) magna commendatione pru- „ dentiæ cæterarumque virtutum exemplo, „ . . . . . accedente peritia insigni linguæ „ Sinensis . . . . . nec ullus hactenus Socio- „ rum Europæorum tam diuturno ac impro- „ bo labore vineam illam Domini excoluit. „ Quinquaginta prope & octo annos in ea „ exegit, nullum laborem, nullum periculum, „ animarum causa, recusans.

Observatio.

161. Postquam aperte patuit quam parum sit bonæ fidei in iis fere omnibus quæ adduxit Dominus Charmot.

Responsio.

162. An malæ fidei in allatis hactenus Scriptorum Societatis verbis convictus sim, an potius in ea accusatione Observatoris temeritas manifesta sit, Eminentissimi Patres judicabunt.

Secundum Factum.

Observatio.

163. * Non est quæstio de sola appellatione templi, vel fani, vel altaris, vel sacrificii.

Respon

* §. Non est quæstio.

Responsio.

164. Quæstio est an vera sit & sincera Martinii expositio, dum locum, ubi à Literatis colitur Confucius, vocat Aulam & Gymnasium, tametsi vulgò apud Sinas appelletur *Miao*, quæ vox propriè significat templum seu ædem sacram, unde nulla alia adhibetur à Sinis idololatris ad significanda fana sua seu *Pagodas*, ubi idolis sacrificant. Eo autem nomine appellari ædem in qua Literati Confucium venerantur, tam certum est, ut Missionarii & Scriptores Societatis illud adhibeant, fanum non aulam appellantes; quod unum ex Riccio & Trigautio probare volui.

Observatio.

165. * Dubitavi ego non semel legens scriptum illud de quatuor factis tot consutum erroribus, & falsitatibus plenum, ridere ne vellet Dominus Charmot, an irridere.

Responsio.

166. Has Rhetoricæ figuras Jesuitarum Scholis reservet Observator. His tyrones aut ignari homines in fraudem induci possunt: at simplicius ac modestius coram Eminentissimis Judicibus loquendum est.

Observatio.

167. † Ibidem probat Bartolus fusè & solidè ritus illos, quibus erga Confucium gratos se exhibent Sinæ, esse mere civiles & politicos.

Respon-

* §. Potuitne.
† §. Ibid. probat.

Responsio.

168. Factum solum probandum suscepi, hoc est tales ac tales ceremonias coram tabella Confucii fieri, videlicet cereis accensis, flores spargi, thus aliaque odoramenta incendi, cervi aut capræ caput itemque pannos sericos offerri, quæ quidem postquam oblata sunt igne absumuntur. Id autem expressè docet Bartolus loco à me allato. An verò hæc omnia, & cætera quæ alibi retuli, nihil sacri ac religiosi contineant, sed cultus sint mere civiles & politici, non à Bartolo, sed ab Apostolica Sede discendum est.

Observatio.

169. * Pater Athanasius Kirkerus nunquam egressus est ex Europa, habeturque ab eruditis compilator absque multo delectu.

Responsio.

170. Vid. supra numero 139. 140. & seqq.

Observatio.

171. † Si de Sinis Literatis intelligat (Kirkerus), sibi in eadem pagina contradicit. Ex illo enim Sinæ Literati non colunt idolum, sed unum numen nempe Cœlorum Regem.

Responsio.

172. Nulla in verbis Kirkeri contradictio. Literati Sinæ non colunt idola, adinstar Magorum & idololatrarum, qui multa & spurcissima idola habent. Tametsi autem ex Kirkero unum supremum numen nomine Cœli seu Regis alti colant, an idcirco nulla alia minora

* §. P. Athanasius.
† §. Cum ergo.

nora numina habere possunt? Nonne supra vidimus eos spiritus montium, fluminum atque idolum *Chin hoan*, hoc est tutelarem cujusque urbis genium, religiosis cultibus prosequi? Quid igitur repugnat eos etiam ex Patre Kirkero Confucium tanquam heroëm quemdam & inter minores Deos relatum venerari?

Observatio.

173.* Pater Alexander de Rhodes & Pater Philippus de Marinis non fuerunt Missionarii Sinenses, sed Tunkinenses: non terendum itaque tempus in examinandis iis quæ de Tunkinensibus referunt.

Responsio.

174. Cum eosdem prorsus esse apud Tunkinenses & apud Sinas Confucii ac Progenitorum mortuorum cultus fateantur tum Pater Alexander de Rhodes, tum recentiores Societatis Scriptores Pater Bartolus & Pater Tellier à me relati; nihil Observator opponendum habuit claris & expressis verbis Patris de Rhodes, Patris de Marinis è Societate, & Patris de Paz Dominicani circa superstitiosos & idololatricos Sinenses cultus; unde melius existimavit hæc prætermittere & ad alia progredi.

Observatio.

175. † In citando Patrem Semedo contra bonam fidem bis peccavit (Dominus Charmot) 1. Dum intendit probare auctoritate Pa-

* §. Pater Alexander.

† §. In citando. *Idem habet supra in primum Memoriale meum.* §. Velle probare.

Patris Semedo vera & propriè dicta offerri Progenitoribus sacrificia. Sic enim habet Pater Semedo pag. 1. cap. 19. pag. 121. *Quel che sacrificano* (a gli' antenati) *sono alcuni animali come capræ, porci, bovi*; supponit Dominus Charmot Patrem Semedo loqui de vero sacrificio, & quidem Majoribus oblato. Nam ipse Dominus Charmot non Pater Semedo parenthesi inseruit (*a gli' antenati*) hoc tamen est manifeste falsum &c.

Responsio.

176. Meminisse oportet me de facto solum agere, hoc est de iis quæ in cultibus Progenitorum & Confucii peragi testantur Jesuitæ. Unde licet Pater Semedo post narratos ejusmodi cultus, expressè diceret videri sibi esse mere civiles & politicos, non male illum citassem. At nequaquam id dicit. Ait quidem cultus Progenitorum, non esse proprie sacrificia, cum Sinæ singulos Parentes suos aut Avos tanquam Deos aut Sanctos non habeant: similiter de viris insignibus, qualis fuit Confucius, observat, Sinas eis propriè non sacrificare, sed tantummodo in eorum honorem prædictas oblationes & ceremonias facere. Verum nusquam ait has oblationes & ceremonias nihil habere sacri aut religiosi, adeoque ne lato quidem modo sacrificia appellari posse. Contrarium satis significat titulus ipse capituli; *de superstitionibus & de sacrificiis Sinensium.*

177. Hunc esse Patris Semedi sensum adhuc clarius patet ex alio loco Part. 1. Cap. 10. pag. 65. ubi tractans de scientiis Sinensium,

sium, ait illos doctrinam moralem in duo membra universalia dividere, videlicet in Moralem Divinam, in qua solum agitur de ceremoniis, ritibus, sacrificiis, quæ fiunt Cœlo, Terræ; Planetis, mundi partibus, spiritibus bonis & malis tum cœli & terræ, tum montium, fluminum, spiritibus tutelaribus, animabus mortuorum, viris insignibus &c. & in Moralem politicam ac civilem, quæ tractat de ritibus humanis. Ubi apertè cultus Progenitorum & Confucii, rebus divinis & sacris annumerantur. En ipsa Semedi verba: „ Tutto il Trattato morale dividono in „ due membra universali, il primo del mo„ rale divino, il quale solo tratta delle ceri„ monie, riti e sacrificii, che si fanno al „ Cielo, Terra, Pianetti, parti del mondo, „ spiriti buoni, e cattivi del Cielo e della „ Terra, Monti, Fiumi, spiriti tutelari, a„ nime de' morti, huomini insigni &c. Il „ secondo è del morale politico e civile, che „ tratta delli riti humani.

178. Perperam autem mihi objicit hæc verba (*agli' antenati*) per parenthesim addita verbis Patris Semedo. Nam ut ex sola lectione patet, Pater Semedo proximè egerat de variis sacrificiis, sive proprie, sive impropriè dictis, quæ offeruntur tum Cœlo, Terræ, planetis, spiritibus montium, fluminum, tum viris insignibus ac Progenitoribus demortuis: ac statim ea quæ in ejusmodi sacrificiis offeruntur, commemorans; sic prosequitur: *Quel che sacrificano, sono alcuni animali, come capre, porci, bovi.* Quæ cum generaliter dican-

cantur, sine dubio ad cultus etiam Progenitorum & Confucii paulo antea nominatos spectant, in quibus aliunde certum est caput capræ aut porci solemniter offerri. Quid ergo peccavi, hæc verba (*agli' Antenati*) per parenthesim adjungens, quæ sensum Auctoris explicant, meque hic de cultibus Progenitorum, non de aliis Sinarum sacrificiis agere, Lectorem monent?

Observatio.

179. † Dat iterum D. Charmot aliud specimen non bonæ fidei cum citat eundem Patrem Semedo in cap. 18. postquam enim explicuit Sinas agnoscere unum Numen . . . . apposito ibi puncto quasi finita materia, Pater Semedo incipiens à linea argumentum aliud tractat, nempe de precibus Sinarum & ait: *Per l'anima nell' altra vita, ne aspettano, ne domandanno cosa alguna. Con tutto cio domandano ajuto temporale per questa, buona sorte, imitarle loro opere & i lor fatti.* Mens Patris Semedo est preces illas non dirigi nisi vel ad supremum Numen, vel ad tutelares spiritus . . . . Ita tamen hæc omnia in suo Memoriali conjungit Dominus Charmot per continuatam orationem, ut persuadere velit Eminentissimis Patribus, preces illas solis fieri Majoribus.

Responsio.

180. Frustra Observator verba Patris Semedo in alienum sensum detorquere conatur. Postquam celebris ille Missionarius ait jam diu Sinas

† §. Dat iterum.

Sinas distinctam Dei cognitionem non habentes, tria, quæ in rerum universitate excellunt, cœpisse adorare, Cœlum videlicet, Terram, & homines, nempe viros insignes vita functos, itemque proprios Parentes & Avos usque ad quartum gradum, generaliter de Sinarum precibus addit: *Per l'anima nell' altra vita &c.* quæ quidem etsi ad tria illa, quibus Literatorum Sinarum religio continetur, cœlum scilicet, terram & homines demortuos referantur, specialius tamen ad hos ultimos, id est viros insignes & Avos demortuos pertinere, clarum est ex his verbis: *imitar le loro opere, & i lor fatti*, quæ nullatenus Cœlo & Terræ congruunt. Rectè itaque ex sententia Patris Semedi, dixi, Sinas preces suas offerre, non quidem *solis Majoribus defunctis*, ut mihi affingit Observator, sed spiritibus Cœli, & Terræ, atque etiam viris insignibus & Progenitoribus demortuis. Quo quidem uno Patris Semedi testimonio falsum esse convincitur quod exposuit Martinius, Sinas nihil à defunctis sperare aut petere, totumque Observatoris systema de cultu Progenitorum & Confucii mere civili & politico evertitur. Videsis supra numero 89. 90.

Observatio.

181. * Miror quod vitulum saginatum, quem in reditu filii prodigi bonus parens jussit occidi, nondum inspexerit (Reverendissimus D. Maigrot) ut sacrificium.

Respon-

* §. Cum Angli.

Responsio.

182. Hæc tam frigida sunt atque à proposito aliena, ut responsionem non mereantur.

Observatio.

183. † Quod apud Gallos mortuis Regibus fit tantum per occiduum, ut mensa Regia apparatu plane Regio instruatur, quasi ipse Rex adhuc vivens assidere ibi deberet, Sinæ id præstant bis in anno in memoriam Parentum.

Responsio.

184. Ceremoniam illam, quam adhuc in exequiis Christianissimorum Regum adhiberi mihi compertum non est, esse merè civilem & politicam nihilque habere sacri aut religiosi multa adjuncta declarant. Primum enim fit statim post mortem, præsente adhuc corpore in ipsa Regia, à Regiis Ministris, idque in modum convivii seu epularum. At Sinæ Capellas seu Aulas cultui Progenitorum dedicatas habent, ad quas statis diebus, præsertimque bis per annum, Vere scilicet & Autumno, omnes propinqui conveniunt, coram tabellis in quibus est hæc inscriptio: *Sedes* seu *thronus animæ hujus vel hujus defuncti*, non solum usque ad terram procumbentes, sed solemni ritu vinum libantes, caput porci aut capræ una cum pannis sericis & nummis papyraceis, qui statim igne comburuntur, offerentes, denique iisdem omnibus ceremoniis litantes, quibus solent idolum *Chin hoan*, seu tutelarem cujusque Urbis genium, aliosque spiri-

† §. Etsi antiqua.

spiritus cœli ac terræ religioso cultu venerari. Quis non advertat quantum hæc differant à ceremonia illa funebrium epularum, quam Galli erga defunctos Reges usurpant?

185. Attamen hæc Gallorum ceremonia adeo visa est Jesuitis opportuna ad excusandos ritus Sinenses, ut vix unquam ubi de hoc argumento agitur, de illa sileant. Certè omissa non est in Dissertatione 49. Paralipomenon ad conatum in Catalogos Pontificum inserta à R. P. Papebrochio Tom. 7. actorum Sanctorum Mensis Maii pag. 140. cum hoc titulo, *De Epikia seu discretione in prædicando Sinis Tartarisque Evangelio tenenda*: Quæ quidem dissertatio eò unicè tendit, ut ritus Sinenses erga Confucium & Progenitores, Christianis permitti posse ostendat, iis ferme rationibus quas Observator affert, & nos hisce scriptis refutamus. Hæc autem cum nihil ad acta Sanctorum pertineant, non video qua ratione quove titulo huicce operi inserta fuerint à R. P. Papebrochio, ejusque Sociis, nisi forte quia eis placuit, arreptâ occasione, in celebri hoc Opere causam Societatis agere.

Observatio.

186. * Vident enim animalia offerri, capras, sues &c. Mandarinis cum primùm adventant in Provincias.

Responsio.

187. Pergit Observator supponere easdem esse ceremonias quæ Mandarinis viventibus, & quæ Confucio ac Majoribus defunctis in eorum

* §. Rident imaginaria.

eorum aulis seu capellis adhibentur; quod falsissimum esse jam supra notavimus.

Tertium Factum.

Observatio.

188. † Consulatur ergo Pater *Le Tellier* Tom. 2. pag. 274. ubi solum dicit non Pater *Le Tellier*, sed R. P. Sarpetri Dominicanus objici posse ab Adversariis quod tabella vocetur Sedes animæ defuncti.

Responsio.

189. De facto agitur. Illud autem Pater Sarpetri in tractatu à Patre *Le Tellier* edito & laudato, disertè etsi per modum objectionis, agnoscit, videlicet invitari spiritum Confucii aut Parentis defuncti, ut ad tabellam adveniat, eique insideat; quidquid in oblationibus agitur, ad ejusmodi tabellam dirigi ac denuntiari, utpote quæ sedes seu thronus animæ defuncti appelletur. Hæc de tabellis vera esse agnoscit Pater Sarpetrius. An autem probabile vel etiam probabilius sit has tabellas superstitione & idololatria carere, ut contendit Sarpetrius, alia est quæstio, ad jus pertinens, de qua expectandum Sanctæ Sedis judicium.

† §. Denique testem.

Quar-

Quartum Factum.

Observatio.

190. * Non habet solum Jesuitas sibi in hoc puncto contrarios Reverendissimus, sed & eos ipsos quos tantopere commendat, Reverendum Patrem Joan. Bapt. de Morales Dominicanum & R. P. Antonium à Sancta Maria Franciscanum.

Responsio.

191. Infirmam ac futilem esse hanc objectionem quam plurimis verbis iterum hîc proponit Observator, spero me satis ostendisse priori scripto Sect. V. Art. 1. numero 265. & seqq.

192. Nihil hic respondendum existimo ad Appendicem in qua Observator varios Librorum Sinicorum textus affert, ex quibus ait manifeste constare antiquos Sinas per vocem *Tien*, Cœlum & *Xangti*; supremum Imperatorem, agnovisse & coluisse rerum omnium Dominum ac Deum vivum & verum; tum quia opus esset interprete linguæ Sinicæ perito, qui Sinensium vocabulorum vim ac significationem declararet, tum quia de primitiva & antiqua significatione vocum *Tien* & *Xangti* non disputo, dummodo constet à quadringentis aut quingentis annis apud Literatos totamque Sinarum nationem voces illas non aliud significare quam cœlum materiale aut efficientem ejus virtutem. Hoc enim posito, Reve-

* §. Non habet.

Reverendissimus D. Maigrot rectè suo Mandato prohibuit, ne voces illæ ad significandum Deum Opt. Max.. usurpentur, ut alibi fusè probatum est.

PARS TERTIA.

De Epistola Reverendissimi Domini Maigrot.

Ad

Innocent. XII. Summum Pontificem.

193. Replicat iterum hoc loco summatimque proponit Observator fere ea omnia quæ contra Mandatum Reverendissimi Domini Maigrot in prioribus Observationibus attulit, quasi illa demonstrasset; ac nulli posthac de his dubitandum foret. Itaque huic tertiæ parti Observationum Residualium sat esset opponere Notas meas priores quibus Mandatum Reverendissimi Domini Maigrot contra ejus objectiones & cavillationes, solide, ut spero, ac valide defendi. Breviter tamen nonnulla adhuc tertiæ hujus partis loca perstringam.

Observatoris verba.

194. * Sedari debuit hujusmodi contentio, postquam audita utraque parte S. Congregatio statuit solemni Decreto ab Apostolica Sede confirmato sub Alexandro VII. quid permitti

* §. Prima.

mitti posset Neophytis, quid verò deberet prohiberi.

Responsio.

195. Si falsa Martinii expositione decepta est S. Congregatio, non hoc Decreto sedari contentio, sed potius augeri debuit. Audita quidem fuit utraque pars, Patrum videlicet Dominicanorum & PP. Societatis, sed separatim & diverso tempore, alteræ factum, prout revera se habet, proponente, altera vero secus, multa tacendo ac dissimulando, aut præter verum exponendo. Quid itaque juvant verba illa ambigua, *audita utraque parte*, nisi ad fucum faciendum, cum certum sit Martinium quæsita sua prout ei libuit, non vocatis neque auditis Dominicanis, S. Congregationi proposuisse?

Observatio.

196. * Anno 1660. Reverendus Pater Timotheus à Sancto Antonino &c.

Responsio.

197. Alieno prorsus sensu hæc verba Patris Timothei Dominicani afferri ab Observatore, ostendi in prioribus Notis Sect. 1. Art. 80. numero 91.

Observatio.

198. Anno 1669. visæ erant plane sopitæ (contentiones) per Reverendi Patris Navarrettæ subscriptionem, quæ post lectos his de argumentis varios nostrorum tractatus, fassus est teste R. P. Sarpetri Dominicano tum præsen-

* §. Anno 1660.

ſente, ſe jam multa noſſe quæ antea non noverat.

Reſponſio.

199. Falſam ac ſuppoſitam eſſe hanc Navarrettæ ſubſcriptionem jamdiu demonſtratum eſt argumentis & probationibus quibus hactenus Patres Societatis non reſponderunt. * Ex Apologiis & tractatibus Miſſionariorum Societatis tantum abeſt ut Navarretta multa didicerit, quæ antea non noverat, ut potius ejuſmodi tractatus eruditiſſimis ac firmiſſimis reſponſionibus, quæ poſtea ab eo typis edita ſunt, confutaverit. Patris Sarpetri teſtimonium in hac materia floccifaciendum, ob rationes jam dictas.

Obſervatio.

200. † R. Pater Joan. de Paz item Dominicanus in Theologicis ſcientiis ſupra modum eruditus, habituſque à ſuis per multos annos Orientis oraculum &c.

Reſponſio.

201. Ita Obſervator de Patre de Paz Dominicano, quem ſuæ cauſæ faventem reperit. Fuit quidem per multos annos Sacræ Theologiæ Profeſſor Manilæ in Conventu & Collegio PP. Dominicanorum. At multi adhuc hodie teſtantur eum, novorum Caſuiſtarum exemplo, de rebus moralibus mollius atque indulgentius, quam verum Thomiſtam deceat, reſpondiſſe, uti ad me ſcripſit celebris ille Miſſionarius nunc Epiſcopus Roſalienſis in

* §. Vid. ſup. numero 95. 96.
† §. R. P. Joannes.

in epistola à me jam antea citata. Certè ipsimet Jesuitæ rationes, quibus sua ad Missionarios Tunkinenses responsa confirmat, parum probant; adeoque nonnullas à se suppressas monet P. Tellier in præfatione ad ejusmodi Responsa ab eo edita Tom. 2. pag. 321.

Observatio.

202. * Sane quam fuerit tunc improbatum illud Opus (Navarrettæ) testatur R. P. de Alcala ex eodem Sacro Ordine dum asserit, si ita liceret, proprio sanguine delerem quæ à Patre Navarretta scripta erant.

Responsio.

203. Quam falsò hæc tribuantur Reverendo Patri de Alcala, declaravit ipsemet R. P. adhuc in Sina superstes & nuper ab Innocentio XII. Summo Pontifice electus Vicarius Apostolicus Provinciæ Chekiangensis. Vide ejus epist. ad suum Viceprovincialem in prioribus meis Notis numero 94.

Observatio.

204. Jusserunt millies jam inde ab initio Societatis in Sina Missionarii conculcari idola à Neophytis, frangi, comburi, conculcarunt ipsi sæpissime, fregerunt, combusserunt.

Responsio.

205. Hæc ambigue dicta jam supra explicavi & confutavi numero 138.

Observatio.

206. † Si autem neque Confucius, neque mortui Parentes sunt idola.

Respon-

* §. Quid ergo.
† §. Si autem.

Reſponſio.

207. Pergit ludere in ambiguo Obſervator, Confucius & mortui Parentes non ſunt Literatis Sinenſibus idola, ſi per idola intelligas falſa numina quæ ſub variis ſimulachris coluntur, qualia ſunt idola utriuſque alterius ſectæ, Magorum & Bonziorum apud eoſdem Sinas: ſed ſunt alio ſenſu idola, quandoquidem eorum ſpiritus evocantur, & invitantur ut tabellis inſideant, iiſdemque ritibus ac ceremoniis coluntur, quibus ab iiſdem Literatis colitur idolum *Chin hoan* ſeu genius tutelaris cujuſque civitatis, qui cultus idoli *Chin hoan* ſacer eſt ac religioſus, adeoque ſuperſtitioſus & idololatricus, ut omnes fatentur.

Obſervatio.

208. * Permittat Reverendiſſimus parvum afferri diſcrimen inter exemplum à ſe propoſitum opinionis de contractu Mohatra licito, & ſententiæ de licitis Sinenſium ritibus. Illud eſt nimirum, quod opinio prior de contractu fuerit proſcripta ab Apoſtolica Sede, è contra verò poſterior de ritibus ab eadem Sancta Sede approbata.

Reſponſio.

209. Falſiſſimum eſt & S. Sedi injurioſum ritus Sinenſium, quales reipſa ſunt, ab ipſa approbatos fuiſſe: imo ab ea prohibiti & damnati ſunt Decreto anni 1645. neque poſtea Decreto anni 1656. iidem illi ritus approbati ſunt, ſed alii prorſus diverſi, quales eos finxit ac ſuppoſuit Martinius. Porrò contractus

Mo-

*P rim permittat.

Mohatra, si in se ipso usurarius est, adeoque contra jus naturale, talis fuit, etiam antequam ab Apostolica Sede prohiberetur: idemque dicendum de cultibus Sinensium, si superstitione & idololatria imbuti sunt; etiam antequam Decreto anni 1645. damnarentur illiciti erant & peccato infecti, quantumvis Patres Societatis probabile existimarent eos permitti posse. Neque enim in iis quæ sunt contra jus naturale novum jus condit Ecclesia, quasi verò ante ejus declarationem essent licita & innoxia, postea verò fiant illicita & peccato obnoxia. Aptissimum est itaque exemplum contractus Mohatra à Reverendissimo Domino Maigrot allatum: sicut enim multi Casuistæ contractum illum idcirco licitum putabant, quod minimè eis usurarius videretur; ita & Patres Societatis ritus Sinensium Christianis permittendos censent, quod eos nulla superstitione aut idololatria infectos, sed mere civiles ac politicos esse existiment.

Observatio.

210. † Probatum est in 12. Observationibus supra Cap. 4. Mand. Maigrotiani sententiam Jesuitarum de ritibus Sinensium erga Confucium Progenitoresque mere politicis, esse non modo certò probabilem, sed etiam probabiliorem opposita &c.

Responsio.

211. Posita veritate facti, statim apparet falsitas hujus sententiæ. Sed quantumvis eam Jesuitæ ut probabilem, vel etiam probabiliorem

† §. Secunda probatum est.

rem opposita, imo tutiorem, vel forte etiam unice tutam venditent; si falsa sit, Christianos qui illam sequuntur à superstitionis & idololatriæ peccato non eximet. Nam in iis quæ pertinent ad bonos mores seu quæ à lege Dei æterna & naturali pendent, nullus excusatur si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: In talibus enim ignorantia non excusat, inquit D. Thomas Quodlib. 3. Art. 10. unde Apostolica Sedes in definiendis hujusmodi materiis non attendit probabilitatem, sed veritatem. Quapropter si, re mature examinata, sententiam Patrum Societatis veram esse judicaret, non tantum iisdem Patribus eorumque Christianis illam sequi ut probabilem permitteret, sed tanquam veram generali sanctione omnibus in Sina Missionariis & Christianis sequendam proponeret, quod ab immobili Petra supra quam fundatur Ecclesia, frustra quis expectet.

Observatio.

212. † Non debuit ergo in illa ad Summum Pontificem epistola Reverendissimus ponere non paucos ex una parte, & ex altera non paucos, quasi numerus contendentium esset ex utraque parte æqualis . . . . . Constat enim multos stare pro ritibus politicis, paucos contra.

Responsio.

213. Omnes è Societate Missionarii quasi pro uno in hac causa haberi debent, præsertim ex eo tempore, quo Societas post Decretum

† §. Non debuit.

tum anni 1656. sententiam de ritibus politicis suam fecit; quanquam non defuerint aliqui etiam ex Societate Missionarii, qui post Decretum istud ritus illos ut superstitione imbutos Neophytis suis prohibuerunt, ut Pater Figueredo, Pater Balat, & alii nonnulli quos notat Illustrissimus Navarretta. Contra verò quotquot fere ex aliis Ordinibus, hoc est Dominicanorum, Franciscanorum, & Eremitarum Sancti Augustini qui à 60. annis Sinam ingressi sunt, aliter de ritibus illis censuerunt, eosque propriis Neophytis interdixerunt, tametsi in Neophytis & Christianis Jesuitarum tolerandos putaverint, ut supra dictum est. Unde, si res bene expendatur, multi stare contra ritus politicos, pauci verò pro illis comperientur.

Observatio.

214. † Si istiusmodi viris saltem sufficeret suos vexare male fundatis scrupulis Christianos, cum sint satis pauci, esset illud minus luctuosum. At volunt vexationem illam per totum Imperium extendi ad omnes ubique Neophytos, quod videtur intolerabile.

Responsio.

215. Paulo ante eosdem illos scrupulos vocaverat *Chimericos*. An tales sint judicabit Apostolica Sedes. Sin verò justi ac bene fundati reperiantur, cum agatur de vitanda superstitione & idololatria quæ religioni capitaliter opponitur, non attendet Sancta Sedes, an inter Missionarios pauci, vel plures sint qui

† S. Tertia si istiusmodi.

qui ejusmodi conscientiæ stimulis agitentur, sed eandem omnibus regulam in praxi sequendam præscribet.

Observatio.

216. * Christianos Sinas hîc vocat Reverendissimus fere omnes idololatras: mox tamen affirmabat Summo Pontifici &c.

Responsio.

217. Hæc explicata sunt supra numero 107. Vide etiam in Notis prioribus Sect. 1. Art. 12. numero 171. & seqq.

Observatio.

218. † Si propterea licet Sinas Christianos vocare idololatras; væ Catholicis omnibus Theologis & Doctoribus Angelicis etiam & Seraphicis. Pari enim jure dici illi & poterunt & debebunt homicidæ, usurarii, simoniaci &c.

Responsio.

219. Etsi vere dici possint idololatræ quotquot in Sina Christiani cultus superstitiosos & idololatricos adhibent, quos falsâ Pastorum suorum doctrina decepti, innoxios & labis expertes putant, non sequitur etiam idololatras vocandos ipsos Pastores qui speculative tantum in tradenda ejusmodi doctrina errant. Idem dicendum de peccatis homicidii, usuræ, simoniæ &c. & aliis quæ variis in casibus multi Casuistæ omni culpa liberant; neque tamen idcirco homicidæ, usurarii, simoniaci appellantur, sed ad summum homicidio-

* §. Christianos.

† §. Si propterea.

cidiorum, usuræ ac simoniæ fautores. Qui verò eorum auctoritate ducti ejusmodi peccata, vel alia contra legem divinam naturalem admittunt, rectè nuncupantur homicidæ, usurarii, simoniaci &c. quia tunc excusari quidem possunt à tanto, sed numquam à toto, ut loquuntur Theologi. De his videsis Notas priores Sect. 1. Art. 12. numero 174.

Observatio.

220. * Sed dignetur quoque advertere Sapientissimus Pontifex, quid possit fundare in relatione, judicio, consilio, sententia hominis qui tam misere discurrit in remotis illis locis. Nam quid melius & divinæ legi conformius potuit fieri à Missionariis eorumque Christianis, quam in rebus ubi juxta illum, *Videri mirum non debet non esse omnes unius ejusdemque sententiæ, hanc partem amplecti quæ coram Deo sibi probabilior visa est, seu magis consona veritati.*

Responsio.

221. Misere hallucinatur Observator, dum ex præconceptis Probabilismi principiis Reverendissimum Dominum Maigrot misere discurrentem exhibet, ut patet ex superioribus Notationibus. Verba etiam Reverendissimi Domini Maigrot, si non corrumpit, saltem minus fideliter refert. Ubi enim habet *quæ sibi in Domino magis consona veritati videbatur*, ipse substituit, *quæ coram Deo sibi probabilior visa est.* Quantum autem hæc inter se

* §. Secunda sed dignetur.

se differant, jam ostendi in Notis Sect. 1. Art. 12. numero 169.

Observatio.

222. * Norunt qui sunt Theologi esse plusquam tria opinionum millia in Theologia morali de quibus in utramque partem disputatur, docentibus aliis licere, quod illicitum alii affirmant.

Responsio.

223. Quandonam verò hæ opinionum Chiliades, de quibus in utramque partem disputatur, in Theologiam Moralem invectæ sunt? Certe priscis Patribus, imo & primis Theologiæ Scholasticæ Magistris incognitæ fuerunt. Novorum Casuistarum, quos inter eminent Societatis Theologi, argutiis atque opinandi licentiæ eas debemus. Cum autem ex eorumdem Casuistarum placitis, non peccet qui ex duabus ejusmodi opinionibus alteram, licet falsam & juri divino naturali contrariam, in praxi sequitur, patet innumeras actiones, quæ ante exortum Casuistarum erant illicitæ ac peccato obnoxiæ, jam ope probabilitatis à peccato excusari; quod quid aliud est, quam Legem Dei immaculatam evertere, & testimonia ejus fidelia vanis fallacibusque hominum opinationibus subjicere? Si nulli sunt Theologi, nisi qui hanc Probabilistarum doctrinam teneant, ultro nomen Theologi Observatori ejusque sociis relinquimus.

Obser-

* §. Norunt qui.

Observatio.

224. † Haberi pro certo poteſt id definiendum nunquam eſſe ab Apoſtolica Sede, quod in rebus hujuſmodi controverſis licitum non ſit ſequi probabiliora, quando nempe quæſtio eſt non quidem de valore Sacramenti aut aliis iſtiuſmodi, quæ à noſtra cognitione non pendent, ſed de honeſtate actus, quæ pendet à lege ſufficienter cognita. In hoc caſu licitum eſſe ſequi probabiliora, non eſt tantum probabile, ſed indubitatum moraliter.

Reſponſio.

225. Quod honeſtas actus in iis quæ ſunt juris naturæ, pendeat à Lege ſufficienter cognita, eo ſenſu quo intelligit Obſervator, receptum eſt in Scholis Patrum Societatis & apud Probabiliſmi Patronos, qui admittunt dari ignorantiam invincibilem & inculpabilem juris naturæ, quæ ex ea operantes à peccato penitus excuſet quando quis ſequitur opinionem probabilem vel probabiliorem. At, ſi principium iſtud bene expendatur, præterquam quod nulla vera ignorantiæ peccata relinquat, id quod Eccleſia tanquam hæreticum in Pelagianis, damnavit, latam viam excuſandis quibuſlibet graviſſimis peccatis ſternit, & continet in ſe radicem nefandi ac peſtilentiſſimi dogmatis de peccato Philoſophico, ut jam ſupra notavi. Unde quod addit, *In hoc caſu licitum eſſe ſequi probabiliora, non eſt tantum probabile, ſed indubitatum moraliter*, verum eſt apud eoſdem Probabiliſmi patronos, qui

† S. Haberi pro.

qui hoc casu agentes contra legem divinam naturalem ab omni peccato excusant, sed non apud Sanctum Thomam veteresque Theologiæ Magistros; qui nullam propriè ignorantiam invincibilem & inculpatam juris naturæ agnoscunt, neque ad peccandum formaliter actualem ad malitiam actus advertentiam requirunt. Videsis supra numero 43. numero 116. & in prioribus Notis Sect. 1. art. 12. numero 169.

Observatio.

226. * Si ita est, horum unum necesse est sequi, vel Missionarios qui de Societate non sunt, nullum habere fere Christianum, vel si multos habeant Christianos &c. . . . . hæc inter se conciliet Reverendissimus D. Maigrot.

Responsio.

227. Quomodo hæc explicanda, & cum dicto Reverendissimi Domini Maigrot concilianda sunt, vide supra numero 104. 105. & seqq.

Observatio.

228. †. Consulta fuerat primum quidem ab una parte Sancta Sedes, tum deinde ab altera: utraque audita & rebus diu multumque perpensis anno 1656. S. Congregatio Decretum statuit quod Apostolica Sedes confirmavit circa ritus Sinensium politicos: huic adhæserunt ab eo tempore constanter Societatis Mis-

* §. Tertia an bene.

†. §. Secunda fluctuabant.

Missionarii multique ac præcipui ex Sacro Dominicanorum Ordine Evangelii Ministri.

Responsio.

229. Vult Observator standum esse Decreto anni 1656. tanquam posteriori & definitivo, per quod in irritum missum sit præcedens Decretum anni 1645. At quam hæc falsa sint ac male fundata sæpius jam demonstravi. * Multi illi ac præcipui ex Sacro Dominicanorum Ordine Missionarii, non alii sunt quam duo, videlicet Pater Dominicus Sarpetrius & Illustrissimus Gregorius Lopez, de quibus in Notis meis Sect. i. Art. 7. Hos enim solos producit Observator; ex tot aliis Dominicanis qui à septuaginta fere annis Sinensem Missionem excoluerunt.

Observatio.

230. † Quippe cum illi, quos ex suis in hac Missione Antesignanos habuerunt (Dominicani), vexillum ab ipso initio erexerint adversum Jesuitas, & Sinensibus ceremoniis bellum indixerint.

Re-

* §. Vide supra numero 192.
† §. Sic exclusi.

Responsio.

231. Ecce agnoscit Observator primos ex Sacro Ordine Prædicatorum in Sinam ingressos, vexillum adversus Jesuitas in hac causa erexisse: addere potuisset primos etiam ex Seraphico Ordine Franciscanorum. Siquidem Pater Joannes Bapt. Morales Dominicanus & Pater Antonius à Sancta Maria Franciscanus qui anno 1633. Sinam intrarunt, cum jam à 50. ferme annis soli Jesuitæ amplissimam illam Missionem excolerent, statimatque rescierunt, imo & occulati testes viderunt, quid in cultibus Progenitorum & Confucii fieret, his tanquam superstitione & idololatria infectis bellum indixerunt, quo in bello socios & imitatores habuerunt quotquot fere deinceps ex utroque Sacro Ordine eam Missionem excoluerunt, si duos Dominicanos excipias, nempe Patrem Sarpetrium & Illustrissimum Lopez, de quibus supra. Unde merito dici potest hanc causam, quam solus Dominus Maigrot videtur nunc apud S. Sedem agere, esse causam utriusque Sacri Ordinis Patrum Dominicanorum & Patrum Franciscanorum, adversus PP. Societatis, prout revera appellata est in libris de hac controversia editis. Quibus etiam adjungendus Ordo Eremitarum Sancti Augustini, cum ejus Missionarii in Sinam ingressi omnes fere sententiam & praxim Dominicanorum & Franciscanorum hactenus sequuti sint.

Ob-

Observatio.

232. * Maluit Reverendissimus rem tentare arduam & audacem nempe auctoritate propria rescindere Apostolicum Decretum.

Responsio.

233. Falso hæc toties Reverendissimo objici jam satis ostendi. Nequaquam tentavit Decretum Apostolicum propria auctoritate rescindere. Sed cum duo essent Decreta Apostolica ob variam facti expositionem in speciem contraria; ac certum perspectumque haberet alterum illorum falsa expositione per subreptionem obtentum fuisse, ne hinc diutius animarum sibi commissarum salus periclitaretur; pro suo Vicarii Apostolici munere, Edicto provisorio declaravit standum esse priori Decreto, quod facti veritate niti omnes in Sina vident; quodque denuo anno 1669. ab eadem Apostolica Sede confirmatum fuit; qua in re Summorum Pontificum mentem sequutum se, ac ne latum quidem unguem à debita Apostolicæ Sedi observantia recessisse confidit. Vide notas priores Sect. 1. Art. 12. numero 179. & seqq.

Observatio.

234. † Ac proinde non possit novi alterius

* §. Porro magnum.
† §. Cum enim

rius Societati faventis Decreti esse major auctoritas &c.

Responsio.

235. Videtur his verbis supponere Observator irreformabile esse Decretum anni 1656. neque Apostolicam Sedem, postquam illud semel confirmavit, aliud unquam etiam rei veritate melius cognita promulgaturum. Atqui hoc ab Ecclesiastica regula, ab Apostolicæ Sedis sapientia, & à ratione prorsus alienum. In rebus enim facti quæ ad mores seu disciplinam pertinent, ipsa plenaria Concilia, inquit Augustinus Lib. 2. de baptismo contra Donatistas Cap. 3. *Sæpe priora posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.* Unde Romani Pontifices Decretalem epistolam Alexandri III. ad Archiepiscopum Ravennatem inter Leges Canonicas retulerunt, qua Pontificia Diplomata non exequi permittitur cum obreptum esse Summo Pontifici suspicio est. Quin etiam teste Sancto Bernardo Epist. 180. *Apostolica Sedes hoc solet habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod à se forte deprehenderit fraude elicitum non veritate promeritum*; qua de re vide Notas priores Sect. 1. Art. 12. numero 183.

Observatio.

236. * Auctor Responsi non debuit ad hæc silere: reponit hanc Reverendissimi suspicionem

* §. Auctor Responsi.

nem & querelam (de Jansenismi accusatione) inter causas suæ in Jesuitas indignationis &c.

Responsio.

237. Quid in hac de Jansenismo accusatione peccaverint tum Missionarii è Societate, tum ipsemet Observator, satis ostendi in prioribus meis Notis Sect..5. Art. 2. numero 275. & seqq. quæ hîc repetere supervacaneum esset ac Lectoribus molestum.

Observatio.

238. † Ut quoniam hæc præsens causa de qua agitur, non tam sua est quam ipsius S. Congregationis & Apostolicæ Sedis causa.

Responsio.

239. Si falsa Martinii expositione Sedi Apostolicæ obreptum fuit, eaque obreptio, elucidata facti veritate, jam omnibus manifesta est, causa hæc non alia ratione ad Apostolicam Sedem pertinet, nisi ut Decretum à se per fraudem elicitum, nullum, nulliusque roboris esse declaret, & confirmato priori Decreto anni 1645. generalem circa cultus Sinenses legem ab omnibus Missionariis observandam statuat; de vocibus verò *Xangti* & *Tien* ea decernat quæ ipsimet Jesuitæ præjudicarunt; ut sic universi per Orientem Missionarii eodem passu *ad veritatem Evangelii ambu-*

† §. Verum relinquamus.

bulent, & non sint in eis Schismata, sed idipsum omnes dicant, sintque in eodem sensu & in eadem sententia perfecti. 1. Cor. 1. v. 10.

240. Annotare hic lubet, quod cum præter primum meum Memoriale, & scriptum cui titulus, *Veritas facti*, obtulerim etiam S. Congregationi Responsionem ad epistolam quamdam Reverendissimi Præpositi Generalis Societatis Jesu inscriptam Domino Assessori Sancti Officii, itemque aliam responsionem ad Libellum supplicem eidem Sacræ Congregationi oblatum à Reverendo admodum Patre Procuratore Generali ejusdem Societatis, Observator de utraque hac Responsione mea omnino tacuerit; unde inferre licet nihil eum duabus his scripturis opponendum habuisse, tametsi plura contineant, quæ hujus causæ decisioni non parum conducere intelliguntur.

FINIS.

DIS-

DISPUNCTIO
Quorumdam Locorum
LIBELLI
SUPPLICIS,
QUEM
PATRES SOCIETATIS
SUMMO PONTIFICI,
SUPER
Rebus & Controversiis Sinensibus obtulerunt, velut compendiolum grandioris voluminis S. Congregationi Sancti Officii antea ab eis oblati:
PER
NICOLAUM CHARMOT
Reverendissimi
DOMINI MAIGROT
aliorumque Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum Gallorum Asiæ Orientalis Procuratorem Generalem.
Oblat. S. Congregationi Sancti Officii die 22. Mensis Octobris 1698.

S 4 PRÆ-

PRÆFATIO.

Qui priora duo Patrum Societatis Jesu in Mandatum Reverendissimi Domini Maigrot volumina legerit, vix intelliget quid sit, cur hoc tertium composuerint, in quo nihil pene novi, sed eadem non tam breviori sermone, quam variata dicendi formula repetuntur. Id temere ab eis factum haud facile crediderim. Fortè hac multiplici compositione sperant, fore ut causæ per se claræ & facili obscuritatem ac tenebras magis magisque offundant, dum in ultimo hoc scripto multa tanquam in prioribus jam probata magna confidentia proponunt, dissimulatis responsionibus meis, quibus eorum objectiones dilui, totamque hanc controversiam ita, ni fallor, explicavi, ut ejus decisionem nihil jam morari queat.

Hanc ob causam, ut quidem existimo, in ipso titulo posuerunt, oblatum esse hunc Libellum Summo Pontifici Mense Maio proximè præterito, antequam meas in eorum Observationes Notas, quas tantum die vigesima nona Julii S. Congregationi Sancti Officii obtuli, videre potuerint; cum tamen idem Libellus nonnisi exeunte Mense Augusto in manus Illustrissimi Assessoris venerit, prout ab ipsomet Domino Assessore accepi. Sic quippe liberum sibi fore arbitrati sunt, omissis responsionibus meis, easdem hic in Reverendissimi Domini Maigrot Mandatum objectiones iterare.

Sed hoc pacto propositum minimè consequentur; imo potius magis magisque patescet malam eos causam etiam male defendere. Cum enim tota

de

de cultibus Sinensibus quæstio, quod præcipuum est hujus controversiæ caput, huc redeat, ut constet de facto, prout à S. Congregatione Sancti Officii jam præjudicatum est, dum jussit me facta ejusmodi cultuum ex Scriptoribus Societatis, quantum fieri posset, probare; quod me abunde præstitisse confido in scripto cui titulus, Veritas facti, *aliisque meis scriptis; cum, inquam, huc tota quæstio redeat, Patres Societatis tum in prioribus scriptis, tum maxime in posteriori hoc Libello hanc facti quæstionem fere intactam relinquunt, adeoque rem ipsam circa illos cultus, prout à me exposita est, ut veram ac certam agnoscunt; quo semel posito, nulla, ut spero, supererit difficultas in dijudicanda quæstione juris, hoc est in condemnandis hujusmodi cultibus tanquam superstitiosis & idolatria imbutis.*

EX PRÆFATIONE AD INNOCENTIUM XII. SS. PONTIFICEM.

Libellus.

1. AD quam enim Sedem confugit (Societas Jesu), nisi ad eam cui totum quod ipsa est & debet & reddit continuò, ipsi specialiter devota, & ex hoc capite multis odiosa.

Dispunctio.

2. Grati animi est agnoscere totum quod est Societas, Sedi Apostolicæ, hoc est privilegiis & favoribus ab ea concessis deberi : an verò totum illud continuò Sedi Apostolicæ reddat, & ipsi ea, qua par est, obedientia devota sit, dubitari merito potest. Certe, ut alia non refricem, in iis quæ ad has ipsas Missiones Orientales spectant, Patres Societatis debitam S. Sedi observantiam non præstiterunt,

terunt, dum per multos annos præscriptum obedientiæ jusjurandum Vicariis Apostolicis, etiam post iterata Innocenti XI. Sanctæ memor. jussa, recusarunt; unde coactus fuit Optimus Pontifex plures Societatis Missionarios ex illis partibus Romam evocare, contumaciæ pœnam subituros, qui tamen, ut omnes norunt, nunquam hîc se stiterunt. An verò Societas multis odiosa sit, ipsa viderit; sane si de Catholicis agatur, id accidere ex eo capite quod Sedi Apostolicæ specialiter devota sit, nemo assentitur, cum aliæ omnino causæ afferri possint, quas hîc enumerare non est necesse.

Libellus.

3. Multa quidem passa est hactenus patiturque quotidie Societas ubique terrarum ab hostibus Ecclesiæ tam occultis quam manifestis, sed in hujusmodi tribulationibus gloriatur. Suos vidit in Japonia vel cruci affixos . . . . . vidit strangulatos in Anglia, devoratos à barbaris in America, in mare demersos ab hæreticis, occisos à Mahometanis, omni cruciatuum genere vexatos, omnibus calumniarum telis impetitos.

Dispunctio.

4. Hæc de se ipsa refert Societas, quasi ipsi proprium esset ab hostibus Ecclesiæ male tractari, & innumeros ubique haberet fidei & justitiæ Confessores ac Martyres. Atqui non soli Jesuitæ, sed & aliorum Ordinum & Collegiorum Religiosi seu Sacerdotes, sæpe multa ab hostibus Ecclesiæ, puta infidelibus vel hæreticis, passi sunt vel etiamnum patiuntur.

Ve-

Verum id quasi proprium Jesuitarum videtur, ut persuasum habeant, neminem sibi, etiam intra Ecclesiam, nisi veritatis ac justitiæ inimicum adversari, nullumque suis à quoquam crimen aut malum, nisi per calumniam & injuriam, importari; quod an modestiæ & humilitati Christianæ conveniat, aliis judicandum relinquo.

Libellus.

5. Hæc quandiu à Christiani Catholicique nominis hostibus suos ista pati vidit Societas non modo tulit patienter, sed & cum gaudio.

Dispunctio.

6. Hic oblique Reverendissimus D. Maigrot comparatur publicis Religionis Christianæ atque Ecclesiæ Catholicæ persecutoribus, quod Societatis usum & praxim in permittendis cultibus Sinicis improbare, & apud Sedem Apostolicam accusare constituerit. Sed de hac comparatione adhuc infra dicendi erit locus.

Libellus.

7. At verò, Pater Sanctissime, quanto Societas Romanæ fidei studet ardentius, quanto Apostolicæ Petræ firmius adhæret, tanto illi durius est ea pati, quæ videri possent fidem ejus reddere suspectam.

Dispunctio.

8. Bene habet, quod Societas fidem suam ab omni suspicione liberam servare velit. Sed quis Jesuitas in hac Sinensium cultuum causa tanquam de fide male sentientes accusat? Aliud est dogma fidei Catholicæ contrarium

per-

pertinaciter defendere, quod proprium est hæreticorum; aliud actus malos ac Legi Dei contrarios per errorem culpa eximere, & in aliis, prono nimis ad indulgentiam & laxitatem animo, permittere vel excusare; qua in re multos præsertim ex Societate Jesu Casuistas & Confessarios peccare nimis notum est. Hos tamen idcirco à fide Catholica desciscere, aut de hæresi suspectos esse nemo dixerit.

Libellus.

9. Sæpe contigit, silentibus etiam Jesuitis, in variis Regnis ac Provinciis male omnino audiisse illos in fide, quos plebs Christiana videret, in iis quæ ad fidem spectant, contrarios esse Jesuitis atque negotium ipsis facessere.

Dispunctio.

10. Hìc nobis Jesuitæ tanquam vivens quædam fidei regula proponuntur, quos non fas sit in iis quæ ad fidem spectant, lacessere vel accusare. Sane præterito sæculo Patres Dominicani famosi cujuspiam Jesuitæ doctrinam in materia Gratiæ primùm in Hispania, ac deinde apud Apostolicam Sedem tanquam Semipelagianam accusarunt; nec tamen eam ob rem malè apud Catholicos in fide audierunt. Nostra etiam ætate in Belgio & Galliis ad postulationem Parochorum præcipuarum civitatum, Facultates Theologicæ & Episcopi nonnullos libros, plurimasque propositiones Casuistarum, quos inter eminebant Scriptores Societatis condemnarunt: imo & ipsa Apostolica Sedes suis Decretis, tum Apologiam

Ca-

Casuistarum, tum varias laxioris Moralis propositiones proscripsit; novissime verò delatam ad se doctrinam peccati Philosophici, & Thesim contra necessitatem divini amoris gravissima censura confixit. Num Parochi illi, aliique delatores ejusmodi pravarum doctrinarum, quarum Jesuitæ præcipui erant Patroni, apud Catholicam plebem male audierunt? Imo hisce delationibus immortalem sibi gloriam pepererunt, & ob eam rem memoria eorum est in benedictione.

Libellus.

11. Unde multi pridem convenerunt in id consilii, ut in Europa, & præsertim Romæ non tam Romanos Jesuitas vel Europeos de perversa fide accusarent, quam Americanos, Japonenses & maximè omnium Sinenses.

Dispunctio.

12. Pergit Libellus statum quæstionis mutare, ut Reuerendissimo Domino Maigrot invidiam conflet. Nemo Jesuitas Missionarios Sinenses de perversa fide in Europa aut apud Sedem Apostolicam accusat. Fictiones sunt vel somnia Auctoris Libelli. De cultibus Progenitorum & Confucii agitur, quos non primus Reverendissimus Dominus Maigrot, sed Missionarii Dominicani & Franciscani superstitione & idololatria imbutos jam pridem censuerunt, eamque causam per Joannem Bapt. Moralem Dominicanum contra Patres Societatis, qui ejusmodi cultus suis permittunt Neophytis, ad Apostolicam Sedem detulerunt. Num de fide perversa aut de hæresi accusandi, quotquot in ejusmodi re-

bus

bus, quæ ad cultum Divinum & Ecclesiasticam disciplinam spectant, non rectè ambulare arguuntur, & contra quos, ut corrigantur, ad Sedem Apostolicam recursus habetur? Certe in fide sanus erat Petrus, in qua & alios confirmare debebat: & tamen Antiochiæ à Paulo coram omnibus arguitur quod se se à gentibus segregaret, timens eos qui ex circumcisione erant. Absit ut Paulus putaret Petrum eam ob rem de perversa fide accusandum.

Libellus.

13. Fuit illud præcipuum vulgatæ toto Imperio accusationis caput.

Dispunctio.

14. Longe antequam Pater Adamus Schaal Mandarinus Mathematices aliique Missionarii, tam Jesuitæ, quam Dominicani & Franciscani, exorta anno 1665. persecutione, in vincula conjicerentur, infensissimus ille Christianæ Religionis adversarius nomine *Yam Kuang sien* librum edidit, in quo multa Christianis improperat, quæ summatim refert Illustrissimus Navarretta Tom. 1. Tract. 6. Cap. 15. pag. 354. ac nominatim illis exprobrat quod hominem crucifixum tanquam Deum colant. Verum hæc generatim Missionariis & Evangelii Ministris exprobrat, non speciatim Patri Adamo Schaal ejusque sociis. Deinde vetus est illa accusatio in Jesuitas, quod crucifixum Sinensibus aliisque finitimis populis non prædicent neque ejus imagines ostendant; & ad illud præcipue tempus refertur, cum soli Missiones Sinicas per 50. fere annos

ex-

excoluêre; quod quidem Missionarii tam Dominicani quam Franciscani, ubi primum Japoniam, ac deinde Chinam ingressi fuere, deprehenderunt, factaque informatione comprobarunt. Facile est ut Missionarii Societatis postea hanc prædicandi Evangelii rationem aliqua ex parte mutaverint, præsertim post Decretum S. Congregationis de propaganda fide anno 1645. editum. Quanquam, quod in Provincia Fokiensi, Cantonensi & Kiangsiensi vidi, testari possum, Jesuitas in Ecclesiis suis nudam crucem sine affixa Christi effigie habere; cum Missionarii Dominicani & Franciscani effigiem Christi crucifixi supra altare positam teneant, illi quidem sipario tectam, quod tempore Missæ, & si qui Sinæ infideles postulent, reducunt; hi verò quibusdam in locis, ut Cantoni, loculo vitreis specularibus obserato inclusam, alibi non inclusam. At nostri Missionarii itemque Patres Augustiniani quovis tempore & in omnibus Oratoriis Christi crucifixi effigiem super altare collocatam, haud secus atque in Europa, conservant. Porrò de persecutione quæ anno 1665. occasione Calendarii à Patre Adamo Schaal tanquam Mathematices Mandarino compositi incœpit, & Sinicam Missionem non parum afflixit legendus Illustrissimus Navarretta Tom. 1. Tract. 6. Cap. 13. pag. 346.

Libellus.

15. Sic enim existimamus, Sanctissime Pater, à nemine unquam nec gravius nec inju-

stius

ſtius accuſatam eſſe Societatem, quam à Reverendiſſimo D. Maigrot.

Diſpunctio.

16. Hæc generaliter dicuntur, & quidem poſt commemorata paulo ante mala quas Societas ſæpe ab infidelibus, hæreticis aliiſque infenſiſſimis hoſtibus paſſa eſt. Quis non miretur verbis tam duris excipi Epiſcopum & Vicarium Apoſtolicum, eo quod pro ſuo munere, in Provincia ſibi commiſſa, circa cultus Sinenſes id ſtatuerit, quod bono religionis & animarum ſaluti conducere judicavit, atque id ut à Sede Apoſtolica confirmaretur, ea, qua par eſt, ſubmiſſione ac reverentia poſtulaverit? Adde Patrem Moralem Dominicanum, alioſque tum ejuſdem Ordinis, tum Ordinis Sancti Franciſci Miſſionarios longè ante Reverendiſſimum D. Maigrot de hac re cum Jeſuitis contendiſſe, & ad Sedem Apoſtolicam querelam & accuſationem ſuam detuliſſe, quos tamen Societas tanquam infenſiſſimos hoſtes ſe habere nunquam dixit.

Libellus.

17. Ut omittam involvi ab eo in eadem damnatione multos pios, doctos & graves ex Sacro Prædicatorum Ordine viros.

Diſpunctio.

18. Multi illi ex Sacro Prædicatorum Ordine viri ad duos aut tres rediguntur, ut Notarum mearum in Obſervationes Sect. 1. Art. 7. & 8. demonſtravi.

EX
PARTE PRIMA.

In qua Mandati Maigrotiani defectus notantur.

Libellus.

19. Hoc est grande omnino apud Reverendissimum Jesuitarum scelus (quod Apostolicum Decretum anni 1656. pergant observare).

Dispunctio.

20. Nemo Jesuitas reprehendit, quod Decreta Apostolica observent: sed merito eis vitio & crimini datur, quod per falsam facti expositionem Decretum anni 1656. obtinuerint, & quod agnita subreptione, quæ, posita veritate facti, quam ipsimet in hisce suis scriptis non inficiantur, omnibus manifesta est, adhuc pergant, obtentu illius Decreti cultus Confucii & Progenitorum, renitente Vicario Apostolico, Neophytis suis permittere, nulla ratione habita Decreti anni 1645. quo ejusmodi cultus, juxta veridicam Patris Moralis expositionem, tanquam illiciti & idololatria infecti ab Apostolica Sede damnati sunt.

Libellus.

21. Non debuit autem inconsulta Sancta Sede, nec auditis audiendis à Reverendissimo Domino Maigrot reformari.

Dis-

Dispunctio.

22. Nullum à Reverendissimo Domino Maigrot Sedis Apostolicæ Decretum reformatum, sed ex duobus Decretis in speciem contrariis, quodnam, ob veram facti expositionem, vim suam obtinere & in executionem mitti oporteret, provisorio ejus Edicto declaratum fuisse, jam sæpe ostendi. Edictum verò illud, non auditis audiendis, promulgatum fuisse immerito Jesuitæ queruntur. Siquidem à Reverendissimo Domino Maigrot, scriptis etiam literis ad Patrem Josephum de Monteiro Missionarium è Societate, & ad Viceprovincialem Mense Maio anni 1692. moniti sunt & rogati, ut suæ circa cultus Sinenses opinionis & praxis fundamenta exhiberent, quod intra tres menses à Superioribus obtenturum se promisit Pater de Monteiro. Verum elapso hoc tempore, non solum promissis non stetit, sed mense Novembri Macaum se contulit, publicatis, priusquam discederet, in Metropoli Fokiensi literis obtentis ab Episcopo Macaensi, quibus nomine Reverendissimi Archiepiscopi Goani Vicarius, ut vocant *de Vara* in Provincia Fokiensi constituebatur; quæ cum fierent præter omne jus & contra expressa Summorum Pontificum Mandata, quibus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibetur ne ab Indiarum Ordinariis similes facultates emendicarentur aut acciperentur, Reverendissimus Dominus Maigrot in exercendo Vicariatu perstitit, ac demum die 3. Martii anni sequentis præfatum Edictum suum publicavit. Hæc ipse particulatim

enarrat in Expositione sua S. Congregationi exhibita. §. *Pergratum mihi* & seqq.

Libellus.

23. Videt ergo Sanctitas Vestra quam falsò imponat Patri Martinio Dominus Charmot, dum ait ita ab illo propositas esse Sinarum ceremonias erga Progenitores mortuos, ut ne umbra quidem superstitionis inesset.

Dispunctio.

24. Huic accusationi vel potius cavillationi, fusè & dilucidè respondi in meis Notationibus ad Observationes residuales numero 74. 75. 76.

Libellus.

25. Vix putamus fingi posse majus falsitatis argumentum contradictione tali.

Dispunctio.

26. In Reverendissimi D. Maigrot dictis nullam esse contradictionem, sed cuncta potius rectè inter se constare fusè demonstravi in Notis ad Observationes Sect. 1. Art. 10. numero 150. 151.

Libellus.

27. Debuerat saltem convenire secum Reverendissimus, antequam Sanctissimo significaret se non posse convenire cum aliis.

Dispunctio.

28. Non pugnat secum Reverendissimus Dominus Maigrot, sed inveteratum malum sanare studens, de iis qui hactenus illud foverunt, ut facilius resipiscerent, benigne loquendum putavit. Videsis Notas meas in priores Observationes Sect. 1. Art. 12. numero 168. 169.

Li-

Libellus.

29. Idem Reverendiſſimus in ſua ad Veſtram Sanctitatem epiſtola ingenue confitetur propterea à ſe nuncupari idololatras Evangelii in China Miniſtros.

Diſpunctio.

30. Non hoc dicit Reverendiſſimus D. Maigrot; ſed poſtquam expoſuit plures in China Evangelii Miniſtros, hoc eſt Patres Societatis nonnulloſque alios Miſſionarios eorum auctoritate adductos Confucii & Progenitorum cultus. Chriſtianis permittere, quod probabiliter vel etiam probabilius judicent eos eſſe mere civiles & politicos, aliis contra ſentientibus, & cultus illos tanquam apertè illicitos & idololatria imbutos prohibentibus, continuò addit: *Ex quo perturbatio religionis tantaque confuſio ſequitur, ut ſicut alias S. Congregationi ſignificavi, dubitari merito poſſit, an qui ſunt in China Chriſtiani iidem fere omnes non ſint & idololatræ:* Quæ verba non ipſos Evangelii Miniſtros ſeu Miſſionarios ſed Sinenſes Chriſtianos ac Neophytos propriè deſignant. Quo autem ſenſu, hæc quæ quadam exaggeratione de Chriſtianis Sinenſibus dicuntur, accipienda ſint, & cum aliis Reverendiſſimi Domini Maigrot dictis concilianda, conſule, ſi lubet, Notationes meas ad Obſervationes Reſiduales, numero 106. & ſeqq.

Libellus.

31. Humillimè deprecamur Sanctitatem Veſtram ut dignetur advertere noſtros in China Miſſionarios eorumque Chriſtianos, ipſo Reverendiſſimo teſte, plus feciſſe, quam juſſe-

 rint

rint hactenus Summi Pontifices à Theologis doceri & à Christianis fieri, tum in Regnis Catholicis, tum etiam Romæ. Norunt qui sunt Theologi, esse plusquam tria opinionum millia in Theologia Morali de quibus in utramque partem disputatur.

Dispunctio.

52. Maximo religionis damno introducta est hæc in doctrina morum opinandi licentia, „ per quam, inquit Alexander VII. in De- „ creto die 24. Septemb. anno 1665. edito, in „ rebus ad conscientiam pertinentibus modus „ opinandi irrepsit alienus omnino ab Evan- „ gelica simplicitate, Sanctorumque Patrum „ doctrina, & quem si pro certa regula fide- „ les in praxi sequerentur, ingens irreptura „ esset Christianæ vitæ corruptela. In iis enim quæ sunt contra jus naturæ, seu legem Dei æternam, nullus auctoritate Doctorum aut ope probabilitatis à peccato excusatur: idque maximè locum habet ubi agitur de cultu divino & vitanda idololatria. Folia itaque ficus sibi consuunt Jesuitæ ad tegendam idololatriæ turpitudinem, dum ope probabilitatis cultus Confucii & Progenitorum defendunt. Dummodo enim de veritate facti constet, hoc est cultus illos ita peragi quemadmodum in meis scriptis demonstratum est, non jam probabile, sed certum atque manifestum est eos superstitione & idololatria infectos esse. At ipsimet Jesuitæ suo silentio veritatem facti confirmant, quam si inficiari possent, non sola se opinionis suæ probabilitate circa jus in hac causa tuerentur.

Li-

Libellus.

33. Tanto autem injustius in istiusmodi jura involavit (Dominus Maigrot) quod de juris quæstione, sive de licito aut illicito in præsenti casu primum non agatur, sed de mera facti quæstione, nimirum an ex communi Sinarum persuasione vel auctoritate aliqua publica Confucius Philosophus & Progenitores mortui habeantur apud Sinas ut numina.

Dispunctio.

34. Pergunt Patres Societatis jus cum facto permiscere, & quæstionem; an cultus Sinenses Christianis liciti sint vel illiciti, vocare quæstionem facti. Sed pluribus jam demonstratum est, quæstionem facti esse, quid in cultibus illis peragatur, an, v. g. coram tabellis Confucii & Progenitorum, posita mensa in modum altaris, & cereis accensis, thus & odoramenta comburantur, an capræ, vel porci caput solemniter offeratur, an vinum eadem solemnitate libetur, an itidem panni serici & nummi papyracei offerantur ac postea comburantur, an preces adhibeantur, an aliquid hisce ritibus peragendis speretur aut petatur: Quæstionem verò juris esse an hujusmodi cultus Christianis liciti sint tanquam mere civiles & politici; an verò illiciti, utpote superstitione & idololatria imbuti. Hæc utriusque quæstionis distinctio, cum per se certa sit & manifesta, etiam auctoritate S. Congregationis præjudicata est, dum jussit me ejusmodi facta ex ipsis Scriptoribus Societatis, quantum fieri posset, comprobare,

quod & præstiti scripto cui titulus; *Veritas facti.*

Libellus.

35. Reverendissimus D. Maigrot & D. Charmot, etsi persuasum sibi esse significent quod vere sacrificetur à Sinis, Confucio tanquam Deo, Majoribus tanquam numinibus, prohibent quidem hæc ipsis offerri sacrificia, sed non prohibent hos à Christianis multiplici alio cultu honorari; cumque fieri non posset quin sua illis conscientia inauditam Christianis istiusmodi Moralem exprobraret, huic ut facerent satis, quærendum definierunt ab Apostolica Sede an liceret graduandis Christianis solitos in graduum collatione honores reverentiasque ac profundas inclinationes exhibere Confucio, illiusque imagini, quam eidem Sanctæ Sedi repræsentant ut idolum.

Dispunctio.

36. Res falsas & absurdas mihi ac Reverendissimo Domino Maigrot affingunt PP. Societatis, ut nobis insultent, & tanquam proprio conscientiæ judicio damnatos traducant. Nusquam diximus Confucium à Sinis Literatis ut Deum, Majores ut numina coli. Quidquid Literati Sinæ spirituum nomine intelligant, cultus quos eis adhibent, superstitione & idololatria non carent, tametsi Confucium esse Deum, aut Progenitores mortuos esse numina non credant. Sat est si sacer ac religiosus sit cultus iste. At talis est, etiamsi Deo non offeratur. Certè cultu religioso Angelos, Sanctos ac Beatos cum Christo regnantes veneramur. Num ideo Angelos & Beatos tanquam

quam Deos aut quæpiam numina habemus? Deinde falsum est Reverendissimum Dominum Maigrot, dum suo Mandato solemnes Confucii & Progenitorum oblationes prohibuit, alias minus solemnes permisisse. Has quidem expressè in Mandato suo non prohibet, sed neque etiam permittit aut probat, quasi nihil habeant superstitionis & idololatriæ. De his tacuit *ne si plura statim consequi vellet nihil prorsus consequeretur*, ut ipsemet ait in sua Expositione §. *Supersunt capita*, de quo videsis Notas in Observationes Sect. 1. Art. 12. numero 177. Non itaque ad sedandos propriæ conscientiæ remorsus, ut fingunt Jesuitæ, decrevimus quærere ab Apostolica Sede an liceat graduandis Christianis solitos in collatione gradūum honores Confucio exhibere: sed promulgatione Mandati sui speravit Reverendissimus Dominus Maigrot, fore ut Apostolica Sedes definitivo judicio utrasque illas oblationes, tam solemnes, quam minus solemnes, prohibeat.

Libellus.

37. Indignam omnino, Sanctissime Pater, Sorbonicis Doctoribus quæstionem quam mirum est potuisse seriò fieri, nec convincens argumentum profundæ illorum circa mores scientiæ. Ab istiusmodi tamen hominibus reformantur Apostolicæ Sedis Decreta.

Disjunctio.

38. Indignum plane Jesuitas ea Vicario Apostolico affingere, unde ansam sumant ei insultandi tanquam ignoranti, inepto, & nullius pretii homini.

Libellus.

39. In ea (Expositione Domini Maigrot) advertent tot infensi in Jesuitas animi signa . . . . tam amaras de Patribus illis querelas, occasione præsertim suæ revocationis, quam fert ægerrime ab uno ex illis esse sibi significatam, ab illo nimirum, quem Archiepiscopus Goanus Vicarium generalem nominavit in Provincia Reverendissimi post compositum Sanctæ Sedis auctoritate negotium Lusitanicum circa jurisdictionem Ordinariorum.

Dispunctio.

40. Qui alio, quam Jesuitæ, animo Expositionem Reverendissimi D. Maigrot legerit, nulla ejusmodi in ea infensi & commoti animi signa reperiet: laudabit potius Domini Maigrot patientiam & longanimitatem in rogandis & invitandis Jesuitis, ut opinionis suæ circa cultus Sinenses fundamenta proferrent; quod cum frustra pluribus annis expectasset, Mandati sui publicationem non amplius differendam putavit. Mirum autem videri debet Patres Societatis Summum Pontificem alloquentes, de Jesuita illo Missionario Archiepiscopi Goani prætenso Vicario, ut vocant *de Vara*, non veritos verba facere. Meminisse debuerant, Pontificiis Decretis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, prohibitum esse, ne quis ab Indiarum Ordinariis, ejusmodi facultates, ad regendas Missiones Vicariorum Apostolicorum vel postulet, vel accipiat. Patet itaque Jesuitam illum Vicarium *de Vara*, ejusque Superiores, qui eum hoc titulo Vicarii de Vara ornari procurarunt, in

in excommunicationem latæ ſententiæ incurriſſe. Is autem fuit Pater Joſephus de Monteiro Luſitanus quem in Metropoli Fokienſi vidi, qui Reverendiſſimum Dominum Maigrot impenſe colebat, & huic multis ſe nominibus obſtrictum agnoſcebat. Attamen literas Vicariatus *de Vara*, ad ſe Macao à Viſitatore miſſas accepit, & magno Chriſtianorum ſcandalo in dicta Metropoli Fokienſi publicavit; adeo conſuetum eſt Jeſuitis à Superiorum nutu pendere, & eorum juſſa quælibet ad majorem non tam Dei, quam Societatis gloriam capeſſere & exequi.

Libellus.

41. Hæc, inquam, & alia hujuſmodi tam multa detegent, ut non ſint jam miraturi conſtitutum illud Mandatum fuiſſe, poſt admodum paucos dies, forte duodecim, à ſignificata iſta revocatione.

Diſpunctio.

42. Pater Joſephus de Monteiro anno 1692. circa feſtum omnium Sanctorum literas ſui prætenſi Vicariatus, abſente tum Reverendiſſimo Domino Maigrot & ad alium Provinciæ locum ob negotia Miſſionis profecto, Illuſtriſſimo Domino de Lionne & mihi tunc ibi commoranti ſignificavit, ac poſtmodum clam è Provincia exceſſit, Macaumque profectus eſt; unde Menſe Martio anni ſequentis reverſus, & de mox publicando Reverendiſſimi Domini Maigrot Edicto monitus eaſdem prætenſi Vicariatus literas ſtatim ad ipſum Reverendiſſimum Dominum Maigrot in Vicino Oppido degentem miſit; qui ei reſponſum de-

dedit, non minus humanitate plenum, quam validis contra prætensum ejus Vicariatum rationibus refertum. Cæterum hac agendi ratione Patrum Jesuitarum persuasus Dominus Maigrot frustra se diutius expectaturum, ut suæ circa cultus Sinenses opinionis & praxis fundamenta declararent, quod huc usque se facturos ostenderant, peractis Pascalibus festis Mandatum suum, de quo jam sæpe Jesuitas aliosque Missionarios monuerat, promulgavit. Hæc in ejus Expositione singulatim narrata legi possunt.

Libellus.

43. Neque dubium est quin ab iis graviter peccari possit . . . . qui à fide Gentes removent ex eo quod in iis tolerare nolint, quæ juxta suave Evangelii jugum tolerari vere ac Christiane possunt.

Dispunctio.

44. Non minus certum gravissime peccaturos Evangelii Prædicatores, qui eo prætextu quod jugum Christi suave sit, Neophytis pristinos cultus superstitiosos & idololatricos retinere permitterent. Tales autem esse Confucii & Progenitorum cultus, ex simplici & sincera eorum expositione, manifestum est. Sed Jesuitæ quid reipsa in cultibus istis peragatur, tum sibi, tum aliis dissimulant, ut statuant probabile vel etiam probabilius esse illos permitti posse. Id nunquam fecerunt Apostoli veteresque Antistites quibus ignotus fuit Probabilismus.

EX

EX SECUNDA PARTE

Libelli, in qua ſeptem Capita Mandati Maigrotiani examinantur.

Libellus.

45. Licet Latini & Græci plerique omnes Apoſtolorum tempore per vocem, *Deus*, aut Θεὸς idolum aliquod intelligerent, nempe vel Jovem, vel Martem, vel Apollinem.

Diſpunctio.

46. Non eſt eadem ratio nominis *Deus*, aut Θεὸς apud veteres Gentiles, & nominis *Xangti* aut *Tien* apud Sinas. Græci & Latini in generali notione vocis, *Deus* aut Θεὸς non errabant, ſed in hoc errabant quod ejus ſignificationem variis ſpeciebus vel potius individuis, etiam utriuſque Sexus applicarent, putà Jovi, Marti, Junoni, Minervæ. At nomina *Xangti* & *Tien* apud Sinas Literatos, ſaltem à quingentis aut ſexcentis annis, ad ſignificationem particularem cœli materialis ſeu efficientis ejus virtutis, determinantur. Unde non niſi falsò & periculosè ſumi poſſunt ad ſignificandum Supremum ens ſeu Deum vivum & verum.

Libellus.

47. Conſtat eſſe in variis Chinæ Provinciis plura quam 30. idola, quæ ab Sinis idololatris

tris *Tien chu* nuncupantur. Jubet tamen Reverendissimus in suo Mandato hanc à Christianis vocem retineri ad significandum Deum.

Dispunctio.

48. Vox *Tien chu* propriè significat Dominum Cœli. Cum autem Cœlum sit rerum omnium visibilium præstantissima, nomen *Tien chu* non malè respondet nomini Θεὸς vel *Deus* quo apud antiquos Græcos & Romanos significabatur supremum Numen seu rerum omnium Dominus. Unde quod apud idololatras quæ est una ex tribus præcipuis Sectis Chinæ, plura sint idola quæ hoc nomine nuncupantur, non plus inde incommodi ad veram ejus significationem impediendam, quam cum vox *Deus* & Θεὸς à Gentilibus Græcis & Latinis, Jovi, Marti, Apollini aliisque falsis Diis tribuebatur. Adde idololatrarum Sectam magna apud reliquos Sinas, præsertim Literatos, infamia laborare. Quapropter ex particulari illa vocis *Tien chu* significatione, quæ apud solos idololatras usurpatur, vix ullum æquivocationis periculum, quando à Christianis ad significandum Deum vivum & verum adhibetur; id quod de vocibus *Xangti* & *Tien*, ob communem earum apud Literatos cæterosque Sinas significationem, dici nequit, ut supra demonstratum est.

Libellus.

49. Quod spectat quidem ad vocem *Xangti*, quæ dici potest respondere nostris his voci-

vocibus (Rex Regum Dominus Dominantium) tam multæ ſunt, Pater Sanctiſſime, tamque graves cauſæ hujus apud Sinas non rejiciendæ.

Diſpunctio.

50. Agitur hîc de nomine ſimplici Dei, non de variis epithetis aut verborum circuitionibus, quibus ejus attributa deſcribuntur, quales ſunt, Dominus exercituum, Rex Regum, Dominus Dominantium. Deinde cum à quingentis aut ſexcentis annis vox *Xangti* apud Sinas Literatos ſignificet Cœlum materiale aut efficientem ejus virtutem, quî fieri poteſt ut bene reſpondeat his Scripturæ Sacræ vocibus: Rex Regum, Dominus Dominantium? Denique Patres Societatis meminerint ſuum Procuratorem Generalem in Libello Supplici S. Congregationi haud ita pridem oblato, agnoviſſe merito, rejecto nomine *Xangti*, adoptatam à Chriſtianis longoque uſu confirmatam vocem *Tien chu* ad ſignificandum in China Deum Opt. Max. nihilque in hoc Mandati Reverendiſſimi Domini Maigrot capite reprehendendum reperiſſe.

Libellus.

51. Sicut autem urgemus hæreticos auctoritate Patrum quos probamus nobiſcum ſenſiſſe; ita Sinæ urgent Atheos auctoritate Majorum ſuorum, qui ſub vocibus *Xangti* & *Tien* per duo & amplius annorum millia ſupremum ſe Numen agnoſcere ac colere profeſſi ſunt, non cœlum materiale.

Diſpun-

Dispunctio.

52. Si tam certum esset priscos Sinas per duo & amplius annorum millia sub vocibus *Xangti* & *Tien* verum Deum agnovisse, quam certum est antiquos Ecclesiæ Patres nobiscum circa dogmata ab hodiernis hæreticis controversa, sensisse, recta esset hæc Patrum Societatis ratiocinatio. At Literati, paucis forte exceptis, à quingentis & amplius annis in Confucii Libris aliisque veterum Sinarum commentariis, per *Xangti* & *Tien* nihil aliud quam cœlum materiale intelligunt. Hunc autem esse verum sensum antiquorum Philosophorum Sinensium confirmat Pater Nicolaus Longobardus è Societate celebris Missionarius & linguæ ac Philosophiæ Sinensis peritissimus in Tractatu ea de re edito, quam Longobardi sententiam plerique hodie inter Missionarios, si Jesuitas excipias, sequuntur. Ut omittam quam parum verisimile sit totam Sinarum nationem, per duo & amplius annorum millia, hoc est diu etiam post Christi adventum, veri aut viventis Dei cognitionem retinuisse, eumque rite publicis sacrificiis coluisse. Infirma itaque & parum convincens est ratiocinandi ratio quam hic proponunt Jesuitæ ad confutandos Sinas Atheos.

Libellus.

53. Quid facit Reverendissimus Dominus Maigrot, (dum suo Mandato prohibet Deum vocari à Christianis in China *Tien* & *Xangti*)? Causam adjudicat hodiernis Atheis. Eosdem non in China solum, sed etiam in Europa, quanquam præter intentionem, in

Atheismo

Atheiſmo confirmat, enervato prorſus argumento quod ex communi nationum omnium ſenſu numen aliquod venerantium ductum eſt, non à Chriſtianis tantum ſed & ab Ethnicis.

Diſpunctio.

54. Non propriè Athei dicendi ſunt quotquot inter Sinas per *Tien* & *Xangti* Cœlum materiale intelligunt. Melius vocarentur idololatræ, quemadmodum Perſæ & quidam antiqui Philoſophi, qui ignem, cœlum, vel ſolem, tanquam primum rerum omnium principium, adorabant, qua de re egi in Notis meis ad Obſervationes Sect. 3. Art. 2. numero 215. Sinæ Literati à Reverendiſſimo Domino Maigrot & aliis Athei appellantur, ut diſtinguantur ab utraque alia Secta Magorum & idololatraram propriè dictorum, qui varia habent ſimulachra, & animas hominum immortales eſſe, atque in altera vita præmiis aut pœnis affici, docent. Cæterum cum res ſit facti, quidnam veteres Sinæ de Deo ſenſerint, idque pendeat ab eorum Hiſtoriis ac priſcorum Auctorum Sinenſium intelligentia, non videtur eſſe utile aut conveniens Miniſtris Evangelii de hoc contendere, neque in præconcepta ab ipſis opinione, quæ forte falſa eſſe comperietur, ſpem ac fructum ſuæ prædicationis collocare.

Libellus.

55. Videtur ergo, Pater Sanctiſſime, non utile modo ſed neceſſarium quoque eſſe ad Religionis Chriſtianæ incrementum, ad confuſionem & converſionem Atheorum, ad corroborandam Neophytorum fidem, ut Chri-

ſtiani qui Deum in China *Tien chu*, ut plurimum nuncupant, juxta uſum veterem à Miſſionariis inductum, palam quoque ac publice, occaſione data pergant ibidem *Tien* nuncupare, probareque contra Atheos *Tien* antiquorum & noſtrorum *Tien chu* eſſe prorſus eundem cœli, terræque Dominum ac Imperatorem.

Diſpunctio.

56. Cum certum ſit, fatentibus Jeſuitis, totam Literatorum Sectam à quingentis & amplius annis in China nihil aliud intellexiſſe per *Tien* niſi Cœlum materiale; non utile aut neceſſarium religioni Chriſtianæ, ſed potius incommodum & noxium eſſet, ſtatuere ut vox illa ad ſignificandum Deum uſurparetur, de quo videſis Notas in Obſervationes Sect. 3. Art. 4. numero 221. & Art. 5. numero 225. Quid ſi addas valdè incertum eſſe an antiqui Sinæ per duo & amplius annorum millia veri Dei notitiam habuerint? certiuſque videri eos tantum per *Tien* & *Xangti* cœlum materiale vimque ejus efficientem intellexiſſe; num adhuc inſtandum erit, ut Chriſtiani Deum, in China non ſolum *Tien chu*, ſed etiam *Tien* nuncupent? Num generatim Miſſionariis præſcribendum, ut contra Atheos probent *Tien* antiquorum Sinarum, eundem prorſus eſſe ac *Tien chu* Chriſtianorum, id eſt Deum Opt. Max. cœli terræque Conditorem ac Dominum? Conſtringendi prius eſſent ad ſubſcribendum ſententiæ Patris Riccii, quam communiter hodie PP. Societatis ſequuntur, & quam hîc videmus ab iis tanquam utilem, imò

imò & necessariam ad propagandam fidem Christianam & extirpandum Atheismum, commendari. At ponamus Reverendissimum Dominum Maigrot aliosque plures Missionarios ex studio & lectione Librorum Sinicorum, Patri Longobardo assentiri, totumque illud Patris Riccii systema falsum judicare; an etiam hoc casu istud ipsum systema in prædicando Evangelio & confutandis infidelium objectionibus ab eis erit adhibendum? *Notum à sæculo est Domino Opus suum*, nec mendacio nostro ad procurandam Gentilium conversionem indiget Omnipotens.

De Tabellis King Tien Cœlum colito.

Libellus.

57. Obstupuimus, Pater Sanctissime non semel & exhorruimus, cum occasione Mandati Reverendissimi D. Maigrot, & D. Charmot Romæ sparsum audivimus, expositas esse à Jesuitis Sinensibus in suis templis tabulas; *quæ solemnem ex se Atheismi professionem continerent.*

Dispunctio.

58. Quid juvat rem grandioribus hisce verbis exaggerare? Videndum an Reverendissimus D. Maigrot hoc suum de tabellis sic inscriptis, judicium rectè probaverit; de quo æquus Lector ejus Expositionem consulat. Hæc autem verba *quæ solemnem ex se Atheismi professionem continerent*, non ita sunt accipienda quasi Je-

suitæ in exponendo in templis suis has tabellas; Atheismi professionem edere dicantur: sed cum *ex se*, id est ex communi sensu Sectæ Literariæ, cujus caput & princeps est Imperator, cœlum materiale tanquam rerum omnium principium significent, Jesuitæ qui ejusmodi tabulas, quas ab Imperatore propria ejus manu exaratas dono acceperant, in suis templis collocarunt, merito dicuntur, tametsi præter intentionem, contentum in eis Atheismum approbasse.

Libellus.

59. Qui tamen ultimus (Charmot) vix ferre potest responderi à Jesuitis, quod non intelligat statum quæstionis; quod malè ratiocinetur, quod non satis bona fide Jesuitarum textus referat mentemque interpretetur: usque adeo hujusmodi hominibus persuasum est licere sibi omnia contra Jesuitas, nihil Jesuitis licere contra alios.

Dispunctio.

60. Mihi quidem hæc omnia objiciunt Patres Societatis sed nihil horum probant. Nimium sibi sumunt; si in propria causa sibi aliquid dumtaxat asserentibus credi velint. Uter nostrum statum quæstionis de cultibus Confucii & Progenitorum melius intelligat; uter rectius de vocibus *Xangti*, *Tien* & *Tien chu*, & de tabellis *King Tien* ratiocinetur: item an satis veritatem facti circa eosdem cultus Sinenses ex ipsismet Scriptoribus Societatis probaverim, non debent Jesuitæ, sed Eminentissimi Patres judicare. Cæterum Societatis genium & statum parum noverit, qui credat

credat aliquos esse homines quibus persuasum sit sibi contra Jesuitas omnia licere, nihil verò Jesuitis contra alios.

Libellus.

61. Hoc itaque primum dicimus, Pater Sanctissime, notorium esse in tota China per has voces *King Tien* non intelligi à Christianis cœlum materiale.

Dispunctio.

62. Mirum certè videri debet id tam asseveranter à Patribus Societatis coram Summo Pontifice dici: Cum è contra notorium sit unum forte aut alterum è mille Sinis infidelibus scire posse quid Christiana fides de natura divina summe spirituali doceat: reliquos verò tam inter Literatos, quam inter Magos & Bonzios seu idololatras id ignorare: unde facile est eos, ubi audierint tabellas ejusmodi esse in templis Christianorum collocatas, existimare verba illa *King Tien* eodem sensu à Christianis intelligi, quo à Literatis totaque natione Sinensi intelliguntur. De hoc videndus Reverendissimus Dominus Maigrot in sua Expositione.

Libellus.

63. Sicuti Apostolorum tempore notorium erat in iis Regnis ubi promulgatum fuerat Evangelium, per has voces *Deum colito*, non intelligi à Christianis vel Jovem, vel Martem.

Dispunctio.

64. Hæc non rectè dici, cum prorsus diversa sit ratio vocis *Deus*, apud antiquos Gen-

tiles, ut vocis *Tien* apud Sinas, supra demonstratum est numero 46.

Libellus.

65. Si voces illæ duæ *King Tien*, ideo exterminandæ sunt, quia multi sunt inter Sinas Athei, qui materiale Cœlum colunt, ac proinde possent voces illas interpretari de materialis Cœli cultu, neque Missionariis deinceps neque Christianis licebit oculos vel manus, in Cœlum, præsertim orando attollere, psalmos decantare, Scripturam legere quæ clamandum esse ad Cœlum docet.

Dispunctio.

66. Falsa & vana est hæc consequentia; & quæ in hanc rem eodem loco à Patribus Jesuitis dicuntur, Scholasticam Rhetoricam atque amplificationem redolent, nec particularem refutationem merentur.

Libellus.

67. Sane autenticum & solemne hujus rei argumentum est mirabile hoc Edictum quo à paucis annis Imperator &c.

Dispunctio.

68. De hoc Edicto Videsis Notas meas ad Observationes Sect. 4. Art. 3. numero 246. & seqq.

DE

DE
INFORMATIONE
Sanctæ Sedis per Patrem Martinium.

Libellus.

69. Dixi præcipitis; cum ex ipsa Reverendissimi Expositione constet ipsum ad significatam sibi nomine Illustrissimi Archiepiscopi Goani revocationem subiratum Patri Josepho de Monteiro, festinasse sui Mandati promulgationem.

Dispunctio.

70. De his vide supra numero 40.

Libellus.

71. Dixi tardioris: etsi enim debeat nemo talia unquam tentare, si tamen contra jus & fas id vellet Reverendissimus, hunc oportuisset istiusmodi Mandatum promulgare ante revocationem, cum novus ille titulus nullitatis, dum cæteris adjungitur, parum juvet ejus consilia.

Dispunctio.

72. Non verentur hîc Patres Societatis prætensam Reverendissimi Domini Maigrot revocationem, quam ipsimet contra omne jus & fas & per summum Apostolicæ Sedis contemptum ab Archiepiscopo Goano emendicarant, iterum commemorare, tantumque ei pondus tribuere, ut hoc titulo nullam fuisse

Mandati Maigrotiani promulgationem confirment, non advertentes, in hoc se Pontificia Decreta violare, & in censurarum laqueos, de quibus ante dictum est, incurrere.

Libellus.

73. Quod non semel à privatis fortè quibusdam sat parum instructis vel Jesuitarum æmulis audierat, Sanctam Sedem à Patre Martinio fuisse olim malè informatam.

Dispunctio.

74. Quasi verò Reverendissimus Dominus Maigrot post decem annos in China completos, linguæ Sinensis peritus & rituum ac ceremoniarum Sinensium scientia instructus, necesse habuisset privatos aliquos de his parum instructos consulere, ut omnibus in Sina degentibus notam Patris Martinii subreptionem cognosceret.

Libellus.

75. Liceat nobis tueri Martinii innocentiam, cujus morum integritati visus est Deus ipse attestari per integritatem corporis.

Dispunctio.

76. Quam inutilis ac parum firma sit hæc ratio quam Patres Societatis afferre non cessant, jam expendi in Notis ad Observationes Sect. 1. Art. 10. numero 152. 153.

Libellus.

77. Fuitque semper constans sententia cæterorum non modo è Societate sed etiam ex Sacro Sancti Dominici Ordine Missionariorum.

Dispun-

Dispunctio.

78. Si constans fuit sententia Missionariorum etiam ex Sacro Ordine Sancti Dominici, à Patre Martinio rectè ac plenè informatam fuisse Sanctam Sedem, quid est cur celeberrimi ex eodem Ordine Missionarii, Pater Joannes Polanco anno 1669. & Pater Dominicus Navarretta anno 1674. Romam venerunt, & tum suo, tum aliorum ejusdem Ordinis Missionariorum nomine S. Congregationi Sancti Officii pro explicatione Decreti à Martinio obtenti supplicarunt, variaque dubia circa cultus Confucii & Progenitorum aliosque ritus proposuerunt? Certè hinc patet plerosque Missionarios, præsertim ex Sacro Ordine Prædicatorum expositionem à Patre Martinio factam non approbasse.

Libellus.

79. Quod supponit Reverendissimus valdè injuriosum est non solum Patri Martinio, sed etiam S. Congregationi & Apostolicæ Sedi.

Dispunctio.

80. Si sola expositione facti circa cultus Sinenses, quam ipsimet Jesuitæ non inficiantur, certa & manifesta fit subreptio Patris Martinii, non injuriam eidem Sanctæ Sedi facit, sed potius ejus honori & dignitati consulit, qui subreptitium Decretum revocari procurat. Ridiculum est hoc casu honorem Martinii cum honore Sedis Apostolicæ conjungere, quasi intacta Sede Apostolica, peccatum istius Jesuitæ corrigi non posset.

Libellus.

81. Priusquam ergo hæc (S. Congregatio) constitueret Decretum alterum in nonnullis primo derogans,

Dispunctio.

82. Falsum est per Decretum anni 1656. derogatum fuisse aliquid Decreto anni 1645. Contrarium declaravit S. Congregatio anno 1669. ad postulationem Patris Joannis de Polanco, quam declarationem non ignorant Patres Societatis; unde etiam in superiori Scripto Residualium Observationum aiunt, congueri Patrem *Le Tellier* falsò sibi à me impositum, quod in suo libro dixisset per Decretum Alexandri VII. derogatum esse Innocentiano, cui objectioni respondi in Notationibus meis numero 60. At nunc ipsimet Jesuitæ id apertè dicere in scripto Summo Pontifici oblato non verentur, quod me falsò Patri Tellier objecisse conquesti sunt.

Libellus.

83. Cumque non silerent qui Jesuitis sunt contrarii (constat) debuisse Martinium objecta solvere toto hoc tempore quo Romæ commoratus est.

Dispunctio.

84. Hæc gratis dicuntur. Nullus tunc Romæ aderat Missionarius Sinensis, qui Patri Martinio contradiceret; nemo ex Ordine Prædicatorum aut ex Ordine Sancti Francisci huic causæ intervenit, nemo ex adversa parte objectiones contra Martinii quæsita proposuit. Certè de his altum in ipso Decreto silentium. Sin verò hæc ex Regestis Sancti Officii, aut

aliis

aliis documentis probare possunt Patres Societatis, bene habet. At non æquum postulant, si ipsis solis hæc & alia similia declarantibus fidem adhiberi velint.

Libellus.

85. Addo paucis illis opponi à nobis posse multos atque eruditos ex eodem Sacro Dominicanorum Ordine Missionarios & Theologos.

Dispunctio.

86. Multi illi Dominicani quos per se citant Patres Societatis duo aut tres sunt, ut jam sæpe observavi, quorum etiam longè minor est auctoritas, quam ut eorum testimonio debeat hæc controversia terminari. Porrò cæteri Dominicani, qui à Jesuitis allegantur, non pro ipsis, sed contra ipsos faciunt, ut demonstratum est in Notis meis Sect, 1. Art. 7. & 8.

Libellus.

87. Sed quidni pro Martinio, cum tot tamque doctis Dominicanis pugnantes prodibunt quoque plures quam sexaginta Jesuitæ, quorum multi vixerunt in China 20. 30. 40. atque 50. annos?

Dispunctio.

88. Si vera est descriptio cultuum Sinensium, quam in principio Notarum mearum proposui Sect. 1. Art. 2. luce meridiana clarius est in Martinii expositione multa esse magni momenti suppressa, ac præter veritatem dicta. At veram esse meam illam descriptionem cultuum Sinensium tacite fatentur ipsimet Jesuitæ, dum nusquam illam in scriptis suis,

ſuis, niſi fortè aliquando ex obliquo, impugnant. Quid juvat itaque in re facti & quæ jam ſola lectione probari poteſt, aliquot Dominicanorum & pluſquam ſexaginta Jeſuitarum auctoritatem proferre, & quidem ut ſolum per conſequentias inferatur, eos expoſitionem à Patre Martinio factam approbare?

De Ritibus Sinenſium erga

Confucium & Progenitores mortuos.

Libellus.

89. Id in iſto negotio perjucundum nobis accidit, Pater Sanctiſſime, quod Societatis cauſa non poſſit ab Apoſtolicæ Sedis cauſa ſejungi, ita ut Societatem vincere neceſſe ſit, ſi probemus non modo non erraſſe S. Sedem, &c.

Diſpunctio.

90. Vana ſpe ſibimet ipſis illudunt Patres Jeſuitæ. Nihil in hoc negotio Apoſtolicæ Sedi cum Societate commune. Non erravit Apoſtolica Sedes in jure; circa factum falſa Martinii expoſitione decepta eſt. Itaque elucidata jam veritate, Decretum Alexandri VII. ob ſubreptionem, in irritum mitti, Innocentianum verò executioni mandari debet; ſicque ſalva & intacta Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Patrum Societatis circa cultus Sinenſes opinio & praxis abſolutè damnabitur.

Li-

Libellus.

91. Sic thus adolere, accendere cereos; odores comburere & alia hujusmodi, quæ religiosi cultus pars erant olim Romæ apud Paganos; spectant in China ad cultum mere civilem & politicum. Hospiti enim, Amico, Gubernatori, Mandarino, domum, in Urbem, in Provinciam advenienti thus adoletur, accenduntur cerei, odores comburuntur &c.

Disjunctio.

92. Nego & pernego in adventu hospitis, amici, Gubernatoris, Mandarini, apud Sinas ea fieri, quæ in oblationibus Confucii & Progenitorum peraguntur. Legantur capitula de Urbanitate & moribus Sinarum apud Patrem Alvarum Semedo Part. 1. Cap. 12. apud Patrem Trigautium Libro 1. Cap. 7. Patrem Magallensem Cap. 6. Illustrissimum Navarrettam Tom. 1. Tract. 2. Cap. 6. pag. 69. & nihil tale reperietur. Hoc etiam tanquam oculatus testis dejerare possim. Multos Sinas salutandi causa adivi, præsertim iter faciens cum Patre Bouvet Jesuita, quem ex aula Pekinensi redeuntem magno honore in singulis locis excipiebant; at nusquam vidi cereos nobis accendi, & thus vel odoramenta cremari; multo minus caput capræ aut porci solemniter offerri, poculum vini sublatum in altum libari; pannos sericos comburi; & cætera quæ in solemnibus oblationibus Confucii & Progenitorum peraguntur. Deinde ex circumstantia loci, Ministrorum, tabellæ quæ inscribitur; *Locus* & *Sedes animæ*, ex præmissis jejunis,

niis, abſtinentia conjugali, ſortitione Victimarum precibus, cæteriſque adjunctis ſingula illa ad cultum Sacrum ac religioſum determinantur. Poſtremo cum pleraque illa eodem ritu peragantur in oblationibus tum Confucii & Progenitorum, tum idoli *Chin hoan*, ſeu genii tutelaris cujuſque civitatis; quis unquam in animum inducat ceremonias iſtas erga idolum *Chin hoan* eſſe ſacras & religioſas; quod omnes fatentur; erga Confucium verò & Progenitores eſſe mere civiles & politicas?

Libellus.

93. Alii ſunt Literati, & hi dividuntur in Atheos & Deïſtas.

Diſpunctio.

94. Aliquot eſſe ex Literatis infidelibus præſertim in Aula Pekinenſi, qui aliquam veri Dei notitiam habeant, nolim negare: ſed id non impedit quominus totum fere Literatorum corpus in ea doctrinâ, quæ ſaltem à quingentis annis inter eos recepta eſt, permanſerit, nihil aliud per Cœlum & *Xangti* intelligens niſi cœlum materiale vel efficientem ejus virtutem, quam *Li* ſeu *Tai Kie* appellant. Unde hæc diviſio Literatorum in Atheos & Deïſtas eſt nova & imaginaria.

Libellus.

95. Non igitur fruſtra inſudarunt Miſſionarii per 30. & 40. annos, ut fierent idonei ad hanc facti quæſtionem ſapienter decidendam.

Diſpunctio.

96. Fruſtra inſudant Patres Societatis ut perſuadeant quæſtionem, an cultus Confucii & Progenitorum liciti ſint vel illiciti Chriſtianis,

nis,

nis, esse quæstionem facti. Quæstio facti in hac materia, est cum quæritur quid in cultibus illis peragatur, ut jam sæpè dictum est: At quæstio juris est an tales & tales ritus, qui hoc vel illo modo peraguntur, sint liciti vel illiciti Christianis.

Libellus.

97. Veniant in Europam duo Sinenses vel externi idololatræ. Vident sacras imagines &c.

Dispunctio.

98. Hoc exemplum ex Sacris imaginibus sumptum, ductamque inde consequentiam esse merum Sophisma demonstravi in Notis ad Observationes Sect. 1. Cap. 10. numero 124. & seqq.

Libellus.

99. Inde constat, Pater Sanctissime, quam parum fidei mereantur hîc Romæ qui tales non sunt, ut pote novi in China, & in Sinensium literis plus adhuc Neoterici.

Dispunctio.

100. An igitur novus in China Reverendissimus Dominus Maigrot qui nono commorationis anno Mandatum suum promulgavit, & fere jam decimum quartum in ea explevit? An in Sinensium literis Neotericus, qui toto illo tempore eas indefesso studio didicit, & duos Catechismos non parum laudatos Sinica lingua composuit? Idem quæri potest de Patre Francisco Varo Ordinis Prædicatorum qui per 40. & amplius annos in China vixit, & literarum Sinicarum studiosissimus fuit. Idem de Patre Joanne Bapt. Morali ejusdem Ordi-

nis

dinis qui per longum tempus in China commoratus in eam Roma redux Catechismum Sinico sermone edidit. Idem de pluribus aliis, nisi forte solis Jesuitis datum sit esse doctis & Sinicarum literarum peritis.

Libellus.

101. Septimo, illos non fuisse solum è Societate Viros, sed ex aliis quoque Ordinibus, maximeque Sancti Dominici & Sancti Francisci, nonnullosque Episcopos & in dignitate constitutos.

Dispunctio.

102. Ne his verbis Lectores fallantur, iterum hîc monendi sunt tres solum esse Dominicanos, qui in hac controversia Jesuitis faverint; Patrem Dominicum Sarpetri, Patrem Gregorium Lopez, & Patrem Joannem de Paz; ex quibus solus Lopez fuit Episcopus, Pater vero de Paz Manilæ fuit Lector Theologiæ in Conventu Dominicanorum & Chinam nunquam intravit.

Libellus.

103. Sed ritus quibus coluntur esse mere civiles & politicos.

Dispunctio.

104. Non sic loquitur Martinius in sua expositione, ubi fatetur in ejusmodi cultibus multa superstitiosa peragi à Sinis infidelibus; unde in Responso S. Congregationis habetur, „ posse tolerari Sinas conversos adhibere di-
„ ctas ceremonias erga suos defunctos etiam
„ cum gentilibus, sublatis tamen superstitio-
„ sis; posse etiam assistere tantum cum genti-
„ libus, quando agunt superstitiosa, præser-
„ tim

„ tim facta fidei protestatione &c. Malè igitur tot ille viri, quos citant Jesuitæ definierunt, ritus, quibus Confucius & Progenitores coluntur à Sinis *esse mere civiles & politicos.*

Libellus.

105. Diximus quinque hos rituum examinatores non eruditos modo fuisse in Sinicis literis Theologicisque disciplinis, sed etiam pios multos ex illis Christi Confessores.

Dispunctio.

106. Supponit Auctor Libelli jam à principio Missionis Sinicæ, usque ad hanc ætatem, omnes Missionarios Jesuitas in eadem sententia fuisse circa cultus Confucii & Progenitorum, tanquam mere civiles & politicos. At multo verisimilius est, initio Missionis ac longo post tempore, Missionarios Societatis ejusmodi cultus Neophytis suis interdixisse, uti alias docui, donec re delata ad Theologos Collegii Romani, ex probabilitatis regulis responsum est cultus illos posse tolerari, ne fidei propagatio impediretur: quam postea sententiam omnes Jesuitæ, si paucos excipias, secuti sunt, non amplius sibi liberum putantes eam examinare aut repudiare, postquam fuerat à Superioribus Societatis Romæ residentibus approbata & adoptata.

Libellus.

107. Qui primus omnium pro Sinis Missionariis Apologiam conscripsit Didacus de Morales gloriosam mortem cum Patre Antonio Rubino & tribus aliis pro Christo obiit in Japonia

ponia post incredibiles cruciatus fortissime toleratos.

Dispunctio.

108 De Patre Rubino & tribus aliis nihil oppono. De Didaco Morales Societatis Apologista Illustrissimus Navarretta Tom. 2. Tract. 8. Apologiam ejusdem Moralis confutans; testatur pluribus locis tanquam rem certam & notoriam, quod è Manila in Japoniam profectus, à fide defecerit & uxorem duxerit. Videsis pag. 421. 465. 366.

Libellus.

109. Diximus ergo septimo Jesuitarum sententiæ circa politicos Sinensium ritus adhæsisse multos ex Sacro Dominicanorum Ordine doctos, pios & graves viros.

Dispunctio.

110. De singulis Dominicanis qui hic à Patribus Societatis citantur, videsis Notas meas in Observationes Sect. 1. Art. 7. & 8.

Libellus.

111. Cui tandem subscripsit post lectam Patris Brancati Apologiam ipse Pater Navarretta ex commissione Provincialis sui, ut narrat Pater Sarpetri qui aderat.

Dispunctio.

112. Falsam esse hanc Illustrissimi Navarrettæ subscriptionem, falsam quoque epistolam quam dicitur ea de re ad Patrem Antonium Goveam Jesuitam scripsisse, pluribus ostendi in Notis meis Sect. 1. Art. 9. numero 117. & in Notationibus ad Observationes Residuales numero 96.

Li-

Libellus.

113. De quo (Pat. Sarpetri) non ita pridem ſcriptum eſt adhuc è China virum fuiſſe non ſolum Theologicis & Sinicis ſcientiis in primis excultum, ſed omni Chriſtianarum & religioſarum virtutum genere ornatiſſimum.

Diſpunctio.

114. De Patre Sarpetri videri poſſunt Notæ meæ Sect. 1. Art. 7. numero 77.

Libellus.

115. Suſpicati ſumus, Pater Sanctiſſime, juſſum eſſe Dominum Charmot ipſius (Domini Maigrot) Procuratorem eadem quæ in ſua Expoſitione Reverendiſſimus affirmabat, aliqua auctoritate firmare.

Diſpunctio.

116. Cum ſemper diſſimulent Patres Societatis quid reipſa in cultibus Confucii & Progenitorum peragatur, quod probe noverint, id ſi ſemel explicetur, ſtatim ſuperſtitioſos & idololatricos apparere; viſum eſt Eminentiſſimis Patribus ante omnia ſtabiliendam eſſe veritatem facti, prout illam in primo Supplici Libello expoſueram; quod cum ex ipſiſmet Societatis Scriptoribus fieri poſſe oſtendiſſem, id ut facerem mandaverunt Eminentiſſimi Patres, quod & poſtmodum, quantum per anguſtias temporis licuit, me præſtitiſſe confido.

Libellus.

117. Putamus, Sanctiſſime Pater, nihil in ſecundo (Memoriali) de quatuor factis auctoritate Jeſuitarum demonſtrandis demonſtratum eſſe, præter illud quod nempe Domi-

nus Charmot non minus in citandis Auctorum textibus contra bonam fidem peccarit, quam contra reverentiam Eminentissimis Patribus & Apostolicæ Sedi debitam.

Dispunctio.

118. Facilius hæc dicuntur quam probantur. Responsum Patrum Societatis ad meum Memoriale inscriptum, *Veritas facti*, in Notationibus ad Observationes Residuales Part. 2. numero 125. & seqq. confutavi, & allatas à me Scriptorum Societatis auctoritates ad probandam quadruplicis facti veritatem ab objectionibus vel potius cavillationibus Observatoris plene, ut spero, vindicavi.

Libellus.

119. Arbitramur quoque, Pater Sanctissime, sufficienter nos probasse tam levem esse tum ipsius Navarrettæ, tum citatorum ab illo Reverendi Patris Joannis Baptistæ de Morales Dominicani, R. P. Antonii à Sancta Maria Franciscani, Patris Longobardi Jesuitæ, atque Patris Roboredo ex-Jesuitæ, tam levem, inquam, esse illorum in præsenti negotio auctoritatem, ut, si comparentur cum auctoritate contraria, prorsus evanescat.

Dispunctio.

120. Nemini unquam persuadebunt Reverendi PP. Societatis levem esse Illustrissimi Navarrettæ, aliorumque, quos hîc commemorant, auctoritatem, etiam ubi de jure ageretur, hoc est an cultus Confucii & Progenitorum Christianis sint liciti vel illiciti. Quid si de facto propriè quæratur, an videlicet hoc vel istud, hoc vel illo modo in ejusmodi

modi cultibus peragatur? Nonne in ore duorum vel trium hujusmodi testium hocce verbum stare potest? Quid fortius testimonio Patris Roboredo, qui Apologiam pro Societate scribens, veritatem facti agnoscit? Certè illam similiter saltem indirectè agnoscunt 80. illi Jesuitæ, & pauci Dominicani, quos opponunt Patres Societatis; quandoquidem, supposita veritate facti, tametsi nusquam illam clare explicent, solum jus attingunt, ex Probabilismi regulis contendentes probabile esse vel etiam probabilius ejusmodi cultus Christianis permitti posse.

Libellus.

121. Qui (Pater Longobardus) etsi fuerit insignis Missionarius, quia tamen non insignis Theologus, utpotè ex hoc capite ne Professi quidem gradum apud nos adeptus, parum habet ponderis ejus auctoritas.

Dispunctio.

122. Hinc inferas insignes esse Theologos, quotquot in Societate ad quatuor votorum professionem admittuntur. Cæterum de Patre Longobardo testatur Sotuelus in Bibliotheca Scriptorum Societatis eum ad Professorum gradum promotum fuisse his verbis; „ Crescentibus in dies viri Apostolici meritis & „ accedente peritia insigni linguæ Sinensis, „ jussus est à Præposito Generali Mutio Vitellesco vota quatuor solemnia emittere, & „ gradum Professorum capessere.

Libellus.

123. Unum citat Reverendum Patrem Lu-

 cam

cam Thomas, qui fatetur ſe tam rudem in Sinicis.

Diſpunctio.

124. Huic objectioni de Reverendo Patre Luca Thomas reſpondi in Notationibus ad Obſervationes Reſiduales numero 114.

Libellus.

125. Concluſimus, inquam, nullum remanere poſſe prudentem ſcrupulum Miſſionariis, qui ſunt ſanæ mentis & ſolidæ.

Diſpunctio.

126. Imprudentes, ſtolidos, inſanos judicant Reverendi PP. quotquot ab ipſis in prædicando infidelibus Evangelio & procuranda Sinarum ſalute diſſentiunt.

Libellus.

127. Jam verò manifeſtum eſt non conſtare quod in vaſto illo Imperio, juxta communem Sinarum fidem ac perſuaſionem numen habeatur Confucius, multoque minus Progenitores mortui.

Diſpunctio.

128. Jam ſæpe obſervatum eſt, cultus Confucii & Progenitorum ſuperſtitione & idololatria non vacare, tametſi Confucius Progenitoreſque mortui apud Sinas Literatos non habeantur ut numina. Quidquid Literati de natura ſpirituum ſentiant, ſuperſtitione & idololatria non caret venerari & colere tabellas hoc modo inſcriptas; *Locus ſeu Sedes ſpiritus Superexcellentiſſimi ac Sanctiſſimi Protomagiſtri Confucii* vel *Locus ſeu Sedes ſpiritus talis & talis defuncti*; quaſi ad eas invitati ſpiritus Confucii & Progenitorum advenirent, iiſque inſi-

insiderent ad recipiendum thuris suffitum, aliarumque rerum oblationes, quas sæpè commemoravi, & quæ eodem prorsus ritu fiunt, atque oblationes & sacrificia quæ offeruntur idolo *Chin hoan* seu tutelaris genii cujusque civitatis, aliisque spiritibus montium, fluminum &c. quæ quidem esse superstitiosa & idololatrica omnes fatentur:

Libellus.

129. Sententia universim tuta appellatur, quæ removet à periculo peccati formalis; materialiter autem quæ à periculo peccati etiam materialis removet; quæ magis removet tutior, quæ minus, minus tuta appellatur.

Dispunctio.

130. Bellæ istæ ac subtiles distinctiones, quas PP. Societatis Supremo Christi Vicario proponunt, nunquam efficient, quin cultus Confucii & Progenitorum, modo clare explicentur, tanquam gravissimo superstitionis atque idololatriæ peccato obnoxii ab Apostolica Sede prohibeantur?

Libellus.

131. Hoc Christi præceptum; (* *Euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ*) non ligavit solos Apostolos, sed Apostolorum quoque Successores, inprimisque Successores Petri, quibus universa Ecclesiæ cura commissa est.

Dispunctio.

132. Hæc verba Christi: *Euntes in universum mundum* &c. quæ citantur ex Cap. 28. Mat-

* *Matth.* 28.

Matthæi, habentur apud Marcum Cap. 16. Sed bene eſt ut quæ brevius à Marco referuntur, per ea quæ leguntur apud Matthæum explicentur. Notat quippe Matthæus Chriſtum, poſtquam ad Apoſtolos ait; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, ſtatim addidiſſe: *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*. Unde præceptum prædicandi Evangelium omni creaturæ & baptiſandi omnes Gentes, Apoſtolos eorumque Succeſſores eâ conditione ligavit, ut baptiſandos tum dogmata fidei, tum etiam quæ ad mores & converſationem vitæ pertinent, edoceant. At inter hæc præcepta quæ ad vitæ converſationem, ſpectant, potiſſimum eſt, ut gentiles ad baptiſmum accedentes omnem idololatriam ac ſuperſtitionem abjiciant, uni Deo vero & vivo in Sanctitate & juſtitia ſervituri.

Libellus.

133. Unde in conſcientia graviſſime tenentur (Miniſtri Evangelii) removere obſtacula, illorum infirmitati condeſcendere, in hoc imitari Apoſtolos, SS. Patres, Sanctos Pontifices, neceſſaria ſolum ab illis exigere, non perfecta quæ modo portare non poſſunt.

Diſpunctio.

134. Non res conſilii ſed præcepti; non perfectum quid, ſed ad ſalutem neceſſarium, ſuperſtitioſis atque idololatricis cultibus renuntiare; fruſtraque ſperes id poſtea Gentiles relicturos, quod eis, cum ad baptiſmum accederent, tanquam licitum permiſeris. Nunquam

quam hujusmodi indulgentiam in admittendis ad baptismum Gentilibus adhibuerunt Apostoli, Sancti Patres, Romani Pontifices.

Libellus.

135. Addimus insuper, Pater Sanctissime, quæ in scriptis nostris Reverendissimo Domino Maigrot & Domino Charmot respondere coacti sumus . . . . debere à nullo intelligi quasi hæc à nobis dicta contra alios ejusdem instituti Missionarios, & multo minus contra illorum Præpositos, quippe quos reveremur, & colimus, scimusque non idem sentire, ac Reverendissimum de Missionariis nostris.

Dispunctio.

136. Quinam sint illi nostri Præpositi, deberent clarius explicare PP. Societatis. Neminem ego novi qui cultus Confucii & Progenitorum prout à me relati sunt in Notis Sect. 1. Art. 2. non damnandos & Christianis prohibendos putet.

Libellus.

137. Imo affirmamus quod verum est, Pater Sanctissime, nos aliud nihil intendisse quam justam & necessariam defensionem, adeo ut si quid contra mentem nostram excidisset quod ad eum finem Sanctitati Vestræ videretur non necessarium, id plane velimus à nobis omissum; parati de cætero & ipsi Reverendissimo Domino Maigrot, & D. Charmot prout in Evangelio Christus Dominus præcipit, ubicumque se offeret occasio, tam in Europa, quam in China, omni obsequiorum genere, in Deo & propter Deum inservire.

Disjunctio.

138. Hac se protestatione in fine hujus scripti indigere senserunt PP. Societatis. Quæ privatim in me dicta sunt, ultro illis condono, modo causam ipsam, quam pro bono religionis ac Missionum defendendam suscepi, obtineam. Idipsum de Reverendissimo Domino Maigrot spondere possum. Satis autem significant Reverendi PP. se nos tanquam inimicos habere, quos tamen, juxta Evangelicum Christi præceptum, diligere & omni obsequiorum genere prosequi parati sint. Sane illud Pauli merito erga eos usurpare posset Reverendissimus Dominus Maigrot: *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Cum eos honorare, omnique officiorum genere sibi conciliare non destiterit. Porro si in privatis litibus à Christiana pietate alienum est, eos, quibuscum litigamus, inimicos nobis existimare; quanto magis id cavendum est Christi Ministris & Evangelii Prædicatoribus in causa publica, quæ ad eorum ministerium & bonum religionis spectat, & de qua Sedis Apostolicæ judicium expectant? Itaque tam meo, quam Reverendissimi Domini Maigrot aliorumque Vicariorum & Missionariorum Apostolicorum Gallorum nomine protestor, nos Reverendos PP. Societatis nequaquam ut inimicos, sed ut Charissimos in Christo fratres & Evangelii Comministros semper habituros.

139. Post exhibita à Patribus Societatis tria Scriptorum volumina, quibus totidem responsiones opposui, spero jam satis totam hanc

hanc causam elucidatâ præsertim & quasi concordatâ inter partes facti quæstione, instructam fore. Unde omni, qua possum, humilitate ac submissione SS. D. N. Innocentio XII. Summo Pontifici, & Eminentissimis Patribus S. Congregationis S. Officii supplico illam brevi terminari, ut Apostolicæ Sedis decisio per naves, quæ proximo mense Januario in Asiam Orientalem vela daturæ sunt, mittatur; quod ni fiat, diu alia occasio expectanda erit: cum tamen Missionum illarum valdè intersit, quantocius scire quid ea in re ab Apostolica Sede judicatum fuerit, præsertim postquam anno præterito pro singulis Chinæ Provinciis designati sunt Episcopi & Vicarii Apostolici, quos non parum juvaret in principio administrationis suæ per Apostolica præcepta circa cultus Sinenses aliaque hujus causæ capita instrui, & in unam sententiam ac praxim convenire.

FINIS.

DE-

DECLARATIO
SEU
MANDATUM
PROVISIONALE

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

CAROLI MAIGROT,

Vicarii Apostolici Fokiensis, nunc Episcopi Cononensis.

CArolus *Maigrot* Sacerdos Vicarius Apostolicus Fokiensis Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Sociusque Sorbonicus, omnibus Vicariatus Nostri Consacerdotibus Salutem in eo qui est omnium vera salus. Ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, appulimus, Nobis semper hæc Vicariorum Apostolicorum solicitudinis præcipua pars visa est, ut diversis quæstionibus, de quibus inter Missionarios jamdiu controvertitur, finem, si fieri posset, afferrent: sin minus regulam Missionariis traderent, quæ donec Apostolica Sedes controversiam dijudicaverit, æquali ab omnibus usu & ratione servaretur. Neque enim, quod sæpius gementes conspeximus,

ximus, ſine magno Eccleſiarum iſtarum detrimento accidit, ut Evangelii Miniſtri in rebus, quæ ad Dei cultum, & idololatriæ extirpationem attinent, inter ſe non conſentiant; ut quod alii ſine idololatriæ labe fieri poſſe non putent, hoc alii Chriſtianos facere permittant, aut etiam ad faciendum adhortentur; utque illi ipſi, qui certos uſus ſuperſtitioſos eſſe arbitrantur, eoſdem pro bono pacis interdum tolerent. Ex qua mali tolerantia, malum radices agere, atque in dies incrementum accipere diuturnâ experientiâ cognovimus.

Et quidem plerique Vicariatus Noſtri Miſſionarii, hanc in quæſtionibus tanti momenti, non ſententiarum modo diſcrepantiam, ſed praxis & uſus diſſimilitudinem tolli magnopere cupientes, noſtram, pro eo, quo indigni fungimur Vicarii Apoſtolici munere, ſententiam ſciſcitati ſunt, ac ne continuis conſcientiæ ſcrupulis & angoribus premerentur, aliquid ſaltem per interim à Nobis decerni ſæpius inſtarunt. Rerum autem gravitas fecit ut non ita citò reſponderimus, atque illi exoptabant. Etſi enim jam à multo tempore bonæ memoriæ Epiſcopi Heliopolitani olim Vicarii Apoſtolici Fokienſis & Sinarum Miſſionum Generalis Adminiſtratoris juſſu, cum ſuas Nobis vices demandaret, his rebus incumberemus; nova tamen & acrior diligentia, poſtquam ad Apoſtolicum Vicariatum à Sanctâ Sede electi fuimus, adhibenda eſſe viſa eſt. Qua in re id vere affirmare poſſumus, nihil à nobis ſponte prætermiſſum fuiſ-

ſe,

ſe, ut ſive ex Sinicis fontibus, ſive ex commentariis hoc in genere Europæo idiomate conſcriptis quoſcumque habere potuerimus; ſive ex eruditorum virorum conſortio, veritatem indagaremus. Et quod omnium maximè neceſſarium eſt, Deum jugi ſacrificio & aſſiduis precibus obſecravimus, ut tenebras noſtras illuminaret, & ſemitas ſuas, quodque placitum & acceptum eſt in oculis ſuis edoceret.

Cum itaque Decretis & Conſtitutionibus Apoſtolicis ſancitum ſit, ad Apoſtolicos Vicarios ſpectare, ut iis quæ ad cultum divinum & bonos mores pertinent intra ſuorum Vicariatuum fines provideant; ut hac in parte officio noſtro faciamus ſatis, omnibus & ſingulis Vicariatus noſtri Miſſionariis obſervanda præcipimus quæ ſequuntur, donec aliter ab Apoſtolica Sede decretum fuerit.

I. Excluſis nominibus Europæis, quæ nonniſi barbaro quodam modo Sinicis literis & vocibus exprimi poſſunt, Deum Optimum Maximum longo uſu recepto nomine *Tien chu*, *Cœli Dominum* appellandum eſſe ſtatuimus. Ita ut duæ aliæ Sinicæ voces *Tien Cœlum*, & *Xangti Supremus Imperator*, prorſus repellantur; multo minus affirmetur id, quod Sinæ præfatis nominibus *Tien* & *Xangti* intelligunt, Deum eſſe, quem Chriſtiani colimus.

II. Diſtrictè prohibemus, ne in ulla Eccleſia, tabella quædam, cui hæ duæ literæ *Cœlum colito*, *King Tien* inſcriptæ ſunt, appendatur, & ubicumque appenſa fuerit, intra

duos

duos menses auferri mandamus, cum aliis ejusdem sensus tabellis & versibus, in quibus nomina *Tien* & *Xangti* Deo affinguntur; ac nostro quidem judicio, cum omnes illæ tabellæ, tum ea in primis, quæ literas *King Tien* continet, ab idololatria excusari non possunt. Tametsi verò non ita certa res esset, ac nobis videtur; vel ipsa periculi suspicio, ne ab Evangelii Ministris abominatio desolationis in loco sacro collocetur, nos ab ejusmodi tabelliis deterrere debet: maximè cum experientiâ nobis constet eos Vicariatus nostri Missionarios, quorum in Ecclesiis illæ tabellæ non habentur, nihilo ad Evangelium prædicandum imparatiores esse, nec minorem quam alii laborum suorum fructum percipere.

III. Quæsita super capitibus inter hujusce Missionis Operarios controversis Summo Pontifici Alexandro VII. proposita, multis in rebus, non esse veridica declaramus; ac proinde Missionarios responsis ab Apostolica Sede rectè quidem & sapienter, ac juxta circumstantias in dubiis expressas datis inniti non posse, ad usitatum apud Sinas Confucii & Progenitorum cultum permittendum.

IV. Missionarii nullatenus, nullaque de causa Christianis permittant solemnibus, quæ semel & iterum, singulis annis Confucio & Progenitoribus offerri solent, sacrificiis seu oblationibus præesse, ministrare aut interesse, quas oblationes superstitione imbutas esse declaramus.

V. Missionarios, qui in locis, ubi Evan-

vangelio operam navant Tabellarum in Defunctorum honorem, privatis in domibus erectarum usum abolere studuerunt; magnopere laudamus; atque ut eo, quo cœperunt pede, in posterum pergant, adhortamur. Ubi verò hunc usum tollere difficilius erit, ad hoc saltem res temperamentum revocetur, ut sublatis literis *Xin chu*, *Xin Goei*, *Ling Goei*, solummodo defuncti nomen Tabellæ inscribatur, aut ad summum litera *Goei* superaddatur: ac ne ejusmodi Tabella, quam in prædicta forma, donec Apostolica Sedes de re ipsa judicaverit, non omnino reprobamus; superstitiose accipiatur; in loco ubi tabellæ privatis in domibus erigi solent, scripta majoribus characteribus declaratio apponatur; in qua, & quæ sit Christianorum de Defunctis fides, & qualis filiorum ac nepotum in Progenitores pietas esse debeat, enuntietur; cujus declarationis formam, ad hujus Mandati calcem tradidimus: Neque tamen prohibemus aliam ejusdem sensus apponi, si modo prius à nobis approbata fuerit.

VI. Cum nonnulla seu verbo seu scripto evulgari animadverterimus, quæ incautos in errorem inducunt, & viam ad superstitionem patefaciunt verbi gratia:

Philosophiam quam Sinæ profitentur, si bene intelligatur, nihil habere Legi Christianæ contrarium.

Nomine *Tay Kie* sapientissimos Priscos Deum causam primam rerum omnium definire voluisse.

Cultum quem Confucius spiritibus adhibuit,

buit, civilem potius, quam religiosum fuisse.

Librum quem Sinæ *Ie King* appellant, summam esse optimæ doctrinæ Physicæ & Moralis.

Hæc & similia uti falsò, temerè & scandalosè dicta, scriptave, districtè inhibemus, ne in toto Vicariatu nostro disseminentur.

VII. Caveant Missionarii, ne qui Christiani Sinicos libros in Scholis legunt, Atheismum & diversas superstitiones, quibus illi libri tam in textu, quam in commentariis, scatent, in Auditorum animos infundant; sed illos Missionarii admoneant, ut obvios errores refutent, & errorum occasione, quæ de Deo, de mundi creatione & gubernatione Christiana Religio tradit, discipulos diligenter edoceant; atque eosdem Christianos Missionarii frequenter commonefaciant, ne, quod facilè contingit, suis in Scriptionibus, aliquid è Scholæ Literariæ principiis Legi Christianæ contrarium admisceant.

Sunt & aliæ quæstiones, quas hac vice nondum attingimus, quia cum memoratis capitibus, quæ præcipua sunt, & è quibus alia magna ex parte dependent, provisum fuerit, facilius erit, quid in cæteris tenendum sit præscribere & in usum inducere.

Si quis autem Missionarius, quod absit, nulla habita hujus Declarationis & Mandati ratione, intra duos menses memoratas tabellas & versus, ab Ecclesiis suis, aut domibus non auferat, aut intra præfatum tempus, ma-

num operi non adhibeat, ut quas præscribimus regulas in usum & morem inducat; concessas à Nobis aut à quocumque alio Vicario & Provicario Apostolico facultates per præsentes revocamus; ac pro tempore præfato, revocatas esse declaramus.

Neque tamen hac præsenti Declaratione & Mandato eos culpare intendimus, qui aliter antea censuerunt, aliamve praxim sequuti sunt, ab ea, quam in posterum sequendam esse statuimus. Mirum enim videri non debet, si in rebus hujusmodi, Missionarii omnes, unius ejusdemque sententiæ non fuerint, & eam unusquisque praxim amplexus sit, quæ sibi in Domino magis veritati consona videbatur. Nunc verò in hoc omnes studia nostra conferamus, ut idem sapiamus; ut unanimes uno ore exhibeamus istam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, sed ut sit sancta & immaculata, ac Deus pacis & dilectionis erit nobiscum. Datum in Oppido *Chang Lo* Provinciæ Fokiensis die vigesima sexta mensis Martii anni Domini 1693.

CAROLUS MAIGROT, *Presbyter.*

Vicarius Apostolicus Fokiensis.

Ejusdem

HISTORIA CULTUS SINENSIUM,

SEU

VARIA SCRIPTA

De Cultibus Sinarum, inter Vicarios Apostolicos Gallos aliosque Missionarios, & Patres Societatis Jesu controversis,

OBLATA

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO

Et Sacræ Congregationi Eminentissimorum Cardinalium dirimendæ huic Causæ præpositorum:

Adjuncta Appendice Scriptorum Patrum Societatis Jesu de eadem Controversia.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Matth. IV. 10.

PARS SECUNDA.

COLONIÆ,

M. DCC.

AVIS
AUX RELIEURS.

COmme ce Livre eſt devenu plus gros qu'on n'avoit crû au commencement, nous étant venu quelques pieces pour y inſerer, on donne ici un ſecond titre pour ceux qui voudront le faire relier en deux petits Volumes, lequel ſe pourra placer entre la page 338. & 339.

Ejusdem Reverendissimi Domini

CAROLI MAIGROT,

De facta pro Fokiensi Vicariatu circa nonnullos Sinicos usus declaratione.

Brevis rei totius Expositio.

QUæ de facta pro Fokiensi Vicariatu circa nonnullos Sinicos usus Declaratione dicturus sum, ut clariora planioraque sint, ad quatuor articulos revoco. Dicam primò quânam occasione, & quonam modo negotium aggressus & prosequutus sim. 2. Aliquas, quibus innixus sum, ad ea de quibus agitur decernenda, rationes & momenta proponam. 3. Nonnulla elucidabo, quæ mihi, ut puto, à Patribus Societatis ad negotium evertendum, opponentur. 4. Demum referam quem res successum habuerit, & quo jam in loco sit.

Quod spectat ad primum articulum, inter alias quæ se obtulerunt his de rebus agendi, occasiones, hæ præcipuæ fuerunt. Duo è diversis hujus Provinciæ locis, Missionarii me in Metropolim iisdem de rebus acturi convenerunt. De illorum altero apud me per literas Christianus quidam conquestus fuerat, quod eum ad Sacramenta admittere nollet, eo quod certos libros Sinicos in scholis le-

geret, quos erroribus & superstitionibus refertos esse Missionarius asserebat. Missionarium illum qui est ex Ordine Sancti Dominici, re cum Reverendo Patre Viceprovinciali, qui hac in Provincia degebat, communicatâ, rogavi ut in Metropolim veniret, ut coram eo de re tractaremus.

Uno circiter post mense, ineunte scilicet anno 1692. alius ex Ordine Sancti Francisci me suo & Socii nomine convenit, & quibus ambo conscientiæ angoribus premerentur, exposuit: petiit ut si illos in Provincia Evangelio operam dare vellem, eorum dubiis juridice responderem; sin minus dicebat se & Socium Maniliam statim reversuros. Cur autem eo potissimum tempore, Patres Franciscani ad me recurrerent, in causa erat, quod fere ad hoc usque tempus Vicarii Apostolici jurisdictioni, hac saltem in Provincia, se submittere noluerant.

Cum res quas illi Missionarii proponebant, ad omnes spectarent, priusquam juridicè responderem, cum omnibus, qui sunt in meo Vicariatu, de iis agere desiderabam. Quare ea quidem illis duobus Missionariis consilia dedi, quæ mihi rei & tempori congruere visa sunt; at responsionem juridicam in aliud tempus distuli; pollicitus interim me omni ope curaturum, ut aliquid statueretur. Alia & quidem cum Patribus Societatis eodem ferme tempore, de rebus illis agendi occasio se præbuit. Paucis annis antequam Vicarii Apostolici in Chinam accederent, in quadam capella ad Christianorum sepulturam erecta,

Reveren-

Reverendi Patris Viceprovincialis juſſu duæ defunctorum Tabellæ, de quibus inter Miſſionarios controvertitur, collocatæ fuerant, & capellæ fronti, ea, quæ apud Sinas in defunctorum templis deſcribi ſolet, litera fuerat inſcripta, ita ut Progenitorum templis ea Chriſtianorum capella ſatis ſimilis videretur: quod non alia ratione factum fuiſſe apparet, quam ut Patrum Societatis ſententia firmaretur. Tantum enim abeſt, ut ullum ex eo commodum afferretur, ut Chriſtiani Gentilium ludibrio eâ de cauſa exponerentur. Siquidem cum idem eſſet, qui in Sinarum defunctorum templis ſuperſtitionis metus, graviter contra Sinicos ritus peccaretur.

Jam illud animadverteram, parumque mihi Religionis decori conſentaneum videbatur, ut quæ tabellæ ſuperſtitionis ſaltem ſuſpectæ ſunt, etſi in Neophytis diſſimulari potuiſſent, ab ipſis Sacerdotibus in Chriſtianorum capellam inducerentur: occaſionem verò captabam, ut pacifice & cum bona Societatis venia, quæ hanc ſibi Capellam vindicabat, tabellas auferri curarem.

Contigit ut Capella reſarciretur, cumque præter ea, quæ commemoravi, tabellarum inſcriptio rudis eſſet & impolita R. Pater Joſephus Monteiro, qui in hac Metropoli commoratur, cuidam Sinæ curam dedit, ut in meliorem formam reduceretur. Novas Sina Tabellarum inſcriptiones ſtyli quidem elegantioris, ſed aliunde prioribus paulo deteriores compoſuit: altera enim tabella generatim omnibus Chriſtianis, altera ipſis Sacerdotibus

tibus nuncupabatur; ita ut Sacerdotes, qui ab omni ſpecie mali abſtinere debent, in eam poſt mortem ſuperſtitionem impingere viderentur.

Mihi Sina ille amicus erat in primis, mihique Reverendi Patris conſilium aperuit, & quas compoſuerat tabellarum inſcriptiones exhibuit; putabat enim, ut illæ mihi propter ſermonis elegantiam valdè probarentur. Sua illum ſpes fefellit: illi quippe reſpondi probare me non poſſe, ut res hujuſmodi, quæ ad minus ſuperſtitionis ſuſpectæ ſunt, & de quibus tantopere inter Miſſionarios controvertebatur, in Chriſtianorum Capella collocarentur; atque illum, ni fallor, convici nullatenus convenire, ut tabellis illis, noſtris ſaltem in Eccleſiis, uteremur. Ea de re ad Reverend. Patrem Joſephum Monteiro ſcripſi; eundem rogavi, ut quandoquidem Capella reficeretur, Tabellæ, & titulus Capellæ auferrentur. Credidit ille me Societatis opinionem damnare velle, meque per literas rogavit ut nihil immutaretur, donec Superiores Societatis monerentur. Eum deinde conveni, dixique mihi in animo non eſſe ut Societatis opinionem attingerem; ſed quidquid de illa ſit, credere me, quod ſaltem noſtris in Eccleſiis, iis tabellis abſtinere oporteat. Poſt multa ultro citroque humaniter, & amice dicta, Reverendo Patri propoſui, ut quandoquidem id deſideraret, Capellæ titulus, eo quo erat modo, remaneret, donec res illa cum Patribus Societatis tractaretur: at tabellæ cum jam amotæ eſſent, nec res proinde

eſſet

esset in integro, non restituerentur, neque novæ quæ paratæ erant, collocarentur. Voluit præterea, ut illi in scriptis darem, non intendere me ea Tabellarum amotione Societatis praxim & sententiam proscribere, quod promisi me facturum: ille verò pollicitus est se intra tres menses à Societatis Superioribus obtenturum, ut mihi Societatis sententiæ fundamenta exhiberentur. Quare die sequenti hanc illi epistolam scripsi:

„ Pergratum mihi Reverentia Vestra fecit, „ cum suam mihi super tabellis, de quibus a- „ gebamus, mentem & desiderium aperuit; „ cumque nihil mihi sit optabilius, quam Re- „ verentiæ Vestræ quibuscumque rebus pos- „ sim, morem gerere, Velim Reverentia „ Vestra pro certo teneat quod per amotio- „ nem illarum Tabellarum minimè intendam „ damnare Patrum Societatis sententiam su- „ per Tabellis quas Sinæ defunctis erigere „ solent; eaque de causa in superioribus lite- „ ris scripseram me illam quæstionem non at- „ tingere; sed quidquid sit de RR. PP. sen- „ tentia, censeo hujusmodi tabellas, in Ca- „ pella, seu quocumque nomine vocetur se- „ pulturæ Christianorum adjacens locus, in „ quem Christiani conveniunt ad orandum, „ erigi non debere. De Litera *Cû* quæ ejus- „ dem loci fronti inscripta est Reverentia „ Vestra desiderat rem prius cum Patribus So- „ cietatis communicari, quam litera immute- „ tur; ego verò magnopere desidero ut res „ omnes pacifice & concurrentibus, quantum „ fieri potest, omnium votis fiant; quare lu-

 „ bens

„ bens Reverentiæ Veſtræ obſecundo, ſperoque fore ut Reverentia Veſtra quemadmodum mihi pollicita eſt, à Societatis Superioribus, viciſſim obtineat, certa aliqua, quibus illorum de rebus controverſis ſententia innitatur, documenta, mecum communicari, & ad privatum meum ſolatium, & ut certi aliquid habeam, quamdiu Vicarii Apoſtolici munere fungar, quod iis qui me interrogant, reſpondeam. *Fu Cheu Fu* 17. May 1692.

Res eo modo, quo conventum erat, peracta eſt; imo cum Reverendus Pater ad ea quæ illi dixeram animadvertiſſet, & quantum Sinicis moribus memorata Capellæ inſcriptio repugnaret, mihi dixit ſe ſponte ſua juſſiſſe ut auferretur: factum laudavi, & quæ mihi promiſerat his de rebus documenta expectavi, ut mihi exhiberentur. Interim alios Miſſionarios rogavi, ut quæ pariter eam in rem haberent documenta mihi communicarent.

Quo tempore verò Societatis praxis fundamenta mihi Reverendus Pater, juxta id, quod promiſerat, oſtendiſſe jam debuiſſet, nimirum menſe ſeptembri proximè ſequenti, mihi Reverendi Patris Viceprovincialis epiſtola reddita eſt, in qua nonnihil de tabellarum amotione conquerebatur, quaſi permittendo ut Capellæ inſcriptio intacta remaneret, dimidium tantum beneficium contuliſſem; rogabatque, ut Reverendi Patris Viſitatoris literas expectarem, antequam quidquam decernerem. Animadvertere facile erat Reverendos

dos Patres huc ſpectare, ut Vicariorum Apoſtolicorum revocatio, quam factam fuiſſe jam ab anno 1691. publicaverant, in Chinam afferretur. Meum hic ad Reverendum Patrem Viceprovincialem reſponſum exſcribam; eſt enim alicujus momenti: quæ itaque ad illud tempus ſpectant, epiſtolæ meæ verba ſunt:

„ Ex quo Reverendus Pater Joſephus Monteiro hanc in Provinciam advenit, nihil „ mihi prius in votis fuit, quam ut ſumma „ cum illo voluntatum conſenſione viverem, „ neque amori & officio meo in ea quæ ſe „ obtulit de tabellis agendi occaſione defuiſſe „ mihi videor. Cum enim ipſe Reverendus „ Pater, pro ſua prudentia, juſſiſſet ut tabel- „ læ emendarentur, omnino conveniens erat, „ ut res eo quo poſſet meliori modo fieret: „ multo minus mihi viſus ſum quidquam con- „ tra centum annorum, ut ait Reverentia Ve- „ ſtra, conſuetudinem, & tot timoratæ con- „ ſcientiæ Theologorum judicium feciſſe. „ Uſus enim tabellarum in hujuſmodi Capel- „ lis valdè recens eſt, & à paucis annis, ſal- „ tem hanc in Provinciam, inductus. Ma- „ gnum præterea diſcrimen eſſe cenſeo inter „ hæc duo; aliquid in dubio Neophytis in- „ dulgere; & illud idem Miſſionarios uſu ſo- „ lemni comprobare.

„ Quod ad rem attinet, mihi ſemper ratum fixumque fuit nihil hac in materia præ- „ cipitare; eamque ob cauſam à decem circi- „ ter annis, ex quo in Sinarum Regnum ap- „ puli, cum non minima quidem diligentia, „ ſed abſque ulla in ſententia cooptanda feſti-

„ natione, harum controversiarum studio a-
„ nimum applicui: imo cum nonnulli nec u-
„ nius Ordinis Missionarii me uti Vicarium
„ Apostolicum, quo munere indignus fun-
„ gor, consulendum judicassent, responsum
„ hactenus distuli, ut interim & ipse rem di-
„ ligentius perpenderem, & à Patribus So-
„ cietatis quæ sint praxis & sententiæ suæ fun-
„ damenta, edocerer; nec putem aliquid am-
„ plius Societatem à me exigere: neque enim
„ in me est efficere, ut in Missionariorum
„ mentem non veniat de his rebus ambigere:
„ illorum verò dubia extrinseca Societatis au-
„ ctoritate compescere difficile est. Cuperem
„ equidem ut ad illa dubia respondendi onus
„ in alium transferretur, cujus rei argumen-
„ tum non leve est, quod cum ex allatis anno
„ proximè superiori nuntiis certo certius vi-
„ deretur, meam ultra hunc annum jurisdi-
„ ctionem non esse protrahendam, urgenti-
„ bus licet Missionariis, quorum duo se ex
„ hujus Provinciæ finibus in Metropolim con-
„ tulerunt, ut responsum super rebus magni
„ momenti, quæ ad præsentes controversias
„ spectant; à me reciperent, tempus duxe-
„ rim, quantum licuit. Nunc verò quo res
„ in loco sint, nondum scio, neque enim
„ Europææ Naves advenerunt, neque ulla
„ mihi super ea re epistola è Provincia Can-
„ toniensi scripta est. Verum si forte, quod
„ mihi persuadere non possum, Vicarii Apo-
„ stolici jurisdictio aliquandiu prorogetur,
„ officii mei esse existimo, curare ut in meo
„ Vicariatu res non semper in incerto flu-
„ ctuent,

,, ctuent, & ad Missionariorum dubia non
,, contemnenda respondere. Reverendi Pa-
,, tris Vicevisitatoris literas lubenti animo præ-
,, stolabor, ut Reverentia Vestra desiderat,
,, atque hoc omnino rationi consonum est: at
,, velim ne diutius differantur; elapsis enim
,, festis Paschalibus, si res adhuc ad me spe-
,, ctat, operi manum adhibere statui. Si res
,, ad alium, ut opto, transierit, id mihi ad
,, Societatis æquitatem spectare semper visum
,, est, ut quamprimum sententiæ suæ funda-
,, menta palam faciat, atque hac ratione om-
,, nium dubiis faciat satis: sin minus, ægre
,, ferre non potest, ut unusquisque libere di-
,, cat, quid de re tota sentiat.

Huc usque epistolæ verba.

Hac responsione perlecta, Reverendi Patres timuerunt, ne causa sua in judicium adduceretur. Quare ad aliud effugium recurrerunt: ab Illustrissimo Episcopo Macaensi literas impetrarunt, quibus Pater Josephus Monteiro è Societate nomine Illustrissimi Archiepiscopi Goani Vicarius, ut aiunt *de Vara*, constitueretur; impetrarunt, inquam, quia non video quanam de causa Illustrissimus Episcopus Macaensis sollicitudinem pastoralem, quam de suis ovibus habere se iisdem in literis affirmat, ad alias Provincias extenderet; tunc enim nonnisi de Fokiensi agebatur, licet postea Cantoni & ab aliquot annis in aliquibus aliis Provinciis idem factum fuerit. Literas istas Reverendus Pater circa fe-
stum

ſtum omnium Sanctorum, me ad alium Provinciæ locum, propter aliqua negotia, profecto, Domino Artuſio de Lionne, & alteri è fratribus noſtris exhibuit. Reſponderunt illi, ſe paratiſſimos eſſe ad illi parendum, ſi modo prius oſtenderet, quonam fundamento Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Goani jus, de quo nondum audierant, inniteretur; conſtaretque illis revocatam eſſe Conſtitutionem Apoſtolicam, qua ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, prohibetur, ne ab Indiarum Ordinariis facultates emendicarentur aut acciperentur. Negavit Reverendus Pater ſe quidquam aliud præter exhibitas literas oſtenſurum, & altera die publicavit coram Metropolis Chriſtianis, me non amplius eſſe Vicarium Apoſtolicum, ad ſe vero Provinciæ regimen ſpectare: quæ præcipitata, meque inſcio facta declaratio, cum tumultum inter Chriſtianos excitaſſet, iiſdem Sacerdotibus Reverendus Pater faſſus eſt, ſe id impellente Diabolo, declaraſſe, (ipſiſſima ſunt illius verba) promiſitque ſe aliquid aliud declaraturum, donec res mecum, poſtquam rediiſſem, componi poſſet; ſed promiſſis non ſtetit, & antequam redirem, aut quidquam de eo negotio ſcire potuiſſem, occulte Macaum profectus eſt.

Rediit menſe Martio ſub finem quadrageſimæ, mihique in Oppido vicino Miſſionem facienti eaſdem literas quibus Vicarius *de Vara* conſtituitur, miſit, quibus reſpondi quæ ſequuntur:

„ Reverentiæ Veſtræ literas 14. Martii
„ ſcriptas

„ ſcriptas hoc in Oppido à duobus diebus acce-
„ pi. Si mihi integrum foret Reverentiæ Veſtræ
„ voluntati obſecundare, deſiderium quo te-
„ neor, oneris abdicandi, faceret, ut jure
„ meo ſponte & alacriter cederem. Verum
„ duæ ſunt potiſſimum rationes, quæ me de-
„ tinent; primum quidem juramentum, quo
„ ego pariter ac Reverentia Veſtra teneor ad
„ Ordinariorum Indiarum facultates non ac-
„ cipiendas. Licet enim Apoſtolica Sedes
„ juramenti impoſterum exigendi Decretum
„ ſuſpenderit, nondum tamen, quod ſciam,
„ juramenti obligatione illos, qui eo
„ jam adſtricti erant, liberavit. Deinde ex-
„ tat excommunicatio latæ ſententiæ, ſub qua
„ Summus Pontifex, ut Reverentiæ Veſtræ,
„ ita & mihi aliiſque prohibuit ne hujuſmo-
„ di facultates emendicarentur aut acciperen-
„ tur. Quæ prohibitio non poteſt Reveren-
„ tiæ Veſtræ non eſſe notiſſima, cum, uti
„ jam dixi, ipſamet juraverit ſe ei paritu-
„ ram.

„ Quid Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Goa-
„ nus in Chinam juriſdictionis habeat pror-
„ ſus neſcio: hoc unum novi, quod quoties
„ in vim illius auctoritatis Proviſor Eccleſiæ
„ Macaenſis aliquam in China juriſdictionem
„ exercere tentavit, toties illi Patres Socie-
„ tatis fortiter obſtiterunt; quod cum ab aliis
„ tum à Reverentia Veſtra audivi. Quidquid
„ ſit, parum mea refert; mihi enim tradita
„ Sanctæ Sedis Mandata ſufficiunt.

„ Et quandoquidem Reverentia Veſtra
„ meam in ſcriptis reſponſionem habere deſi-
„ derat,

„ derat, eandem libenter ſcribo, quam Do-
„ minus de Lionne jamdiu Reverentiæ Ve-
„ ſtræ ſapienter dedit; me ſcilicet & quot-
„ quot hîc ſumus è Clero promptos & paratiſ-
„ ſimos eſſe ad quodvis Apoſtolicæ Sedis
„ Mandatum recipiendum, eique ex animo
„ parendum. Quare ſtatim ac Reverentia
„ Veſtra Nobis Sedis Apoſtolicæ Decretum
„ exhibebit, per quod Vicarii Apoſtolici Fo-
„ kienſis juriſdictio, quam mihi indigno con-
„ tulit, revocetur, & memorata prohibitio
„ tollatur, ita nos omnes geremus, ut vel ea
„ in re vel quavis in alia, noſtram Sancta Se-
„ des obedientiam nunquam deſideret; quæ
„ prompta animi voluntas ad novis Sedis A-
„ poſtolicæ Decretis parendum, quoties ea
„ nobis manifeſtabuntur, facit, ut acceptis o-
„ lim ejuſdem S. Sedis Mandatis, donec re-
„ vocata fuerint, conſtanter adhæreamus.
„ *Chan Lo* die 18. Martii 1693.

Se in eadem prorſus ſententia eſſe alii Reverendiſſimi Vicarii Apoſtolici mihi ſignificarunt; idemque omnes hujus Provinciæ Miſſionarii unanimi conſenſu reſponderunt. Certè niſi multa in Patribus Societatis incredibilia cernere aſſuefactus eſſem, necdum crederem illos, ita dominandi cupidos eſſe, ut Apoſtolicos Vicarios è collato ab Apoſtolica Sede munere exturbare vellent, nullo exhibito Sedis Apoſtolicæ Mandato, ſibique illos ſubjicere tentarent, illis ſolis Indiarum Ordinarii literis oſtenſis, quas proferre non poſſunt, quin ſe ex iis ſaltem quæ hactenus apparent, eo ipſo in latæ ſententiæ excommunicationem

incur-

incurrisse comprobent. Nonnulli è Societate aliquando conquesti sunt, quod quæ ab uno e Societate perverse fierent, ea Patribus Societatis & Societati tribuerem. Respondi me, cum ita loquor, minimè intendere omnes & singulos è Societate, quorum multi nesciunt quid hîc agatur, dicto involvere; sed eo sensu Societatem dico, quo Sanctus Franciscus Xaverius scribebat Societati, Goam; neque id de quo agitur, cum Societatem appello, privati cujusdam factum est, quod aliis non probetur; sed factum ab ipsis Superioribus jussum aut comprobatum est, quemadmodum hac in occasione Reverendus Pater Monteiro se Superioris jussu agere testatus est.

Rem igitur tanti momenti, quam eram aggressus constanti animo prosecutus sum: cumque Dominus de Lionne, qui in Metropoli versabatur, meo rogatu omni studio curasset, ut si quod legitimum revocatæ Apostolici Vicarii jurisdictionis fundamentum esset, illud Reverendus Pater ostendere non dedignaretur; Declarationem & regulam, quam promiseram me daturum, elapsis festis Paschalibus publicavi. Atque hæc paulo fusius; sed interest ut Sanctæ Congregationi innotescat, quanam ratione in re illa me gesserim. Solent enim Reverendi Patres ea quæ sibi non placent imprudentiæ insimulare.

De secundo articulo, nolim ea omnia momenta referre, quibus ea quæ prohibui ne fierent, illicita & perniciosa esse probantur; id enim longiorem sermonem postularet: di-

cam

eam verò quædam, quæ magis obvia, & veluti in conſpectu poſita ſunt ex quibus alia æſtimentur. Initium duco à ſecundo Declarationis capite, quod eſt majoris momenti, quo elucidato, id quod primo loco ſcriptum eſt facilius explicabitur.

Ante aliquot annos Imperator duas propria manu literas in tabella depinxit, quæ *Cœlum colito* ad verbum ſignificant, *King Tien*, atque has, ut ſæpè fit apud Sinas, muneris loco Patribus Societatis dedit. Ad Tabellæ illius inſtar, alias Reverendi Patres depingi fecerunt, cum ſpeciali notâ, qua literas ab ipſo Imperatore exaratas fuiſſe ſignificaretur; eaſque in ſingulas vel pleraſque Societatis domos diſtributas, alii in Majoris domus Aula, alii in Eccleſiâ, alii ſupra ipſum altare collocaverant.

Qui non ſunt è Societate Miſſionarii in diverſas ſententias abière: multi enim ſimilem Tabellam ſuis in Eccleſiis vel domibus appendere noluerunt, quia exiſtimaverunt Imperatorem per duas literas *Cœlum colito*, non Chriſtianam ſed Sinicam Religionem commendaſſe, cujus præcipuum caput eſt, ut Cœlum, illudque materiale, ſummo honore colatur. Fuerunt tamen qui Tabellam quidem appenderunt, ſed cum proteſtatione, ut aiunt, ad latus appoſitâ, quâ ſe per Cœlum, Cœli Dominum intelligere declararunt. Verum cum Ordinum Superiores nihil de illius erectione præſcriberent, ſinguli Miſſionarii ea pro nutu utebantur, & in unoquoque Ordine aliqui eam appendebant, cæteri ſcrupulo

moti

moti eam appendere noluerunt. A ſex aut ſeptem annis, Reverendus Pater Provincialis Dominicanorum, auditis Provinciæ ſuæ Manilenſis Theologis, ſub pœna excommunicationis prohibuit, ne illa Tabella in ullis Ordinis Eccleſiis vel domibus ſervaretur, ut ipſi ad me retulerunt, cum ea de re agere inſtitui. Nullus è Clero Tabellam illam unquam erexit. Quid egerint Patres Auguſtiniani mihi non conſtat.

Quæritur itaque num hac voce *Tien*, quæ Cœlum propriè ſignificat, Cœli Dominus, Deuſque quem colimus; an verò Cœlum tantum viſibile intelligatur; volunt enim Reverendi Patres Societatis elegantem eſſe metaphoram, qua continens pro contento accipitur.

Rem altiùs repetendo; ſyſtema Patrum Societatis eſt, Sinas veteres, Confucium, alioſque antiquiores Philoſophos Deï veri cognitionem habuiſſe, eumque magna religione coluiſſe; *nunc temporis verò pauci ſunt*, inquit Reverendus Pater Matthæus Riccius, *qui non in Atheiſmum, lapſu graviore, degenerent*, & paulo poſt; *æque omnes maxima ex parte in errorum profundiſſimo Atheiſmo verſantur*: quibus in verbis nonnulla obſervanda ſunt.

I. Confucium & priſcos Sinas Deum verum coluiſſe paradoxum eſt incredibile. Siquidem ut credatur, exiſtimandum eſt, Reverendum Patrem Matthæum Riccium melius quam tota China celeberrimos Philoſophos & interpretes Confucii ſenſum percipiſſe, quod non minus abſurdum eſt apud Sinas, quam

esset apud Nos, si quis Sina, qui linguam Latinam & Religionis Christianæ principia valdè mediocriter didicisset, melius quam celebriores Sacræ Scripturæ interpretes, Theologiæ Christianæ principia percipere se jactaret.

II. Quod dicit Reverendus Pater, *pauci sunt qui in Atheismum nunc temporis non degenerent*, minus accuratè dictum est. Neque enim putem vel unum, qui à duobus mille annis in Secta Literaria floruerit, appellari posse, qui Atheus non sit.

III. Nullus in Secta Literaria Atheus est, qui se cum Confucio & aliis priscis Philosophis sentire non credat; quique Confucium Cœli nomine, nihil præter materiale Cœlum intellexisse non sentiat. Omnes enim se Confucii discipulos profitentur; neque usquam, inquiunt Reverendi Patres, tenacius juratur in verba Magistri. Quinetiam ea potissimum de causa Athei sunt, nullumque præter materiale Cœlum agnoscunt, quia Confucium, cujus in verba jurant, Atheum fuisse, nullique alii, quam materiali Cœlo serviisse existimant.

IV. Neque illi privata quadam ostentatione, aliis repugnantibus, se Confucii discipulos esse prædicant; sed universa China, & in primis Literaria Schola, in qua nullum gravius peccatum est, quam vel latum unguem à Confucii placitis discedere, illos ipsos Philosophos, quos Patres Societatis Atheorum principes appellant, uti Scholæ Confucianæ principes & Magistros admiratur. Eo illi nomi-

nomine tanquam egregii Confucii diſcipuli & interpretes, in templo Confucii, Edicto Imperatorio tabellam obtinent, qui ſummus inter Literatos Sinas honor eſt; iiſque quoties Confucio ſacrificatur, ſua etiam in templo Confucii, ſingulis in Urbibus & oppidis oblatio fit. Tanta vero Scholæ Literariæ de illis eorumque doctrina uti Confucianæ apprime conformi, opinio eſt, ut, teſte Reverendo Patre Nicolao Longobardo è Societate, *compoſitiones literatorum ſuper textum neutiquam admittantur, ſi conſentaneæ non fuerint illorum Commentatorum interpretationi.* Quod de Atheorum Anteſignano Illuſtriſſimus Epiſcopus Baſilitanus in ſuo iis de rebus Opuſculo luculentius teſtatur. *El mas inſigne Doctor*, inquit, *que ha reconocido China deſte regnado* (loquitur de Regia familia Sung nuncupata) *que aurá al rededor de 480. anos, es un Doctor llamado Chu hy, a quien honrra el Rey con titulo de Vên Kung, que es dignidad 3a. del Rey abaxo. Eſte Autor commentó los livros que dixe ſer como Canonicos en China, y ſu commento es el de mas auctoridad, á quien todos los Graduados Siguen* (ponderentur hæc verba) *en ſus compoſiciones, por tenerlo por el mejor diſcipulo de ſu Maeſtro Confucio.* Hic autem Auctor *Chu hy*, inquit Reverendus Pater Brancati in Apologia quam nomine Societatis edidit primum inter Sinenſes Atheïſtas locum obtinet.

V. Cum Sinæ aliquam nihilominus religionem, ſeu religionis umbram habeant; præcipuum religionis illius objectum eſt Cœlum materiale, quod ſummum & præcipuum

Sinarum idolum non immerito appellaverim: illud omnes colendum esse sentiunt, nec ullus in China Atheus est, qui huic propositioni *King Tien Cœlum colito*, non subscribat.

VI. Imperator ipse, qui literas *King Tien* scripsit, in Philosophicis Operibus, quæ typis edidit, & per universam Chinam, tanquam veram & genuinam Confucii doctrinam publicavit, eorum, quos Reverendi Patres Atheos esse fatentur vestigia persequitur; seque ut Sinicæ Religionis, ita & Atheismi Principem & Doctorem esse manifesto declarat; adeo ut Atheismi principia ut reconditos fontes perfectissimo, si ita loqui fas est, Atheismi Philosophico cursu referet. Præterea pro Sinarum Imperatorum more singulis annis Cœlo materiali & Terræ sacrificium offert ad accepta ab illis beneficia rependenda.

E sex illis punctis, de duobus primis Patres Societatis disputant; minus rectè quidem, ut mihi videtur: at de quatuor aliis nemo nisi per crassam rerum Sinicarum ignorantiam, vel mala prorsus fide disputaverit. Licet verò ut Reverendus Pater Matthæus Riccius asserit, pauci aliqui in Atheismum non degenerassent, cum Sinarum sententia, non ex paucis, sed ex omnibus, vel plerisque æstimanda sit, generatim statuendum videtur, quod Sinæ Athei sint. Quare Reverendus Pater Intorcetta in vita Confucii, quæ typis ter edita est, generatim de Sinis ait, *Sinenses ergo cum idola jam magis ac magis venerarentur, paulatim discesserunt à genuina Magistri sui doctrina, & præclaris institutis priscorum, ac tandem*

dem in contemptum Religionis omnis, verumque Atheiſmum prolapſi ſunt. Ubi incredibili, ut dixi, paradoxo ſupponit Reverendus Pater Sinas hodie à Confucio diſſentire, omnes tamen generatim Sinenſes in Atheiſmum prolapſos eſſe non inficiatur.

Præterea cum de alicujus vocis ſenſu, in quacumque lingua agitur, eo, ni fallor, accipienda eſt modo, quo ipſa ætate, qua profertur ab omnibus vel pleriſque accipitur, licet forte antiquitùs alium ſenſum habuerit. Quare cum Sinæ (eſto paucis exceptis, quod falſiſſimum puto) Athei ſint; cum nullum præter materiale Cœlum numen cognoſcant, & quod magis eſt, nullum aliud à Confucio cognitum fuiſſe arbitrentur, difficile nobis perſuadetur, cum Sinæ illas à nobis voces audiunt, *Cœlum colito*, aut eas in Tabella ſcriptas legunt, eaſdem ab illis eo ſenſu accipi, quo Europeus quidam, de quo vix pauci audierunt, à Confucio ante bis mille annos intellectas fuiſſe opinatus eſt, eo ſenſu relicto qui nunc in Secta Literaria communis eſt. Demum quidquid de Confucii & priſcorum Sinarum mente ſit, difficultatem non mediocriter auget, quod eadem in tabella, in qua literæ *King Tien* exaratæ ſunt, expreſſe ſcriptum ſit literas illas ipſius Imperatoris eſſe: quaſi fieri poſſit ut literæ ſint & voces Imperatoris, alioque quam ab Imperatore publicis etiam in Operibus, ſenſu intelligantur; aliudve per illas cœlum coli præcipiatur, quam cui Imperator ſacrificium offerre conſuevit.

Ut igitur rem paucis comprehendam, dif-

 ficultas

ficultas in hoc posita est; an in Atheorum Regno, cujus summum supremumque idolum est Cœlum materiale, duæ literæ *Cœlum colito*, ab Imperatore qui Atheismum & Cœli materialis cultum profitetur, scriptæ, ad Deum Opt. Max. significandum, ejusque cultum commendandum nostris in Ecclesiis & domibus apponi licitè vel prudenter possint.

Neque ullius momenti metaphora est, qua Reverendi Patres continens pro contento scriptum esse asserunt. Namque ut apud cæteras gentes, ita apud Sinas similes metaphoræ locum non habent, nisi ubi illas usus invexit. Sinicus Imperator (quia ita fert usus) à certa quadam palatii aula *Chao Ting* appellatur; qui verò alterius aulæ nomine, contra id quod fert Sinicus usus, Imperatorem appellaret, qui ad quemvis hominem designandum, eum cubiculum vel *domus aulam* vocaret, aut pro nutu quodvis continens pro contento usurparet; rideretur ab omnibus, à nemine intelligeretur. Cuperem sane vehementer ut Reverendi Patres nobis declararent, quonam prodigio contingat, ut apud Atheos, qui Cœlum materiale venerantur, hæc usu communi metaphora vigeat, qua Cœli nomine, Deus, Dominusque Cœli significetur.

Mirum etiam videri non debet, Imperatorem has literas Patribus Societatis dedisse. Cum enim Reverendi magnopere ambiant, se ad Literatorum Sectam accommodare, & ad Literatos permovendos, ex præconcepta quam habent opinione de Confucii mente, hos loquendi modos *Cœlum colito*, *Cœlo delectari* & alios

alios ſimiles ſponte adhibeant; cum viciſſim Imperator Sectam ſuam amet, & nos cum illa convenire libenter audiat; in qua pro Religione habetur ſe ad Cœli converſiones componere, ita ut aliæ res vere, aliæ æſtate, ſuis ſingulæ temporibus fiant (unde tanto ſemper apud Sinas Mathematica diſciplina in honore habita eſt), mirum, inquam, videri non debet, ſi Imperator ex Literariæ, cui præeſt, ſcholæ principiis, Cœlum colendum eſſe ſcripſerit, ac Reverendis Patribus, qui Mathematici ſunt, & Cœli converſionibus explicandis incumbunt, Tabellam illam tradiderit.

Sed & nonnulli Viri graves animadverterunt merito timeri poſſe, ne Imperator, qui politicæ rei, & Sectæ Literariæ ſtudioſus eſt, hac arte efficere voluerit, ut & Sinæ Athei æquis nos oculis intuerentur, & incauti Chriſtiani præcipuum Sinarum idolum venerarentur.

Forte, inquient Reverendi Patres, Imperator Chriſtianæ Religionis principia novit; neque veriſimile eſt illum voluiſſe, ut materiale Cœlum in Eccleſiis noſtris coleretur. Quam Imperator nunc temporis Religionis Chriſtianæ notionem habeat, non ſatis ſcio; at primo valdè dubito, an, cum eas literas ſcripſit, magnam religionis Chriſtianæ notionem haberet. Secundo curant magnopere Reverendi Patres, ut alii Miſſionarii ſciant Imperatorem, ſi Chriſtianæ Religioni faveat, non tam ad ipſam Religionem, quam ad officia à Patribus illi præſtita intueri; quod mihi Reverendi Patres non ſemel per literas ſi-

gnificarunt, ac noviſſime in certa quadam relatione, quæ in China perlecta eſt, non prætermiſerunt Imperatorem, cum qui in Aula ſunt ei moleſtias exhiberent, quas alii Miſſionarii à Præfectis interdum patiuntur, reſpondiſſe de aliis Miſſionariis ſe non eſſe ſollicitum. *Nao ſe canſa com os de mais.*

Verum quod argumenti vim prorſus evertit, non de privato Imperatoris ſenſu cum literas ſcripſit, ſed de ea ſignificatione quam literæ præ ſe ferunt, agitur. Tametſi enim certus eſſem Imperatorem memoratas literas ſenſu Chriſtiano accepiſſe, quia, verbi gratia, id mihi privatim ſignificaſſet, nihilominus eæ literæ ſolemnem ex ſe Atheiſmi profeſſionem continent. Cum enim Imperator publice Atheiſmum & Cœli cultum profiteatur, neque ad Atheiſticum Cœli cultum exprimendum aptiores, quam iſtæ *King Tien*, *Cœlum colito*, literæ ullæ ſint, alium Imperator ſenſum habuiſſe palam cenſeri non poteſt præter genuinum illum quem habent literæ ex uſu communi: nec poteſt Atheis Sinis in mentem venire, ut aliud Imperator dicere voluerit, quam quod in ipſius de Sinica Philoſophia & religione libris legere conſueverunt. Demum non juſſit Imperator, ut literæ quas ſcribebat, in Eccleſiis collocarentur, aut aliæ adinſtar in Provincias diſtribuerentur. E contra nonnulli etiam è Societate verebantur ne parum Imperatori gratum eſſet, ſimiles in Provinciarum Eccleſiis vel domibus erectas Tabellas fuiſſe.

Dicunt etiam Reverendi Patres ſe in Libris typis

typis editis literarum *Tien* & *Xangti* Catholicum ſenſum explanare. Ita eſt in aliquibus libris, quos qui legunt, ſi in Sinica Philoſophia & Religione verſati ſint, dicunt procul dubio quod de Reverendo Patre Matthæo Riccio dictum ſcriptumque fuiſſe Reverendus Pater Nicolaus Longobardus ei coævus commemorat. Dicunt, inquam Reverendos Patres, ut potè alienigenas, Sinicos Libros non intelligere, & in errato ſenſu explicare. Quot verò ſunt illi qui libros illos legunt & mature, quæ in eis ſcripta ſunt, animo recogitant? Si eos Chriſtianos, qui literas norunt, qui non ita multi ſunt, excipias, unus è bis vel ter mille, utque aliis placet vix unus è decem mille hominibus. An eam ob cauſam genuinus illarum literarum ſenſus immutatur?

Mihique aliqui dixerunt notum eſſe per univerſam Chinam non Cœlum materiale, ſed cœli Dominum à Chriſtianis coli. Id quidem clare ab uno è multis ſciri exiſtimo: multo verò pauciores, ſeu potius, Chriſtianis exceptis, pene nulli ſunt, qui cognoſcant eam eſſe Legis Chriſtianæ puritatem, ut ſevere prohibeat, quominus Tabellæ in quibus cœli materialis cultus commendaretur in Eccleſia vel domo collocarentur.

Jam verò licet res illa, quæ non mihi ſolum, ſed multis gravibus Viris certa eſt, quodammodo dubia videretur, decetne Evangelii Miniſtros in tale ac tantum idololatriæ periculum adduci? De magno enim præſidio, quod aliqui eà tabellâ religioni afferri dicunt,

Ex his rationibus cognoſci poteſt, cur in primo Declarationis capite prohibitum ſit, ne Cœli ac ſupremi Imperatoris nomina ad Deum ſignificandum adhiberentur.

Ut enim diximus, in Regno, ubi pro Religione habetur Atheiſmus, ejuſque generis Atheiſmus, ut ſupremus Cælo materiali cultus adhibeatur, ab omni ratione alienum eſſe videtur, ut Cœli nomen ad Deum ſignificandum uſurpetur.

Idem prorſus dicendum eſt de vocibus *Xang ti*, *Supremus Imperator*. Licet enim iſta ad Deum ſecundum ſe accommodari poſſent, cum tamen ſecundum communem Sinarum uſum, nomen ſit honorificum, quo Cœlum materiale nuncupetur, non poſſunt eædem voces, contra id quod fert uſus, Deum ſignificare. Neque in eo præciſe difficultas conſiſtit, ut quibuſdam videtur, quod voces *Thien* & *Xang ti* explicatione indigeant: quæ enim vox Deum, cujus magnitudo ineffabilis eſt, ita exprimere poſſit, ut explicatione non indigeat; ſed quia memoratis vocibus alienum prorſus Divini numinis conceptum Sinis ſuggerimus, eum ſcilicet quem voces ſecundum communem acceptionem ferunt, ita ut Deum eſſe putent vel materiale Cœlum, vel quamdam Cœlo inſitam virtutem, quam, quia in res inferiores dominatur & influit, dominantem & imperantem, ab ea vero Cœlum ſupremum Imperatorem appellant. Quodnam igitur tantum ſe ad Atheos accommodandi ſtudium eſt, ut eadem voce Deum ſignifi-

gnificare velimus, quâ ſuum illi Atheiſmum profitentur?

Cæterum quoties de Sinis tanquam Atheis loquor, id de Secta Literaria, & eo, qui viget apud illam uſu, ſemper intelligo. De illa enim agitur, & ad Sectam Literariam, tanquam ad Sinicæ Religionis & Philoſophiæ regulam Patres Societatis paſſim nos revocant; atque ut iidem affirmant, penes Literatos publica auctoritas eſt. Porro illi vere Athei ſunt, & Confucium vere Atheum fuiſſe ſentiunt: adeo ut quos loquendi modos de Cœlo, deque ſupremo Imperatore *Xang ti* tanquam intelligentia prædito Patres Societatis à Confuccio acceptas fuiſſe contendunt, hos eoſdem Athei illi Literati, juxta Confucii, ut illis videtur, & Sectæ Literariæ principia, de Cœlo materiali explanant, ad quod ſignificandum iiſdem ipſi loquendi modis interdum utuntur; non ſecus ac qui nullam olim in fato intelligentiam agnoſcebant, dicere nihilominus ſoliti erant, *ſi fata ſinunt, ultio non ſinit eum vivere, &c.*

Aliæ autem Sectæ communionis Idololatricæ vocantur; quamquam & Secta Literatorum miro quodam Dæmonis aſtu, Cœlum, terram, montes, aquas, cauſas gignendi, augendi, minuendique, hominum manes, qui dum viverent alicujus erga hominum genus utilitatis fuere, venerando, Atheiſmum cum idololatria conjunxerit.

De rudibus populis, quid ſentiant, dicere difficile eſt; cum revera nihil ſentiant, ſed tan-

tanquam muta animantia, prout à Demone aguntur, euntes multa inter se pugnantia quotidie perpetrent. Omnes autem Reges & Subditi, Magistratus & populi, Literati & ignorantes, hoc in capite conveniunt, ut Deum verum, quem Christiani colimus ejurent.

Non defuerunt olim etiam è Patribus Societatis, qui nominibus Europæis utendum esse affirmarent: sed nomina illa, præterquam nullam divinitatis ideam in hominum mentibus excitent, ita barbara sunt apud Sinas, ut nihil magis. Quare standum mihi omnino visum est veteri appellationi quam Reverendus Pater Matthæus Riccius sapienter invexit, quæ si sua forte difficultate non careat (omnem enim in linguis maximè Gentilium difficultatem effugere difficile est); levis tamen est difficultas, longoque usu explanata; ac præterea duæ illæ voces *Tien chu* magnum aliquid sonant, cum Deum Christianorum, Cœli, quod Sinæ supra res omnes in honore habent, Dominum esse declarent.

In tertio Declarationis capite de facta à Reverendo Patre Martinio ad Apostolicam Sedem rituum Sinicorum expositione agitur; de qua aliquid statuere necesse prorsus erat, an scilicet veridica fuerit, necne: sin minus quidquid de aliis rebus statutum fuisset, id tanquam Sedis Apostolicæ Decreto contrarium Patres Societatis suggillassent. Alexandri enim VII. Responsum, Decretum hac in materia contradictorium & decisivum appellare non verentur; & quod magis intolerandum est,

eſt; ſe ſuamque praxim ſine Summi Pontificis injuria; damnari non poſſe palam ac publice affirmant.

Dixi quod magis intolerandum; quia ipſa Sedes Apoſtolica Clemente IX. Pontifice, declaravit utrumque Sedis Apoſtolicæ Decretum, quod hac in materia latum eſt, juxta quæſita, circumſtantias, & omnia in dubiis expreſſa ſervandum eſſe; adeo ut tota difficultas circa Summi Pontificis Alexandri reſponſum in eo verſetur an Pater Martinius res, uti ſunt, Sanctæ Sedi propoſuerit, quod, ut opinor abſque Summi Pontificis, aut Apoſtolicæ Sedis injuria negari poteſt.

Vix ullum autem in China Miſſionarium eſſe exiſtimo, ſi Patres Societatis excipias, qui hanc Reverendi Patris Martinii propoſitionem veridicam fuiſſe affirmet. Eam veridicam fuiſſe negant unanimi conſenſu Patres Dominicani. De Patribus Franciſcanis, habeo præ manibus epiſtolam, quam ad unum è Miſſionariis, qui in Seminario Siamenſi verſabantur ante undecim circiter annos Reverendus Pater Bonaventura Ybanes Præfectus Apoſtolicus & Ordinis ſui Commiſſarius Provincialis ſcripſit, qua in epiſtola tanquam certam omnium Ordinis ſui Miſſionariorum ſententiam refert, res aliter atque erant à Reverendo Patre Martinio propoſitas fuiſſe. Nuper etiam qui nunc ejuſdem Ordinis Commiſſarii munere fungitur, occaſione Declarationis à me factæ, ex communi ſententia diſertè affirmavit propoſitionem illam non fuiſſe veridicam; *aſſi lo decimos todos*: ac ne id incredibile

le videatur nonnulla referam ex quibus, absque Sinicarum literarum notione, poterit unusquisque suspicari quid rei sit.

Spectat ad ejus qui narrat, & alium quavis de re consulit, fidem, ut rem sicuti est, certa ut certa, dubia ut dubia, non verò quæ probabilia tantum & dubia sunt, tanquam certa & indubitata proponat. Debet etiam ea proponere in quibus difficultatis cardo positus est; sin minus is qui consulitur sufficientem rei notionem habere non potest, ut apposite respondeat. Contra hæc duo capita Reverendus Pater Martinius non leviter peccavit.

Ac primum quidem omnia retulit tanquam certa & indubitata verbi gratia.

Soli studiosi, inquit, *ac Philosophi conveniunt Confucium tanquam Magistrum suum agnoscentes, civilibus ac politicis ritibus ex prima sua institutione ad merum cultum civilem institutis, colere.*

Quæritur num cæremoniæ quæ sunt ex Philosophorum placitis circa defunctos, Christianis permitti possint, probibendo quidquid superstitiosum accessit.

Sinæ nullam divinitatem animabus defunctorum concedunt, nihil ab illis sperant aut petunt &c.

Erant sane perspicacissimi Sacræ Congregationis Theologi Consultores; non putem tamen quantacumque sagacitate pollerent, iis in mentem venisse ea, quæ tantâ Reverendus Pater confidentiâ Societatis nomine referebat, ipsi saltem Societati certa & extra dubium non fuisse

fuisse. Nihilominus ipsi Patres Societatis ea ipsa quæ Reverendus Pater proposuit, nonnisi probabilia, suamque sententiam probabilem esse tantum confitentur.

Tractatum habeo seu Apologiam, quam vir magni in Societate nominis Reverendus Pater Franciscus Brancati totius Societatis Missionariorum calculo comprobatam edidit, ubi suam & Societatis sententiam nonnisi uti probabilem defendit; & inter alia factam sibi objectionem refert; *Lo qual confirmo* (verba sunt Reverendi Patris Navarrettæ, quæ integra à Reverendo Patre Brancato proponuntur, *por una carta, que el muy R. P. Juan Adamo escrivio al R. P. Fr. Juan Timoteo de San Antonino Vicario de Lan Ky por los anos 59. donde dice a un Lo que han seguido, es lo mas probable y seguro, pero esto tam bien es seguro y conviene seguirse aora.* Cui objectioni Reverendus Pater Brancati sic respondet: *Respondeo directe ad confirmationem Reverendi Patris concedendo totum quod Pater Joannes Adamus scripsit Reverendo Patri Thimoteo.*

Quis unquam ex eo, quo Pater Martinius Sedem Apostolicam alloquitur modo, id quod dicit, Patribus Societatis dubium, probabile & minus probabile videri judicasset.

Aliam epistolam habeo quam Reverendus Pater Felicianus Pacheco Viceprovincialis, suæ pariter Missionis nomine ad eundem Patrem Navarrettam Cantoni scripsit, quò tunc omnes propter persecutionem convenerant: cumque multum de illis quæstionibus disputatum esset, ea in epistola Reverendus Pater declarat,

rat, non rationibus, quæ pro Societatis sententia allatæ fuerant, sed *irrefragabili*, ut loquitur *opinionum probabilitate* Societatis responsionem inniti: *nem nessos ditos consistio la força de nostra respostа; mas juntas que fisemos a qui encantatio sobre os puntos, sobre os qua es se duvidava, mas na irrefragrauel probabilidad de opiniaõ que seguimus, è na obrigacao en consciencia de nos accommodar à ella para ben das almas. Do mesmo modo que saõ abrigados os Confessores à seguir à opiniaõ probavel do penitente. Como consta da re, saõ que se apunta na resolucaõ que de commun assento tomamos nò punto* 41.

Fuissetne peccatum mortale in Patre Martinio Summo Pontifici candide & sincere fateri, ea quæ proponebat, & praxim quam defendebat, fundari in irrefragabili opinionum probabilitate, & ab eo petere an obligatio esset in conscientia, hac scilicet in materia tam gravi, qualis est idololatria, probabilitati se accommodandi, ut Confessor opinioni probabili pœnitentis se accommodare teneretur? Quæ omnia non ita certa sunt, nec tam levis momenti, ut ad Apostolicam Sedem enuntiari non debuissent. Vehementerque scire cuperem; an Eminentissimi Cardinales & Theologi Consultores, qui responsa Patri Martinio dederunt, persuasum habuerint eum esse statum quæstionis, quem in laudatâ epistolâ Reverendus Pater Viceprovincialis exponit.

Illa resolutio quam idem Reverendus Pater Viceprovincialis commemorat puncto 41. Sic ait: *Circa ceremonias quibus Sinæ Magistrum suum*

Confucium & mortuos venerantur, sequenda omnino sunt Sacræ Congregationis Universalis Inquisitionis præcepta à S. D. N. Alexandro VII. approbata, quia fundantur in valdè probabili opinione cui nulla contraria evidens opponi potest &c. Haud scio an aliquis unquam sic loquutus sit, sequenda esse Sedis Apostolicæ responsa, vel præcepta, quia fundantur in opinione probabili: Novi è contra multos his in locis, qui arctissima Sedis Apostolicæ præcepta sequi detrectant, cum se aliqua ad illis non parendum probabilitate inniti credunt. Sed quod spectat ad Summi Pontificis Alexandri VII. responsa, equidem antequam istam Patrum Societatis declarationem legerem, existimaveram, illam non probabili, sed omnino certo & indubitato fundamento niti. Proponit Reverendus Pater Martinius Sinas politicis & civilibus ritibus ex sua prima institutione ad merum cultum civilem institutis, Magistrum suum colere; affirmat quidquid Progenitorum cultui superstitiosum accessit prohiberi; *Sinæ* inquit, *à mortuis nihil petunt vel sperant*: quæ omnia, si ita sunt, certa & indubitata sunt fundamenta, quibus Summi Pontificis responsio, permissioque innitatur: an verò ita sint necne, ac Reverendus Pater commemoravit, hanc Summus Pontifex quæstionem non attingit.

At si Societas non nisi ex opinione probabili cultum illum Confucii & Progenitorum civilem & politicum reputet, conveniens omnino videbatur ut Reverendus Pater Martinius qui, ut Reverendus Pater Brancatus asserit

ſerit totius Patrum Societatis Miſſionis nomine loquebatur, *ita ut*, inquit, *cum unus carpitur Martinius tota Miſſio verberetur*, conveniens ſane videbatur, ut rem, ſicuti erat aperiret, diceretque probabile Reverendis Patribus videri quod cultus Confucii politicus ſit, ac civilis; probabiliter defendi poſſe nihil in Progenitorum cultu ſuperſtitioſum fieri; probabile eſſe, Sinas nullam in mortuis divinitatem agnoſcere; probabile illos nihil à mortuis ſperare vel petere; ſique Summus Pontifex, hac poſita probabilitate, Confucii & Progenitorum cultum permittendum eſſe reſpondiſſet, locum habere tunc poterat memorata Societatis declaratio, ſequenda omnino eſſe Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri præcepta, quia in valdè probabili opinione fundantur, ſi quidem res illas probabiles Reverendi Patres judicaſſent. Quæ autem probabilia creduntur, & de quibus probabiliter judicari poteſt quod ſuperſtitioſa ſint & idololatrica, hæc iis coloribus ad Apoſtolicam Sedem depingere, ut nemo Theologus non credat hæc eadem ab iis ſaltem à quibus proponuntur, pro certis & exploratis haberi: nemo qui non reſpondeat, omnibus quæ proponuntur ne vel umbram ſuperſtitionis ineſſe; id forte veritati & ſinceritati non nihil repugnare multis videbitur.

Atque ut manifeſtius appareat iis quæ à Reverendo Patre relata ſunt, aut ſaltem plerisque ne vel umbram ſuperſtitionis ineſſe, quod alterum eſt caput in quo illius narratio peccavit; notandum eſt illum ea fere omnia prætermiſiſſe, in quibus difficultas poſita eſt, ea-

que proposuisse quæ sunt extra controversiam; verbi gratia:

I. Quis unquam Missionarius dubitavit, quin eæ ceremoniæ circa Confucium & defunctos, quæ ex sua institutione ad merum cultum politicum institutæ sunt, prohibendo quidquid superstitiosum accessit, permitti licite possint?

Rationes propter quas de his ceremoniis controversum est, inter alias istæ sunt, quia in Sinarum Rituali quem Illustrissimus Episcopus Basilitanus in jam laudato opusculo universi Imperii Sinici ritualem Librum appellat; *este dicho Auctor compuso un libro llamado Kya Ly, que es el Ritual deste Reyno:* in illo, inquam, Rituali, asseritur tabellam quamdam, quæ in iisdem ceremoniis adhibetur, eo fine erigi, ut mortuorum spiritus in illa insideant; spiritus invitantur, ut in illam veniant, & sacrificium seu oblationem gratum habeant; libatur vinum ad spiritus evocandos; multaque fiunt coram ea tabella quæ spiritus præsentes esse supponunt, ac peractâ ceremoniâ multa bona familiæ capiti, quod oblationi præfuit & ejus familiæ promittuntur. Non expendo an illa omnia metaphoricè & de pio erga defunctos affectu, ut volunt Patres Societatis, aut alio quovis modo accipienda sint. Certum est in illis, non in aliis rebus, quas Reverendus Pater commemoravit, difficultatem maximam consistere; illasque & non paucas alias graves circumstantias silentio prætermittere, perinde est ac siquis à Theologo sciscitaretur num licitum esset amico pecuniam

mutuo

mutuo dare, nulla mentione facta de eidem impoſita obligatione pro mutuo ſingulis annis aliquid ultra ſortem rependendi, quia hanc obligationem ad rem non facere exiſtimaret.

II. Tabellam in Progenitorum honorem erigi dicit, *in qua*, inquit, defuncti nomen ſcriptum eſt, parique modo de Confucii tabella, ait *omnes ante nomen Confucii inclinationes facere.* Quis in hac propoſitione mali aliquid ſuſpicaretur? Ac nomen quidem Confucii & Defunctorum tabellis inſcribi certum eſt, neque in eo difficultas conſiſtit; verum quod Reverendus Pater reticendum eſſe judicavit, præter nomen, duæ literæ adduntur *Xin goey*, vel *Xin chu*, vel *Ling goey*, quæ literæ hunc ſenſum efficiunt, *Petri* v. g. *Spiritus vel animæ Sedes.* (His autem omnibus in locis eo ſpiritum & animam ſenſu appello, quo Sinæ hominem ſpiritum & animam habere intelligunt). Eaſdem literas Patres Societatis ad alium ſenſum detorquent, qui & veritati & rationi, & communi Scriptorum interpretationi adverſatur: incredibile enim eſt quas artes, quot paradoxa & abſurda invenerint, ad ſuam ſententiam nomine probabilitatis cohoneſtandam. Quidquid ſit verò, certum eſt quod magna difficultas non in ſcripto nomine, ſed iis in literis ſita ſit. Præterea certum eſt has duas literas, verbi gratia, *Xin goey* in proprio & genuino ſenſu *Spiritus Sedem* ſignificare, atque haud ſcio an ullæ aliæ magis propriæ in lingua Sinica reperiantur ad id ſignificandum, quod ipſemet Reverendus Pater Martinius non ignoravit.

In ſua enim Hiſtoriæ Sinicæ epitome 112.

 de

de Tabella in honorem cujuſdam ſpiritus, ſeu potius idoli loquens, & inſcriptas tabellæ literas explicans ait: *In qua tabella, Sinenſi lingua, literis aureis exaratum erat, ſpiritualis cuſtodis Sedes.* Eædem autem literæ erant, quæ ſunt in Confucii & Defunctorum tabellis. Velim mihi dicat Reverendus Pater, cur in illa Hiſtoria non ſcripſerit, in qua tabella ſpiritus cuſtodis nomen exaratum erat: iis literis prætermiſſis, quas ubi de Confucio, & defunctis apud Apoſtolicam Sedem agebat, omiſit. Nulla certè alia ratio mihi occurrit, niſi quod in ſua Epitome literas, ut ſonant, explicuit, cum tunc temporis eas reticere inutile judicaret; plurimum verò ſuæ cauſæ intererat, ut cum de Confucio & de Progenitoribus apud Apoſtolicam Sedem diceret, voces illæ ſeu literæ reticerentur.

Nolim earum literarum explicationem fuſius proſequi: addam ſolum Illuſtriſſimi Epiſcopi Baſilitani auctoritatem, qui in citato Opuſculo locum cujuſdam Scriptoris Sinici referens ſic ait: *Deſde el Rey haſta el menor Mandarin deven tener tablilla para eſcrivir Xin goey*, id eſt, *lugar y aſſiento de los ſpiritus*, & paulo poſt, *dice el Kyaly, o Ritual, que ſe ſcrive aſſi en la tablilla, aſſiento del ſpiritu de Fulano.*

Hic aliquoties Illuſtriſſimi Epiſcopi auctoritatem refero, licet his in quæſtionibus & Sinicis litteris parum verſatus eſſet; ſed certè quædam res ſunt, quas ignorare non poterat, quales ſunt iſtæ duæ res, quiſnam ſit in China ritualis liber, hoc eſt liber, in quo omnia domeſtica

mestica officia, quæ à Sinis magno studio ac fere singulis diebus fiunt, describuntur; & quid hæ literæ juxta communem Sinarum usum *Xin goey*, significent, quas literas Sinæ parentum in domibus, ab infantia, diversis in tabellis scriptas legere consueverunt.

III. Solemne quod Confucio semel & iterum singulis annis offertur sacrificium, seu oblationem omnino reticuit, eo, ut aiunt Reverendi Patres, obtentu, quod res illa ad Christianos non pertineat. Certum est tamen Patres Societatis iis saltem præfectis, quibus id ex officio incumbit, permittere ut sacrificium illud seu oblationem offerant aut in ea offerenda Ministri officio fungantur. Ubi obiter notari potest qua fide Reverendus Pater Michael Tellier in libro nuper edito, ex quorumdam testimonio dixerit; *Scitur Jesuitas semper Christianis suis prohibuisse, ne illis oblationibus interessent*; & paulo post: *nunquam Neophytis quidquam aliud permiserunt, præter inclinationes quæ fiunt coram Confucii Tabella.* Ut enim de Præfectis nihil dicam amplius, qui non adesse modo, sed & præesse Confucianæ oblationi à Patribus Societatis permittuntur; Ipse Pater Brancati, cujus Apologiam Pater Michael Tellier legisse se supponit, testatur quod Patres Societatis reliquis Christianis *non absolute prohibebant, sed per modum consilii, non permittebant illis ceremoniis interesse.*

Sed esto id nemini, nisi præfectis Reverendi Patres permittant; numquid quod præfecti Christiani faciunt ad Christianos non

pertinet? Si verò quæ à Præfectis solum fiunt, eo obtenu ad Apostolicam Sedem proponi non debent, quidnam causæ est, cur Reverendus Pater Martinius ubi de jejunio loquitur, hanc, quæ ad solos Præfectos spectat, circumstantiam non prætermisit? *Præfecti Tribunalia jejuni adire deberent, quæ frequentant ab octava matutina, ad secundam post meridiem, quod illis omnino esset impossibile.* Multa de ista propositione dici possent, quibus, cum ad Confucii & Progenitorum cultum non faciant, non immoror: hoc solum animadverto, non minoris ponderis fuisse, ut quæ à Præfectis Confucio fiunt oblationes, Apostolicæ Sedi declararentur, quam ut hæc de Præfectis jejunantibus circumstantia explicaretur: si quidem ex illis oblationibus æstimari potest quali Sinæ Magistrum suum cultu, politico an religioso prosequantur; quod ad rectè judicandum de aliis etiam actionibus, quæ ex se indifferentes sunt, pernecessarium erat.

IV. *Aula Confucii*, inquit Reverendus Pater, *Gymnasium est, non templum propriè dictum; nam clausa omnibus est præterquam studiosis.* Levis sane ratio. Quid enim repugnaret Confucium apud Sinas, uti literarum Deum, solis Literatis colendum proponi? Licetque solemnes, quæ ibi fiunt, ceremoniæ ad solos Literatos spectent, multi alii, si voluerint, in aulam, seu templum illud ingrediuntur. Ingressus sum ego non semel, sique voluissem coram Confucii tabella genua fle-

flectere, quod absit, id Gentilibus omnibus, ac forte quibusdam Christianis gratum & acceptum fuisset. Neque tamen in eo quidquam urgendum censeo.

Verum illam aulam Confucii Collegium appellare, & ex eo nomine inferre velle, quod templum non sit, haud secus est, ac si quis Collegii capellas quæ vulgò solis studiosis patent, Collegia appellaret, eaque de causa templa Deo dicata esse pernegaret. Locus ille in quo Confucius colitur, est in Collegio, seu Collegio adjunctus est, & uni Confucii cultui dicatur: non in Collegii, sed in illius aulæ fronte, duæ literæ *Ven Miao*, quasi Literaturæ templum, vel *Sien cu Miao* templum defuncti Magistri inscriptæ sunt. Vox autem seu litera *Miao* idolorum fanis ac Regiorum Progenitorum templis, nulli alii, quod sciam ædificio inscripta est. Hæ & similes difficultates scrupulum movent, de quibus Reverendus Pater ne verbum quidem.

V. Reverendus Pater Antonius à Sancta Maria Ordinis Minorum retulit, & facti narratione, addito in verbo Sacerdotis, juramento, Sacræ Congregationi misit, ut à viris fide dignis accepi, retulit, inquam, se cum ad Civitatem *Nang Cheu* divertisset, Reverendo Patri Martinio (anno 1659.) qui in illa Civitate morabatur, Librum cujusdam Christiani exhibuisse, ubi aliquid à Progenitoribus peti sperarique Christianus ille supponere videbatur: *His perlectis* (verba sunt Patris Antonii à Sancta Maria) *tantisper obmutescens Pater Martinius, illico dixit hanc corrupte-*

ruptelam animas exorandi defunctorum introductam fuisse abhinc retro trecentis annis; at præfatus cultus Proavorum ab antiqua sua institutione, solummodo civilis politicusque est, mortuis inserviendo ac si adhuc viverent.

Si ita Reverendus Pater sentiret, satisne erat Apostolicæ Sedi generatim dicere Sinæ à Progenitoribus nihil petunt aut sperant? Sed nos quidem de his satis, ad rem indigitandam.

Ex iis quæ modo de Confucii & Progenitorum oblationibus commemoravi conjicere facile est, non levibus de causis eas in quarto Declarationis capite Christianis interdici: neque rem fusius prosequar; quia ex Sinicorum librorum cognitione dependet, quos hîc explicare longum esset.

Sunt, non quidem in isto Vicariatu, qui aliquam difficultatem passi sunt, eo quod iis etiam oblationibus, quæ Confucio & Progenitoribus fiunt, Christianos interesse prohibuerim. Sacra enim Congregatio, inquiunt, ad quartum Patris Martinii quæsitum respondit, *posse assistere Christianos tantum, cum Gentilibus, quando agunt superstitiosa, præsertim facta fidei protestatione.*

Non dubito, quin si quando in actionibus & ceremoniis politicis, verbi gratia in Parentum exequiis Gentiles aliquam superstitionem admiscent, Christiani interdum præsentiâ, ut aiunt, materiali interesse possint: quo sensu Sacræ Congregationis responsionem intelligendam esse existimo: an verò, cum integra familia, verbi gratia, non ad funus, aut exequias,

quias, in quibus aliquid forte ſuperſtitioſum accederet, ſed ad ſolemne aliquod ſacrificium, aut ſuperſtitioſam aliquam oblationem faciendam conveniret, ubi nihil præter memoratum ſacrificium, aut oblationem, peragitur, ad quod ſuam Chriſtianus intentionem & præſentiam dirigeret, an, inquam, eo in caſu Chriſtianus tacitè vel expreſſè convocatus ceremoniæ intereſſe poſſit, hanc, ut opinor, Sacra Congregatio quæſtionem in laudata reſponſione non attigit.

Verum eam ſaltem ob cauſam Chriſtianis prohibui, ne Confucii & Progenitorum ſolemnibus ſacrificiis intereſſent, quia intereſſe non poſſunt, quin eorum ſuperſtitionis participes fiant; verbi gratia libatur vinum, ſeu in terram funditur; adeſt Magiſter ceremoniarum, qui cum hæc aliæque actiones peraguntur, omnes qui adſunt, modo genua flectere, modo ſurgere, modo inclinationes facere jubet: ſique, aliis genua flectentibus, alii ſtarent, ab omnibus uti Confucii & Progenitorum contemptores deriſoreſque, injuriis ac forte verberibus afficerentur. Loquor autem de iis, qui ratione gradus, officii aut parentelæ ad eas ceremonias concurrunt, de quibus difficultas eſt; non de iis qui forte in angulo vel per portæ foramina ceremoniam inſpicerent.

In V. Declarationis capite nonnulli conqueſti ſunt, quod tabellæ uſum non omnino prohibuiſſem: difficile enim omnibus ſatisfacere eſt; rem autem ad aliquod temperamentum revocandam eſſe credidi: huic enim tabellæ magno-

magnopere addicti Sinæ sunt, & illum usum omnino abolere difficilius est. Igitur donec Apostolica Sedes aliter decernat, Tabellam omnem reprobare nolui, sed solummodo quod in ea superstitiosum videbatur abstuli. Nimirum Sacræ Congregationis vestigiis inhærendo, permisi ut defuncti nomen tabellæ inscriberetur, iis literis exclusis, quæ tantam difficultatem faciunt, ut eas Pater Martinius proponere non sit ausus. Cum etiam una litera *Goey* seorsim sumpta ad quoddam memoriæ genus accommodari possit; eam scripta ad latus declaratione, sine qua sensum, quem vulgo habet, in tabellis retineret, tolerandam esse censui. Non putem ullum hac in Provincia Christianum esse, qui tabellam suam ad hanc formam non reduceret, atque hoc temperamentum facile amplecteretur, nisi Patres Societatis obstarent. Tametsi verò tabellæ illæ, ut à Sinis adhibentur, & à Patribus Societatis permittuntur, nihil præter mali speciem haberent, quam nemo sapiens eas habere negabit; non video quî fit, ut Patres Societatis hanc speciem mali declinare & allatum temperamentum admittere recusent.

In VI. Capite nonnulla prohibui ne disseminarentur. Nimirum Patres Societatis quoties libros edunt, qui his de regionibus, vel iis de rebus tractant, quæ inter Missionarios agitantur, persuasissimum habere videntur, neminem unquam futurum, qui innumera propemodum absurda quæ congerunt, observare & redarguere vel audeat, vel etiam possit. Ex quibus duplex malum contingit: primum dicta

dicta Patrum Societatis & opiniones, quæ cum veritate minus congruunt, radices agunt; Missionarii qui animum his rebus examinandis non applicant, qui certè multi sunt, ad Patrum Societatis praxim sequendam impelluntur, longeque alium, quam par est, de Sinica Religione sensum hauriunt. Deinde ipsi Sinæ, cum hæc à Patribus Societatis audiunt, quæ ab illis scribuntur & dictantur, cæteros, qui iis contradicunt, Missionarios contemnunt, eorum monita respuunt, & Sinicæ Scholæ, quæ magis Legi Christianæ, quam Lutherana blasphemia Catholicæ veritati repugnat, ita agglutinantur, ut quod Evangelium fieri posse negat; duobus Dominis Sinicæ Philosophiæ & Christianæ doctrinæ, Christo & Confucio servire volentes, non sint nisi medii Christiani. Atque haud scio an quidquam Sinicis Literatis magis scandalo sit, quam has duas audire propositiones; alteram, quæ est Reverendi Patris Philippi Couplet, tamque absurda est, ut non intelligam quonam pacto in mentem veniat eam expromere & typis edere; *Sinicam Philosophiam si bene intelligatur, nihil habere Legi Christianæ contrarium*: alteram quæ est Reverendi Patris Philippuci, *Librum Yeking*, qui purum Atheismum & fortes ducendi modum superstitiosum in primis continet, *Summam esse optimæ doctrinæ Physicæ & Moralis.* Itaque has duas propositiones, & duas alias, haud melioris notæ, quæ Reverendi Patris Prosperi Intorcettæ sunt, hoc in Vicariatu prohibui.

Septi-

Septimum Declarationis caput ſpectat ad Sinicos libros, qui aliquos Miſſionarios non mediocriter torquent. Sunt enim ex illis libris non pauci, quos in Scholis docere idem fere eſt atque Atheiſmum & diverſos quibus ſcatent errores propagare. Cum alia tamen dogmata contineant ſatis utilia, quæ ad mores pertinent, & ſumme difficile ſit illos à Sinis non legi, temperamentum aliquod adhibendum eſſe viſum eſt, quale in ipſa Declaratione legitur.

Superſunt Capita amplius decem, quæ non omnia ad idololatriam ſpectant. Super quibus tamen Miſſionarios uniformes eſſe deſiderandum eſt. De illis nihil ſtatui, ne ſi plura ſtatim conſequi vellem, nihil prorſus conſequerer. Duo ex illis majoris momenti referam, meamque in Eminentiarum Veſtrarum conſcientiam exonero. Primum eſt de uſurâ, quam peccatum eſſe, quantum animo complector, pauci Sinæ norunt; niſi forte notabiliter in uſuris exigendis exceſſus ſit. Generatim verò triginta, ut aiunt, pro centum accipere, nec plerique Sinæ ſcrupulum habent, nec multi Miſſionarii ſcrupulum movent: alterum caput eſt de exhibita à Literatis in Confucii templo, coram ejus tabella reverentiâ. Præter eas enim difficultates quæ ad tabellas & loca Confucii cultui dicata ſpectant; hoc me momentum male habet: Confucium, quidquid de illius probitate ac pene Sanctitate Patres Societatis dixerint, Atheum & Atheorum principem fuiſſe non dubito. Id verò

rò certum eſt; hodierni Sinæ, qui (eſto paucis exceptis, ut ſæpius dixi) Athei ſunt, & ſuam à Confucio doctrinam, Atheiſmumque accepiſſe ſe profitentur, Confucium Atheum fuiſſe non dubitant. An verò liceat coram Atheo uti Magiſtro in reverentiæ ſignum, & ad grates, ob acceptam ab eo doctrinam, non eam quidem quæ cum Atheiſmo commercium non habeat, ut verbi gratia medicinam, ſed quæ Atheiſmum intrinſece complectatur, rependendas reverentiam exhibere liceat; velim ſuper ea re Eminentiſſimi Cardinales judicium ferant. Parti affirmativæ favet, quod Confucius nonnulla dogmata, quæ ad mores attinent, non peſſima tradiderit; quanquam tota Sinica Philoſophia, ſeu Phyſica, ſeu Moralis, in Atheiſmi principiis fundetur.

Venio ad tertium hujus ſcripti articulum, ad ea nimirum, quæ ad negotium evertendum objicientur.

Vix dubito quin Patres Societatis, uti jam fecerunt, dicant ſtatim me hæreticum & Janſeniſtam eſſe, Regularium, & præcipuè Societatis inimicum; hæ ſunt enim primæ injuriæ, quibus, qui Societati non placent, iis in locis appetuntur.

Quod ſpectat quidem ad hæreſim & Janſeniſmum, hanc quantumvis gravem calumniam non reformido. Cum enim, per Dei gratiam, fidei Catholicæ addictiſſimus ſim, pro quâ tuendâ vitam profundere exopto, probare me apprime Catholicum eſſe, quacumque ratione & quotieſcumque id opus erit, nunquam detrectabo.

Quod

Quod ſim Regularium adverſarius, huic calumniæ magna ex parte, præſentiſſimum, Eminentiſſimi Cardinales, novis, quæ lata eſſe dicuntur, Decretis, remedium attulere. Cum enim plerique, qui id annis ſuperioribus dicerent, non me, ſed Sacræ Congregationis cauſam inſectarentur; cumque illi ſe ab ea, in quam à Patribus Societatis adducti fuerant ſpe dejectos eſſe ſentiant, vix credam ullum, præter Patres Societatis, eo me nomine delaturum eſſe. Quin etiam perſuaſum habeo nullum è meo Vicariatu Regularem eſſe, qui ſponte ab ea me calumnia non vindicet.

De concepto erga Patres Societatis odio, cum Deus unus ſcrutator cordium ſit, unus novit quid ſit in homine; at mea mihi conſcientia teſtimonium reddit, non alio me animo Declarationem, de qua nunc agitur, & Miſſionariis hujus Vicariatus regulam tradidiſſe, quam quia rem pro mei officii ratione Deo gratam facturum eſſe credidi: qua de re canonicum juramentum præſtare paratus ſum.

Si ſatis eſſet aliquem habitæ adverſus Societatem inimicitiæ accuſari, ut quidquam contra illius beneplacitum decernere non poſſet; neque Eminentiſſimi Cardinales hac in cauſa, aliiſque multis judices eſſe poſſent. Neque enim inferiorem in illo inimicorum Societatis Catalogo locum obtinent; qua de re poterunt, ſi ita videbitur, à Chariſſimo fratre noſtro Ludovico Quemener ſciſcitari quid Reverendus Pater Philippucci nuper Viſitator ſen-

ſentiret; quidve non ex ſua ſolum, ſed ex Societatis ipſius ſententia diceret.

Objicietur etiam, me, cum annis decem ſiluiſſem, nunc tandem ex concepta ob amotum Vicariatum Apoſtolicum indignatione rem iſtam aggreſſum eſſe, cum jam omni juriſdictione excidiſſem.

Si minus temporis in illis quæſtionibus expendendis inſumpſiſſem, quæ certè multum laboris & ſtudii poſtulant; id Patres Societatis mihi crimini darent, meminique cum mihi recens in Chinam ingreſſo dicerent, neminem, niſi decem annos in China degiſſet, his in rebus audiri poſſe. Totum igitur tempus inſumpſi, ut, re diligenter examinata, illius quod à me decerneretur, accuratè rationem redderem. Ab eo tempore, quo de obtenta circa Miſſionum regimen à Patribus Societatis cauſâ, nuntii venêre, ad uſque tempus, quo memoratam Declarationem publicavi, annus & dimidius effluxit. Sane ſi rem præcipitare, & quavis ratione contra Patres Societatis ſententiam dicere voluiſſem, non tandiu negotium protraxiſſem.

Cum de eo negotio primum cum Patre Joſepho Monteyro actum eſt, tres menſes poſtulavit, ut Societatis ſententiæ fundamenta mihi exhiberentur, iis elapſis, eorum fundamentorum loco, venit epiſtola Reverendi Patris Viceprovincialis, qui me rogabat, ut reſponſum alterius è Societate præſtolarer. Illud me totos ſeptem menſes expectaturum eſſe pollicitus ſum, cum tunc temporis nondum

quidquam contra Vicariorum Apostolicorum auctoritatem Reverendi Patres attentassent, cumque tunc etiam crederem in procinctu esse, ut quæ facta dicebatur Vicariorum Apostolicorum revocatio autenticè publicaretur. Multa interim Reverendus Pater Josephus Monteyro perperam gessit; elapsisque septem mensibus, quos me Patrum Societatis responsa expectaturum promiseram, nihil omisi, ut si qua esset concessa prius ab Apostolica Sede jurisdictionis revocatio, palam exhiberetur. Qui odio & indignatione moventur, non ita se gerere consueverunt.

Verum est me non credidisse, literas quibus Reverendus Pater Josephus Monteyro ab aliquo Indiarum Ordinario Vicarius *de Vara* constituebatur, (si tamen Indiarum Ordinarius est, qua de re nullo autentico documento constat), nullo exhibito Sedis Apostolicæ Mandato, sufficere, ut Vicarii Apostolici jurisdictione exciderem. Quas literas, uti jam dixi, Reverendus Pater obtrudere non potest, quin juxta ea quæ hactenus apparent, se in latæ sententiæ excommunicationem incurrisse comprobet.

Atque etiam singulari divinæ providentiæ tribuendum esse censeo, non prius allatam factamve fuisse Vicariorum Apostolicorum jurisdictionis revocationem, quam negotium, de quo agitur, peregissem. Siquidem maximi momenti, maximeque necessarium negotium est, quod amotis Apostolicis Vicariis sperari vix potest, ut aliquando conficiatur. Qui enim

nim Missioni praeerunt, vel erunt è Societate, quod Societas mirum in modum desiderat, vel Societatis nutui addicti & quodam modo mancipati futuri sunt. Quare nisi antea remedium afferatur, malum extra spem remedii futurum esse omnes arbitrantur: Quod si Vicariis Apostolicis brevi amovendis, Patribusque Societatis per universam Chinam late dominantibus res incassum recidat, equidem quod meum erat feci, quod mihi sufficit.

Aliud momentum Reverendi Patres obtendunt, me scilicet alios hujus Missionis Operarios, ac praesertim Reverendissimos Vicarios Apostolicos consulere debuisse, qua in re meo me officio defuisse non puto.

Ex quo in Chinam ingressus sum, nullam occasionem praetermisi, ut aliquam circa res istas tam necessarias notionem acciperem: nullum Missionarium vidi, quocum, si per tempus licuerit, his de rebus non sim collocutus. Quod longè diligentius praestiti postquam Sacrae Congregationis beneficio Vicarius Apostolicus renuntiatus sum, quia officii mei esse existimavi, ut animum rebus illis expendendis adjungerim. Quare per me ipsum & per Charissimum fratrem nostrum Joannem Basset Apostolicum Provicarium, qui magnam pro loci, in quo versatur, commoditate cum Missionariis agendi opportunitatem habet, plerorumque Missionariorum sententiam rescire conatus sum; idque non obiter, vel quasi per ludum, sed serio, & ad scrupulos, qui animo insidebant, ut ipsis Missionariis dicebamus, evellendos. Fateor me multis non

 dixisse

dixisse mihi esse in animo, ut aliquid his de rebus decernerem, & ut eodem modo Charissimus frater noster se gereret, auctor fui, quia sunt Missionarii, qui si id cognovissent, nunquam adducti fuissent ad dicendum, quid animo sentirent.

Præterea nullum credo esse in Ordinibus Sancti Dominici & Sancti Francisci scriptum his de rebus commentarium vel documentum alicujus momenti, quod mihi communicatum non fuerit. Et è Societate quidem, licet ab aliis quam è Societate Missionariis, præter alia documenta leviora duos tractatus habeo à duobus Reverendis Patribus Brancati & Le Faure compositos; qui duo Reverendi Patres à Superioribus præ cæteris omnibus, electi sunt, ut Societatis sententiæ rationes & momenta in lucem ederent, quique nihil eorum prætermisisse videntur, quæ ab aliis unquam Societatis Missionariis eamdem in sententiam dicta, scriptave fuerant. Nec temere affirmavero, difficile esse plura & majora his de rebus documenta colligere, quam quæ ego summâ diligentiâ collegi.

Cum etiam Reverendus Vicarius Apostolicus Provinciæ NanKing Joannes Aleonissa Cantonem anno superiori venerit, memoratus Frater noster Joannes Basset, meo rogatu, cum illo iis de rebus egit, & quid ab illo audiisset, mihi per literas significavit. Locutus est etiam cum Illustrissimo Episcopo Argolicensi, sed de illius sententia nihil ad me scripsit, quia cum Revendus Episcopus nec linguam

guam nec literas Sinicas calleat, propriam, ut opinor, iis de rebus sententiam non habet. Juris mei non est Comitia generalia indicendi, quæque aut omnino, aut sine magna difficultate haberi non posse, nemo qui res hujus Missionis novit, bona fide non confitebitur. Quare me intra limitas Vicariatus mei continui. Patres Societatis per decem & amplius menses expectavi ut promissis starent; singulos pariter Missionarios admonui tam è Clero, quam è Regularibus Ordinum Sancti Dominici & Sancti Francisci, qui suos Superiores, de eo quod me facturum significaveram, certiores facere potuerunt; & quod magis est, feci ut singuli in Metropolim venirent, uno dempto, qui longius abest, qui paulo ante venerat, mihique suam in scriptis sententiam dederat. Cum illis omnibus egi, magnâ confidentiâ, & animi sinceritate. Quid aliud desiderari poterat, ut res canonicè procederet?

Ad hæc quæ hactenus commemoravi, suam *irrefragabilem*, ut loquuntur Reverendi Patres, *probabilitatem* obtendunt, & tanquam inexpugnabile propugnaculum omnium argumentorum telis objiciunt: quod scilicet multi in Theologia, & Sinicis literis verrsatissimi è Societate Missionarii eam opinionem probabilem esse tuiti sunt; quod cum Reverendi Patres dixere, os illis, qui contradicunt, obstruxisse sibi videntur. Qui locus cum præcipuus sit, accuratius pertractandus est, nonnullaque in Patrum Societatis auctoritatem, quæ tantopere jactatur, observanda sunt.

 I. Mul-

I. Multi quidem fuerunt in hac Miſſione Societatis Operarii: ad hanc enim uſque ætatem centum circiter numerantur. Sed non omnes his in rebus verſati fuere: ſi ex illis qui nunc in Miſſione ſunt judicium feramus, duos vel tres inveniemus, qui his de rebus agere valeant. Quantæ autem ii qui vita functi ſunt, in Sinicis diſciplinis peritiæ & eruditionis fuerint, ſcire non ita facile eſt; quia homini è Societate apud ſuos doctrinæ famam comparare non eſt difficile.

II. Neque verò exiſtimandum eſt, omnes è Societate Miſſionarios in eà quæ deinde prævaluit ſententiâ fuiſſe. Ex Patre enim Longobardo accepimus ſententiam Reverendi Patris Matthæi Riccii multis gravibus è Societate Viris diſplicuiſſe, eamdemque à tribus Viſitatoribus in dubium revocatam eſſe; ex quibus Pater Franciſcus Vieras tantum non Patris Matthæi Riccii ſententiam proſcripſit. Ulterius proſecutus eſt Andreas Palmeirus, & ipſe Viſitator, qui poſtquam Sinæ reſidentias obiiſſet, collato cum Illuſtriſſimo Epiſcopo D. Valente & aliis Macaenſibus Theologis conſilio, ſub præcepto prohibuit, quominus Reverendi Patres voce *Xang ti* ad Deum ſignificandum uterentur; quam prohibitionem paulo poſt revocaſſe dicitur. Ex ejus tamen literis apparet privatam illam ſententiam non mutaſſe.

III. Obſervatione dignum eſt, quod jam ab eo tempore (ut refert idem Pater Longobardus, qui Patri Matthæo Riccio in regimine Miſſionis proximè ſucceſſit), qui Patris Riccii

Ricci ſententiæ adhærebant, quorumdam Chriſtianorum reſponſione contenti, ægre patiebantur rem in examen adduci, dicentes hanc diligentiam frivolam; nimirum Chriſtianorum reſponſionem ſufficere, ut cauſa decideretur, opuſque non eſſe amplius quæſtiones illas ventilare, ita ut Patres illi ne cum aliis quidem è Societate, qui contra ſentiebant diſputare vellent; tantos verò ſcrupulos in Societatis Miſſionariorum animis excitabat liber, quem contra Patris Matthæi Riccii ſententiam juſſu Viſitatoris, Pater Longobardus ediderat, ut Viceprovincialis Chinæ Franciſcus Hurtado, qui Patris Matthæi Riccii opinioni impenſe favebat, librum Patris Longobardi flammis damnaverit; ad ſedandas, inquiunt, difficultates, quas multi è Societate patiebantur, anno, ni fallor 1645.

Non abs re erit de Patre Franciſco Hurtado aliquid referre, ut de illo illiuſque ſententia judicium feratur. Illum cum in Provinciæ Fokienſis Metropoli verſaretur, duo Miſſionarii, Reverendus Pater Joannes Baptiſta de Morales, & Reverendus Pater Franciſcus à Matre Dei, hic Ordinis Minorum Commiſſarius, ille Ordinis Prædicatorum Viceprovincialis, convenêre, & de quibuſdam capitibus conſuluêre.

Percontati ſunt ab eo I. Num Patres Societatis Chriſtianos ad jejuniorum, feſtorum, confeſſionis & communionis annuæ obſervationem ſub mortali obligarent? Reſpondit quod licet illis ſuaderent ut illa ſervarent, ſub

mortali tamen non obligarent? quia multum adhuc debiles erant, ut hæc illis obligatio imponeretur.

II. Percontati sunt quidnam Patres Societatis permitterent circa oblationes, aliasque ceremonias quæ hoc in Regno circa defunctos Progenitores adhibentur? Respondit, Christianos docemus, ut in illis actionibus non petant, vel sperent quidquam à suis defunctis, nec credant animas descendere, aut residere in illis tabellis, nec papyraceos denarios comburant; reliqua vero omnia fieri posse.

III. Percontati sunt quidnam iidem Patres Societatis Christianos facere permitterent, coram statua *Ching hoang*, illius in templo, cum Præfecturæ professionem inirent? Respondit quod Doctor Paulus docuit & dixit, (non est ille Paulus Gentium Doctor & Apostolus) has omnes ceremonias fieri posse, si modo crucem in manu tenerent, ad quam intentionem dirigerent. Addidit verò Pater Viceprovincialis, istud est, quod Paulus dicit; Ego verò dico quare istud fieri non poterit? Scandalum ibi non occurrit, quandoquidem sciunt Christiani actionem illam ad crucem dirigi, gentilesque putant illum actum licite fieri erga *Ching hoang*. Annon possum ego in templo idolis hinc inde referto, horas Canonicas recitare, & genuflexiones Domino facere?

IV. Percontati sunt an ex eo quod Missionarii prædicarent & in Ecclesiis haberent crucifixum,

cifixum, inde alicujus Missionarii exilium sequeretur? Respondit illud inde non sequeretur, verum Gentiles scandalizabuntur, ut Beatus Paulus dixit, gentibus stultitia.

Reverendi Patris responsiones, eorum qui audierant alter statim scripto tradidit, ne quid forte postea minus accuratè scriberetur: uterque verò juramento adhibito testatus est, rem ita scriptam esse atque à Reverendo Patre audierant, quorum testimonium in Archivio Patrum Dominicanorum servari Reverendus Pater Franciscus Varo suis in scriptis affirmat. Ex iis autem Responsionibus judicari potest, quid & quantum ejus qui illas dedit, ac Reverendi Patris Longobardi Librum flammis addixit, auctoritati tribui debeat. Nihilominus eo lato à Viceprovinciali in Librum Decreto, de Patris Longobardi sententia in Societate conclamatum est.

IV. Ut ad extrinsecam Patrum Societatis probabilitatem redeam; vel illorum qui prius extiterunt, quam Patris Longobardi Liber flammis addiceretur, vel eorum qui postea secuti sunt auctoritas ad Societatis opinionem amplectandam nos impellit. Si de prioribus agatur, cum anxii super ea re, & in diversas inter se, discrepantesque sententias distracti fuerint, non majorem erga Reverendum Patrem Riccium, ejusque sequaces reverentiam adhibere tenemur, quam qui, illorum auctoctoritate prohabita, de re ipsa diu, multumque disceptarunt, atque oppositæ sententiæ adhæserunt. Et certe quis sibi persuadeat Reverendum Patrem Matthæum Riccium, quem

aliunde plurimum veneror, primis illis temporibus, tantum assecutum esse, ut illi repugnare non licuerit.

V. Non magis urget, post rigorosum, ut probabilitati serviretur, libri comburendi Decretum, unanimis recentiorum consensus. Neque enim apud virum prudentem magni ponderis est illius assensus, qui dissentire non potest, cuive aliter quam sentit sentire non licet. Nec verò probare soleo, inquit Tullius, id quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt si quid affirmarent in disputando, cum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, *ipse dixit* Ipse autem erat Pythagoras. Ita Patrum Societatis causa est: non minus Superioris, quam sui Pythagorici Præceptoris dictis tribuunt; eisque, ut ejusdem Tullii verbis utar, obest plerumque, qui discere volunt, auctoritas eorum qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere; id habent ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vident. Atque id eo verius est, quod his in quæstionibus, non tam quid rei sit, quam quid probabile investigent, cumque sibi difficile persuadeant, id quod à Reverendo Patre Viceprovinciali statutum est, non esse probabile, si qui forte scrupulis agitantur, illos, quod sibi totis 13. annis contigisse Pater Longobardus commemorat, Superioris auctoritate, cui hac potissimum in re refragari piaculum est, paulatim compescunt.

Quæ res quot & quibus acciderit resciri non potest. Patris Longobardi opus si omnino

no periiſſet, de habitis inter ipſoſmet Patres Controverſiis, de Viſitatorum in ea quæ nunc viget, oppoſitam ſententiam propenſione, deque aliis rebus quidquam audire difficile fuiſſet. Ipſe Pater Longobardus, quem tandem nonagenarium Superioris ſententiæ acquieviſſe nonnulli referunt, nobis tanquam ejuſdem ſententiæ aſſertor proponeretur. In multis ſane rebus cæca erga Superiores obedientia, laudanda eſt; at ei qui in ferendo de graviſſimis rebus judicio, obedientia ducitur, auctoritatem non conciliat.

Quis verò apud nos Scotiſticæ, verbi gratia, doctrinæ veritatem ex eo metiatur, quod ii qui in Scoti verba jurant, doctrinam illius tueantur? Cum tamen qui Scoto adhærent ejus ſententias uti veras & certas amplectuntur; tota verò Societatis praxis *na irrefragavel probabilidade de opiniao*, ut antea ex Patre Viceprovinciali retuli, fundatur: quod valdè notandum eſt: adeo ut quæri non debeat, multoque minus ſciri poſſit, quot ejus, quam Societas tuetur, ſententiæ fuerint, ſed quot illam, ut probabilem, & quidem plerumque propter extrinſecam auctoritatem, quia ipſe dixit, admiſerint.

Adde quod huic Patrum Societatis ſententiæ, ut cuivis laxiori doctrinæ adhærere facilius ſit, in eamque omnes à naturâ, ut ita dicam, quæ difficultatis & laboris inimica eſt, propendeant. Commoda enim inprimis illa ſententia eſt, nec quidquam Miſſionario lætius accidit, quam ut in fide Parentum ea

Sinis

Sinis permittat, quæ à Sinis non fieri, non nisi ægre obtineret.

VI. Sunt tamen è Societate, qui non auctoritate solum, sed rationibus sententiam defendunt. Nihil verò æquius est, quam ut illorum rationes audiantur. Equidem in Commentariis à Reverendis Patribus editis, quos hactenus legi satis magnam Sinicorum Librorum ignorantiam, absurda non pauca, multa cum ratione & veritate pugnantia animadvertisse mihi videor; & siquidem de auctoritate ageretur, dixi me duos habere Tractatus à Reverendis Patribus Brancati, & le Faure compositos, qui nihil quidquam eorum omisisse videntur, quæ magni illi viri, quorum auctoritate Societas cæteros omnes regere desiderat, ad Societatis tuendam sententiam protulere.

Si Societas his duobus tractatibus stet, nihilque amplius ad suæ sententiæ tuitionem afferat; ego minimus omnium, & illis duobus Tractatibus adjunctâ etiam prima Operis cujusdam nuper à Reverendo Patre Philippo Couplet Parisiis typis editi parte, quam unam huc usque legere licuit, atque ex Apologia Reverendi Patris Michaelis Tellier in iis quæ ad Chinam spectant (neque enim de aliis rebus mihi parum notis judicium ferre possum) ex illis, inquam, Operibus spondeo me, quoties Sacra Congregatio jusserit, ostensurum, Patrum Societatis auctoritatem in istarum quæstionum examine, valdè levem & tenuem esse; nullam verò illos, cum ea referunt,

ferunt,

ferunt, quæ ad easdem quæstiones pertinent, aut pene nullam fidem mereri.

VII. Quod si Societas ex illis Operibus nondum suam causam dijudicari velit, profecto stupendum est, & indecorum cum tot in Missione, ut Reverendi Patres asserunt, eximii Theologi, & in Sinicis literis versatissimi extiterint ab annis amplius 60. quibus Societas in materia tam gravi, quæ ad idololatriam spectat, ab aliis virtutis & eruditionis non contemnendæ Missionariis accusata est, nondum aliquod Opus haberi quod & Societati, & cæteris, qui clariorem aliquam notitiam inquirunt, satisfaciat; sique illi ipsi, qui Superiorum nomine & jussu scripsêre, quique proinde non imperitiores à suis judicati sunt, minimè satisfaciant, estne rationi consentaneum, ut propter illorum aliorumque peritiæ famam, quæ facile apud suos illis conciliatur, aut quia Reverendi Patres promittunt, se aliquando partum edituros, qui præstantissima luce tenebras omnes dissolvet, extrinseca Reverendorum Patrum probabilitate nos, contra id quod sentimus regi sinamus?

VIII. De libris Sinicis à Reverendis Patribus editis, qui in probabilitatis confirmationem sæpius proponuntur; utinam libri illi omnes tam egregii forent, ac ventitantur. Scimus autem quotquot hîc sumus, quæ Europæo in Sinica lingua peritia necessaria sit, ut de Religione Christiana plerosque illos libros ediderit; ea nimirum quæ sufficit, ut à Literato Sina, cujus vulgo totum est, quidquid

quid Sinicum est, cum loquitur, audiri & intelligi possit.

IX. Quid verò si nonnulla odiosa refricaremus? Si tradita, verbi gratia, Sinis Neophytis doctrinæ Methodus scripta à Visitatore, qui Missioni Sinicæ præest, semel & iterum, Lusitanicè primum, ac deinde Italicè edita, ac Reverendo Patri Generali nuncupata; quam propter diversos errores, qui Reverendis Patribus irrefragabiliter probabiles videbantur, Sedes Apostolica speciali Decreto proscripsit: si non levis, quæ in Societate animadversa est, ad Cœli viam, bono quidem Zelo, dilatandam, & minus austeram doctrinam amplectandam propensio; hæc & similia si enucleatim perpendantur, haud difficile existimabitur quam interdum utile sit, quæ à Reverendis Patribus, his præsertim in locis, sancita sunt, diligentiori examine retractare.

X. Etiamsi id concederetur, quod Reverendi Patres extorquere volunt, eorum opinionem esse probabilem (quæ mihi quidem falsissima videtur), nonnulla dubia Sacræ Congregationi proponam, quæ mihi sæpius occurrunt. Cum de Petro vel Paulo agitur, quæriturque, verbi gratia, an jejunii servandi vel missæ audiendæ lege certa die teneatur, necne, detur aliquid probabilitati, in præsenti nihil moror: at ubi de idololatria agitur, nec de facto aliquo particulari, sed de generali per universum Sinicum Imperium consuetudine, constanti usu adhibenda, an in hac hypothesi primo de colendo Deo præcepto,

cepto, ac supremæ veritati quam prædicamus, fiat satis, si non adeo ad rei veritatem attendendo, opinionis tantum probabilitas investigetur, & hoc ipso quod probabilis opinio ab aliquibus judicetur, tanquam certa & indubitata in praxim adhibeatur? An Ecclesiæ Sanctitate & decori conveniat, ut ei ab hæreticis exprobrari possit, alteram Missionariorum partem ea passim Christianis permittere & ipsos Missionarios interdum facere, quod pars altera tanquam nefandum & idololatricum scelus condemnat? An fidei puritati consentaneum sit, ut illi ipsi Missionarii qui praxes illas & ritus superstitiosos esse arbitrantur, eos Christianis permittant, eo quod alii affirment, sibi probabile videri, quod ritus illi politici sint & civiles? An liceat in illa opinionum probabilitate, & aliquando absque ulla necessitate, ut in Tabella *Cœlum colito*, contingit, ea quæ idololatriæ suspecta sunt in Ecclesiis erigere? Super his dubiis Sacræ Congregationis judicium vehementer optandum esse censeo.

XI. Plura hac in materia dici possunt, quæ brevitatis causâ prætermitto. Solummodo de Sinarum Christianorum auctoritate, paucis ea referam, quæ dicebat Pater Longobardus Vir, quidquid alii dixerint, magnæ saltem apud Sinas experientiæ; *dico*, inquit, *nostros Literatos Christianos ita consulere nobis, tum quia nondum penetrant quantum præjudicet in materiis de quibus agimus tantillum erroris esse; tum etiam quia dissimulari desiderant, prætextu scilicet*

cet, quod nostra Sancta Lex cum sua Secta combinat, ut sic notari non possint se externam sequi legem; at nostri Patres aliis superioribus ideis debent procedere, ab illis duci se non patientes, sed potius ducere eos quemadmodum parti utrique convenientius esse intellexerint. Hæc Reverendus Pater, quibus addere posse mihi videor tales esse Sinas, ut, meâ quidem sententiâ, iis quæ hac in materia, & plerisque aliis magni momenti dicunt, sine gravi peccato fidere nemo possit.

Quartus & ultimus articulus est de successu, quem res habuit. Omnes hac in Provincia paruêre, præterquam memoratus Pater Josephus Monteyro, cum alio Sacerdote Sina, qui hac etiam in Provincia versatur, & omnino incapax est, qui his in rebus audiatur. Idem etiam dicendum puto, quod scilicet non paruerit, de alio è Societate, qui in Provincia *Kiangsi* commoratur, & unius in Fokiensi Ecclesiæ curam gerit, qui hactenus literis meis respondere non dignatus est; neque unquam speravi, ut quantacumque auctoritate Vicarii Apostolici pollerent, Patres Societatis ab uno sententiæ suæ apice discederent; multo magis, cum jam Apostolicorum Vicariorum jurisdictionem impugnent.

Duo verò à Sacra Congregatione enixè postulo; primum si rem in judicium adduci voluerit, curet ut ea cum Patribus Societatis discutiatur. Romam, si Sacra Congregatio jusserit, & per sanitatem licuerit, ire cum aliquo socio paratus sum, aut faciam, ut duo è nostris

noſtris Miſſionariis, qui plenam rei notitiam habeant, Romam ſe conferant. Unus enim in negotio tanti momenti non ſufficit. At velim ne prius proficiſcamur, quam Patres Societatis profecti ſint, aliàs iter inutile ſuſcipiemus. Omnibus enim perſuaſum eſt, Patres Societatis nihil omiſſuros, ut judicium refugiant. Quidquid verò Sedes Apoſtolica decernet, ſi minus illis placeat, Decreto non parebunt: cauſabuntur ſe auditos non fuiſſe; opportunam captabunt occaſionem, novam & ad ſuam ſententiam accomodatam narrationem proponendi, ut tempore Patris Martinii factum eſt; amicis in curia non carebunt, qui illis faveant; rectum quidem & optimum ſed diverſum pro narrationis diverſitate Decretum impetrabunt, dicent iterum, ſe in judicio contradictorio cauſam obtinuiſſe; fientque noviſſima pejora prioribus.

Alterum quod etiam vehementer rogo, iſtud eſt, ut ſi Sacra Congregatio non probet rem iſtam examinari, aut eam in longum trahi ſinat, nobis interim ſignificet, an quia Patres Societatis ea probabilia exiſtimant, quæ nos illicita & ſuperſtitioſa eſſe ſentimus, eadem (ut volunt Reverendi Patres, & vehementius volent, ſi, quemadmodum ſperant in Miſſione dominentur) Chriſtianis permittere debeamus. In Metropoli Fokienſi, die decima Novembris 1693.

CAROLUS MAIGROT, P. I.
Vicarius Apoſtolicus Fokienſis.

EPISTOLA

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini

CAROLI MAIGROT,

Vicarii Apostolici Fokiensis nunc Episcopi Canonensis.

AD

INNOCENTIUM XII.

Summum Pontificem.

Beatissime Pater.

CAusam ad Supremum Sanctitatis Vestræ Tribunal offero, quæ tametsi id officii mei ratio non exigeret, non alio pro rei gravitate, quam Sedis Apostolicæ judicio terminari finirique potest. Viget ab annis circiter sexaginta in Sinarum Missione gravis dissensio circa nonnullos Sinicos usus, tantoque majori animorum contentione ea de re controvertitur, quod ad idololatriam ac proinde ad Religionis caput attineat.

Neque cum idololatriam dico, id ita velim intelligi quasi ulli sint in China Missionarii, qui

qui in crassam turpemque idololatriam impingant, aut alios impingere permittant, quod sine ingenti calumnia dici non posset. Sed quemadmodum ii Theologi, qui verbi gratia, contractum *Mohatra* licitum esse censebant, usuram permittere dicebantur, quia id usuræ labe eximerent, quod revera usurarium est; ita non pauci sunt Missionarii, qui certos ritus Christianis permittunt, & nonnihil ipsi in usum adhibent, quod ipsi quidem probabiliter sibi videri dicunt licitum & mere politicum, quodque alii itidem non pauci superstitiosum & idololatricum esse asseverant.

Quæ res si ad cognitionem tantum, non ad actionem & praxim spectaret, haud esset magni momenti; sed qui Sinicos ritus, de quibus agitur, probabiliter esse politicos affirmant, iidem alios ad opinionem suam probabilitatis nomine cohonestatam sequendam in conscientia obligari contendunt. Nec sane desunt Missionarii qui quos ipsi ritus superstitiosos & idololatricos esse existimant; eos diversis saltem in locis Christianis indulgent, hoc scilicet obtentu, quod Christiani, cum non paucorum Missionariorum auctoritate nitantur, in bona fide relinquendi sint; idque non obiter, nec semel aut iterum, sed continua plurimorum annorum praxi. Ex quo perturbatio Religionis, tantaque confusio sequitur, ut sicut alias Sacræ Congregationi significavi, dubitari merito possit, an qui sunt in China Christiani, iidem fere omnes non sint & idololatræ.

Itaque magnæ illius (in qua vivebamus)

confusionis pertæsus, cum Christiani sciscitarentur, quid in re tanti ponderis agendum esset; cum instarent Missionarii, conscientiamque meam exstimularent, & quascumque, ut aiebant, hominibus idololatriæ suspicione laborantibus, absolutiones Sacramentales impertirentur, in me rejicerent: cum incredibile eorum qui ritus, de quibus controvertitur, licitos esse tuentur, studium cernerem, ut, inducta veluti præscriptione, sententiam praximque suam, quam post satis diligens examen, nulla firma ratione inniti sentiebant, stabilirent; cum non paucis pro utraque parte epistolis & documentis Romam missis, nihil conficeretur, sed quodam modo tenebræ quæstioni offunderentur; nihil mihi rem animo coram Deo diu multumque revolventi, convenientius esse visum est, quam ut aliquis saltem Vicarius Apostolicus utriusque sententiæ rationes & momenta expenderet, & cuinam praxi, per interim, suo in Vicariatu adhærendum decerneret.

Præterquam quod enim Religioni indecorum & nocivum est, ut res hujusmodi incertè fluctuent, minimè dubitavi, quin ii Missionarii, quibus Vicarii Apostolici sententia non arrideret, adversus eum graviter expostularent, ac vicissim Apostolicus Vicarius suam apud Sedem Apostolicam sententiam tueretur; ita ut & sibi invicem difficultatis elucidandæ necessitatem, & Apostolicæ Sedi peremptorii judicii ferendi opportunitatem afferrent.

Quare super his rebus magna saltem ex parte Vicariatus Fokiensis Missionariis regulam

tradidi

tradidi quam interim servarent, donec aliter à Sanctitate Vestra decerneretur. Regulam hanc ad Sanctitatis Vestræ pedes defero, ut ipsa judicium ferat, ac deinceps omnes, quotquot Sanctæ Sedis mandatis parere cordi est, atque ego in primis, alacri animo judicatum faciamus.

Atque hæc duo mihi vere coram Sanctitate Vestra dicturus esse videor:

Primum quidem quod ita me in hoc gravissimo negotio gerere conatus sim, ut Deo Opt. Max. cum in hora mortis id exiget, rei gestæ rationem redderem.

Alterum verò, quod ad ea omnia, pro virium tenuitate, præstanda paratus sum, quæ Sanctitas Vestra jusserit, non tam ut mea illi sententia probetur, quam ut res elucidetur, & cum Patribus Societatis, qui uni hoc in Vicariatu parere noluerunt, causa discutiatur. Licet enim meam, quæ mihi certo tenenda visa est, praxim hoc in Vicariatu servandam statuerim; statum nihilominus quæstionis & utriusque sententiæ fundamenta ita candide & sincere exponam, ut pro magno piaculo haberem vel minimum quid sciens volensque occultare, quod praxi quam amplexus sum adversaretur.

Superfunt aliæ quæstiones quæ non omnes ad idololatriam spectant; quas tamen definiri optandum esset. Aliquas ut potè difficiliores nondum attingere volui, ex quibus una quæ me maximè perterret, spectat ad usuras. Nullum enim aut vix ullum video, qui pecunia mutuo data, triginta saltem pro centum, ut

aiunt, accipere dubitet, quod multi Missionarii permittunt eas ob causas, quæ si veræ sunt, non satis intelligo cur Prophetæ, cur tot Summi Pontifices & Sancti Patres tantopere in Usurarios inveherentur, cum de nomine magis, quàm de re quæstio versari videretur.

Suos nonnulli Missionarii scrupulos mihi proposuêre, suam in me sententiam exonerantes, quasi mihi satis virium esset, ad praxim quæ rapido torrente vehementior omnia inundat, coercendam. Non aliud remedium video, quam ad Sanctitatem Vestram, quæ Pastor est Ovilis, & ad quam potissimum Oves per innocua pascua deducere pertinet, rem totam deferre, rogareque ut si forte ego severior hac in materia sim, in rem diligentius inquiri faciat, & malo, si quod sit, remedium afferat.

Aliud est negotium de quo breviter dicam. Qui è Societate Missionarius hac in Metropoli degit, me in alia remotiori ejusdem Provinciæ Urbe degente, & inscio, hujus Vicariatus Missionarios meque ipsum sibi, suæque jurisdictioni subjicere tentavit, palamque Christianis publicavit, me jam Vicarii Apostolici jurisdictione excidisse, ad se verò Provinciæ regimen pertinere. Unicum juris sui fundamentum exhibuit, literas scilicet quibus Illustrissimus Episcopus Macaensis cum Illustrissimi Archiepiscopi Goani nomine Vicarium *de Vara* constituit; cum tunc quidem auditum hìc esset, Episcopum Macaensem advenisse, nullò

nullo tamen id autentico documento cognoſceretur.

Cum Reverendus Pater facta memorata ad Chriſtianos denuntiatione Macaum ſtatim confugiſſet, nonniſi quatuor poſt menſes ex itinere redux ea de re mihi ſcripſit. Meam ad Reverendum Patrem reſponſionem hac in epiſtola incluſam humillimè offero, ſique ea in re adverſus debitam Sanctitati Veſtræ obedientiam peccaverim, quod ſane ſi contigit, præter intentionem factum eſt, cuicumque à Sanctitate Veſtra ſtatuendæ pœnæ prompto animo me ſubmitto: nihil enim mihi antiquius eſt, quam ut meam quibuſcumque occaſionibus promptam Apoſtolicæ Sedi parendi obſequendique voluntatem teſtatam faciam.

Sed hoc mihi cæteriſque Reverendiſſimis Vicariis Apoſtolicis, qui ſuam mihi per literas ſententiam ſignificarunt, & omnium Ordinum Miſſionariis, ab omni prorſus ratione alienum viſum eſt, nullo exhibito Sedis Apoſtolicæ Decreto (ne, ut Reverendus Pater mihi ſcripſit, mearum, & reliquorum Miſſionariorum, interpretationum ludibrio Mandata Apoſtolica exponerentur) velle ut Apoſtolici Vicarii, collatum ab Apoſtolica Sede munus abjiciant.

Durum autem & Religioni valdè noxium eſt ſimilia ſchiſmata identidem inter Neophytos cernere, & Patres Societatis, è quorum nutu Reverendiſſimi iſtarum partium Epiſcopi plerumque dependent, quia id è re Societatis eſſe exiſtimant, in Sedis Apoſtolicæ Miniſtros, communi omnium tam Miſſionario-

rum, quam Christianorum consensu Apostolici Vicariatus honore fungentes insurgere; cum præsertim Apostolici Vicarii, se omnium ad parendum promptissimos esse profiteantur; nec aliud quidquam, quam vel minimum Sedis Apostolicæ mandatum, quo revocentur, exhiberi postulent: si enim illa revocatio facta est, cur factam esse non exhibetur? Si vero minimè facta est, licet forte speretur futurum, ut brevi fiat; quæ tanta est in Patribus Societatis dominandi libido, ut ad id extorquendum, quod Sedes Apostolica non mandat, turbas & diffidia commovere non vereantur, quæ lacrymas è Sanctitatis Vestræ oculis elicerent, si ea propius intuerentur. Sanctitatis Vestræ pedes humillimè deosculor. Ex Metropoli Fokiensi die decima Novembris anni 1693. Sanctitatis Vestræ humillimus & obsequentissimus servus.

CAROLUS MAIGROT,

Vicarius Apostolicus Fokiensis.

EA-

EADEM

DECLARATIO

Illustrissimi Domini

MAIGROT,

PUBLICATA

A

Reverendissimo Domino

JOANNE BASSET

Baccalaureo Sorbonico, Provicario Provinciæ Kiansi Sinarum.

JOannes Basset Presbyter Provinciæ *Kiangsi* Provicarius Apostolicus omnibus ejusdem Provinciæ Missionariis salutem in Domino. Ante aliquot menses Reverendissimus Dominus Vicarius Apostolicus Fokiensis Declarationem quamdam & Mandatum circa nonnullos Sinicos usus, in suo Vicariatu publicavit tenoris sequentis. Carolus Maigrot Vicarius Apostolicus Fokiensis Sacræ Facultatis Parisien-

ſis Doctor Sociuſque Sorbonicus omnibus Vicariatus noſtri Conſacerdotibus ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus &c. Quam Declarationem diligenter & accuratè legimus. Cumque ſummo deſiderio teneremur iiſdem abuſibus, qui in ea prohibentur, in locis curæ noſtræ commiſſis remedii afferendi, nihil à nobis convenientius viſum eſt, quam ut eandem Declarationem in Provincia *Kiangſi* eodem prorſus modo, quo in Fokienſi ſervandam decerneremus: ſicut & per præſentes decernimus, & ab omnibus prædictæ Provinciæ Miſſionariis executioni mandari præcipimus, ac ſi qui ſint, quod Deus avertat, qui intra duos menſes à die intimationis numerandos parere neglexerint, conceſſas à nobis, aut à quocumque alio facultates revocamus. Datum in Urbe *Fu Cheu* die 30. Junii anno 1693.

JOANNES BASSET,

Provicarius Apoſtolicus Provinciæ Kiangſi,

EPI-

EPISTOLA

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Domini

JOANNIS FRANCISCI ALEONESSA,

Ordinis Sancti Francisci, Vicarii Apostolici Provinciæ Nanking, nunc Episcopi Beritensis electi ac Vicarii Apostolici Provinciæ Hukuang in Sinarum Imperio ex Hispanico sermone in Latinum conversa.

AD

Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum

CAROLUM MAIGROT.

Reverendissime Domine.

EX literis quas ad Episcopum Argolicensem misisti, Reverentiam Vestram integra esse valetudine, magna lætitia accepi. Has modo scribo, ut meam erga Reverentiam

rentiam Vestram voluntatem ac studium significem: at quia literarum, quas Christiano cuipiam natione Canariensi Februario mense hinc profecto ad ipsam dedi, Reverentia Vestra mentionem non facit, ut certum me reddat, an literas illas ab isto Christiano cui nomen est Rocco, acceperit: timeo enim ne ipsas amiserit, licet Pater Alcala Rocco illum mense Martii, per *Lanky* transiisse mihi significaverit. Porro Reverentiam Vestram admonitam volo nullam à te recentiorem epistolam me accepisse, quam cui vigesima Februarii dies adscripta est; huic verò per Patrem Alcala rescripsi. Tibi istud indicandi causa est, ut si aliam posthàc ad me scripsisses, eam ad me nondum pervenisse scias, quod quidem ne contigerit eo magis vereor, quod illam quam scripsisse ad me Reverendum Dominum Abbatem de Lione, Reverendis. D. Basset significat, nequaquam acceperim. Ego quidem valeo, & in hoc meo Vicariatu nullus se adhuc pro Vicario *de Vara* seu Episcopatus Vicario Generali se gerit; an clanculum id quispiam faciat nescio: in meo interim officio sto, atque stabo, donec Sedi Apostolicæ Sacræque Congregationi aliud visum fuerit. Reverentiam Vestram controversias de Tabellis & Avorum qui vita functi sunt, cultu decidendo, sui Officii munus executam ac tuitam fuisse, nihil dubito & hanc quæstionem istic movere jam non licet, quoad quem habituræ sint res exitum videam &c. quantumvis illam summopere necessariam judicem. Plurimi æstimo tuam cum Pat. Monteyro

teyro agendi rationem, eamque prudentiſſimam reputo nec facile capio quo pacto Pater iſte poſt viſa tam manifeſte contraria Decreta in tantum ſe peccandi periculum offerat. Tantâ profecto prudentiâ minimè ſe ſe geſſit in aula Pater Thomas Pereyra Viceprovincialis cum Reverendo Patre Fonteney aliiſque Patribus Gallis: cum enim vidiſſet Patrem Fonteney jam dictum ad Aulam accedentem in Eccleſiis habitare noluiſſe, ſed domum privatam, quam eidem Pater Gerbillon paraverat delegiſſe, neque ſuis juſſis obtemperare &c. ob eas quas jam novit Reverentia Veſtra rationes cauſaſve contra ipſum ejuſque Socios cenſuris agere cœpit, eoſque excommunicavit, declaravitque vitandos: quæ quidem immoderata agendi ratio non minus Miſſioni damno, quam ſcandalo fuit atque violenta. Verum hiſce Gallis Patribus favere Deo Opt. Max. placuit nam eo ipſo tempore Imperator Europæis Medicinis à Reverendis Patribus Gallis Gerbillon & Fonteney oblatis ex lethifero morbo convaluit; ita ut illorum Patrum beneficio ſe ſe vivere publicè dixerit, eiſque optimam domum intra Imperialis Palatii ambitum conceſſerit. Præterea hoc ſe animo eſſe declaravit, ut domo illa pro Eccleſia uterentur, quocirca præcepit *Kung pu* eam ut publicis expenſis adornaret, cui jam operi octuaginta homines incumbunt &c. Imperavit etiam Patri Luchi Medico, ac Chirurgo qui Lima nuncupatur ex Civitate Macao ut illam in Civitatem redirent, Patri verò Bouvet in-

jun-

junxit ut ad littus de Coromandel Imperatoris res (cujusmodi illæ sint Reverentiæ Vestræ judicium esto) curaturus se conferret, Patri autem Ossorio, ut eum *Ta Iin* in Canton pergerent, Patrem Grimaldi, si veniret excepturi, sin verò ibidem commoraturi &c. Cæterum Patri Bouvet magna munera contulit, qui cum aliis profectus jam ad Canton terrâ pervenit. Aliis porro beneficiis Patres illos Gallos prosecutus est, ipsosque amat, magnique facit. Quapropter literas ad Patrem Provincialem dedi, in quibus de excommunicationis vi sententiam meam non aperui, sed hortatus sum dumtaxat ut illam, utpote damnosam revocaret: mox cum rescivissem dici à Christianis apud Aulam degentibus; quique de excommunicatione illa audierant, Patres Gallos non esse divinæ Legis Ministros, immo ad ipsos peccata confitendi causa adire, eorumque Missis interesse, citra peccatum mortale neminem posse, mihi ea uti debere auctoritate visum est, ut hujusmodi damna atque scandala vitarentur; unde tanquam delegatus Apostolicus & ex Bulla *Speculatores*, hanc excommunicationem revocavi, nihil de illius validitate vel nullitate neque controversia quæ ipsis Patribus cum Provinciali erat statuens. Concessi etiam facultatem illis Patribus Gallis ut suæ novæ domus Ecclesiam aperirent, ipsisque mandavi ut Ministerio Apostolico fungi pergerent, præcipiens omnibus, ut saltem in foro exteriori scandala illa vitarent, & cum ipsis communicarent.

carent. Existimo fore ut Lusitani haud ita facilè Mandatis meis pareant. Cæterum Pater Generalis ad quem jus causæ & controversiæ progressum misi, Sedesque Apostolica de istis omnibus docti, quæ gessi haud dubio non improbabunt. Sin autem hanc perdere Missionem volunt, nolo saltem negligentiæ meæ, ac deserto muneris mei officio imputari id posse. Secreto hæc Reverentia Vestra cum Sociis audiat, secumque habeat & ne ad Lusitanos manent vos rogo, neminique dixeritis à me illa accepisse, quod profecto pro summa vestra prudentia facturos existimo, nihil aliud jam dicendum occurrit. Si quid habetis novi, certiorem spero me faciet Reverentia Vestra, cui totum me addictum profiteor. Sacrificiis me vestris commendo. Omnibus Reverendis Patribus salutem. *NanKing* 11. Septembris 1693.

Dominationis Vestræ Reverendissimæ

Humillimus & obsequentissimus Servus

FRATER JOANNES ALEONESSA.

EPI-

EPISTOLA

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Domini

JOANNIS FRANCISCI

ALEONESSA,

Ordinis Sancti Francisci Vicarii Apostolici Provinciæ Nanking, nunc Episcopi Beritensis Electi ac Vicarii Apostolici Provinciæ Hukuang ex Hispanico sermone in Latinum conversa.

AD

Reverendum Admodum Patrem

THOMAM CROQUER,

Missionarium Ordinis Sancti Dominici in Sinarum Imperio.

Reverende admodum Pater ac Charissime Frater Thomas Croquer, suavissimas Paternitatis tuæ literas die 10. Maii data-
tas

tas paucis abhinc diebus accepi, quæ quantumvis tardius pervenerint, magno tamen solatio fuere, quod ex iis & te benevalere, quod maximè cupiebam; aliaque multa scitu digna cognoverim. Tuam erga me humanitatem sincerumque animi affectum, pro quibus grates tibi ago, plurimi facio. De sententia verò à Reverendissimo Domino Vicario Apostolico Domino Carolo Maigrot circa tabellas, avorumque in China cultum ex Patribus Societatis Jesu Joanne Fonteney & Claudio Visdelou, qui per istam civitatem Nanking in Aulam contendebant nonnihil, idque fortuitu mense Maio inaudivi; sed nudius tertius certior factus sum ex literis ejusdem Domini Vicarii Apostolici datis. Ex quo enim istuc reversus sum à Reverendo Pat. Charissimoque Fratre Salvatore à Sancto Thoma Vicario Provinciali nihil, quod quidem acerbum mihi accidit, literarum accepi. Porro quin controversias illas decidendo muneris sui partes D. Vicarius egregie recteque executus fuerit nullus dubito. Idem verò atque ille, me fortasse acturum fuisse dixerim, si quas ille habuit, eædem, ut id agerem, rationes causæque mihi fuissent; imo pro certo habeat Paternitas tua hoc facere omissurum me nunquam fuisse, si meliore quam nunc sunt loco Sinenses & Apostolicorum Vicariorum res essent. Intelligo enim quanti intersit quidquid superstitiosum est tollere, & ad Christi fidem venientes secundum vera & sincera Catholicæ Ecclesiæ dogmata instituere.

Cæterum omnia tempus habent. De tuo in Ministerii tui partibus explendis flagranti studio quam maximè gaudeo illudque imitari cupio. Dominus Episcopus, cujus jam meminimus cum Patre Fratre Basilio hîc degentibus bene valent, quidquid verò jusseris ad id exequendum impigrum ac paratissimum semper me fore, ut existimes rogo. Tuis sacrificiis me impensissime commendo. Saluto *Lo Siang Kung*, cæterosque Domini Basilitani affines; de ipsis enim quid habere novi ego & Lo Joseph desideramus. Datum Nan-King die XI. Septembris 1693. Paternitatis tuæ admodum R. intimus Pater in Christo famulus Fr. Joannes Franciscus de Leonissa.

INSCRIPTIO.

Reverendo admodum Patri Fratri Thomæ Croquer, quem Dominus conservet, Missionario Apostolico Ordinis Prædicatorum in *Fogan hien.*

EPI-

EPISTOLA

Reverendissimi Domini

PHILIBERTI LE BLANC,

Baccalaurei Sorbonici Provicarii Apostolici Fokiensis, nunc Vicarii Apostolici Provinciæ Junan in Sinarum Imperio, è Gallico sermone in Latinum conversa.

AD

Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum

CAROLUM MAIGROT.

Vicarium Apostolicum dictæ Fokiensis Provinciæ, nunc Episcopum Cononensem.

J. M. J.

Reverendissime Domine.

Mira perfusus sum lætitia tuum accipiens præscriptum sive Mandatum ad quæstiones illas pertinens; quæ controver-

ſiarum Sinenſium & Miſſionariis ſcrupulorum tamdiu ampliſſima ſeges ac materia fuit. De his quid ego ſentiam jamdudum ex eo intelligere potuiſti, quod tibi ſemper me ſummopere exoptare oſtenderim, ut certa ſtatueretur norma, ad quam meam agendi rationem dirigens, anxium ſollicitumque animum tranquillarem. Polliceor itaque ſingula, prout jubes, executurum, idque eo libentius quod omnia in Edicto tuo ſumma moderatione ac prudentia definita mihi videantur. Huic Chriſtiani noſtri quibus ſignificatum eſt haud gravate audientes fuerunt; ac ſpero rem nullo negotio ad optatum exitum perductum iri, dummodo quominus id fiat, certi, quos bene noſti, homines, apertè aut clanculum non impediant. Te etiam atque etiam hortor, ut quo modo cœpiſti, alia quamplurima definias, atque componas, in quibus certam nobis præſcribi regulam permagni intereſt. Et quidem ut jam omittam rationes, cur quod modo vetuiſti id ſuperſtitioſum eſſe ac Dei Lege prohibitum exiſtimem, omnino ac vere teſtari poſſum, toto Sinarum Imperio, nullibi altiores religionem ac fidem in Chriſtianorum animis radices egiſſe, quam illis in locis, ubi Chriſtianis à principio hujuſmodi ritibus interdictum eſt. Vale, A *Hing hoa* 4. Maii 1693.

Reverendiſſime Domine

Humillimus & obſequentiſſimus Servus

PHILIBERTUS LE BLANC.

EPI-

EPISTOLA

Reverendissimi Patris

SALVATORIS A SANCTO THOMA

Ordinis Prædicatorum Vicarii Provincialis Sinensis Missionis &c. ex Hispanico sermone in Latinum conversa

AD

Illustrissimum & Reverendissimum Dominum

CAROLUM MAIGROT,

Vicarium Apostolicum Provinciæ Fokiensis nunc Episcopum Cononensem.

Reverendissime Domine Carole Maigrot, Vicar. Apostol.

Frater Salvator à Sancto Thoma Ordinis Prædicatorum Vicarius Provincialis in hac Missione Chinensi pro Provincia Sanctissimi Rosarii Philippinarum &c. significo me

cum omni ſubmiſſione accepiſſe Directorium à zelo Reverentiæ Veſtræ in lucem editum poſt longam meditationem, magnumque ſtudium, ad majorem ovium Veſtræ Reverentiæ commiſſarum utilitatem conſolationemque Miniſtrorum, qui à tot annis in hac Miſſione laboramus, non ſine multis ſcrupulis videntes communiorem praxim experientiæ noſtræ oppoſitam, idololatriamque politicæ prudentiæ nomine ſimulatam, nec non ſuperſtitiones multas ſub titulo civilis cultus: & licet noſtri Ordinis Miniſtri, talia monſtra rejiciant (ut Veſtra Reverentia notum habet) in Miniſteriis à nobis fundatis, tamen aliquando coacti fuimus diſſimulare cum aliorum Miniſtrorum Chriſtianis ad vitanda ſcandala, non tamen vitato interiori conſcientiæ remorſu, ex quo continuata afflictio ſequitur, quæ multis Miſſionem derelinquendi eſt cauſa, & quod pejus eſt, quod in Provincia Philippinarum cum ſint Religioſi & Literati, & Miſſionis ſpiritu pleni, qui poſſent nos juvare, ob hunc timorem multi ad nos venire renuunt. Si harum determinationum vox innoteſcit Manilæ, pro certo habeo, multos in futura tempeſtate venturos, videntes quod tollitur hæc confuſio, aperiturque via ad, ſine timore, & ſcrupulis miniſtrandum. Neceſſarium ſane & convenientiſſimum judico quidquid in his regulis continetur, ſimiliterque prohibitionem duarum literarum *King Tien* in Eccleſiis quæ jam à quibuſdam annis noſtri Manilæ Superiores cum præcepto & excommunicatione, nobis

bis ipsas ab Ecclesia tollere præceperunt, solumque Societatis Patres idolum hoc in hac Provincia Fokiensi conservant.

Literæ superstitiosæ Tabellarum Avorum *Ling Xin chu* sanctissime prohibentur, & utinam prohibitio hæc se extenderet ad minus usque ad literam *Goey* quam Vestra Reverentia totaliter non reprobat in hac scriptura, gravibus de causis, quibus ductam fuisse suppono.

Pro quibus omnibus, tam nomine meo, quam omnium Religiosorum Ordinis Nostri in hac Provincia Ministrorum, obedio & habeo pro notificatis, & cum obligatione observandi ad unguem prædictas regulas, nisi aliter Sancta Sedes determinaverit. Ex hac Ecclesia sanctissimi Rosarii de *Fo Cheu* Provinciæ de *Fokien* in China die X. Aprilis 1693.

Reverendissime Domine

Vestræ Reverentiæ

Minimus Servus

FRATER SALVATOR A SANCTO THOMA.

EPISTOLA

Reverendissimi Patris

JACOBI TARIN,

Ordinis Sancti Francisci Commissarii Provincialis Missionis Sinensis ex Hispanico sermone in Latinum conversa.

AD

Illustrissimum & Reverendissimum Dominum

CAROLUM MAIGROT,

Vicarium Apostolicum Provinciæ Fokiensis nunc Episcopum Cononensem.

Reverendissime Domine.

EPistolam Vestræ Reverentiæ accepi una cum charta punctorum, regularumque stabilitarum quas præcepit, ut à Ministris in Ecclesiis Provinciæ Fokiensis publicarentur, quæ notitia jamdudum ad me pervenit non solum cura Domini Nicolai Charmot, ve-

verum etiam prius per epiſtolam Reverendi Patris Fratris Salvatoris à Sancto Thoma, qui me de hoc certiorem fecit: & quanquam Veſtra Reverentia ſupponebat me hoc idem poſſe non ignorare, tamen dignata fuit tranſmittere ad me exemplum rerum ſcitu dignarum, oſtendens hoc modo ſimulque cum cæteris laboribus, quos ſuſtinet, præbens clara documenta Miniſtris Chinæ de ratione agendi cum ſecuritate in materiis dubiis & ſcrupuloſis, quæ uſque nunc non parvam confuſionem in animis generant, multorumque conſcientias perturbant. Gaudebo ſi Veſtra Reverentia propoſitum ſuum aſſequatur feliciter, & omnes ſimus participes boni deſiderati à Nobis, quod pariter ab antiquis Miniſtris deſideratum fuit, qui variis interrogationibus ad fontem lucis acceſſere, ut eis veritas affulgeret inter tenebras ſimulatorum errorum, quibus veritatis ſpecie tentavit Dæmon ipſos etiam Miniſtros offuſcare, & adſit Deus Reverentiæ Veſtræ. Cantoni 24. Julii 1693.

Reverentiæ Veſtræ

Minimus Servus

FRATER JACOBUS TARIN.

EPISTOLA

Reverendi Patris

LUCÆ THOMAS,

Ordinis Sancti Francisci Missionarii Apostolici Provinciæ Fokiensis ex Hispanico sermone in Latinum controversa.

AD

Illustrissimum & Reverendissimum Dominum

CAROLUM MAIGROT,

Vicarium Apostolicum Provinciæ Fokiensis nunc Episcopum Cononensem.

Reverendissime Domine Vicarie Apost. D. Carole Maigrot.

GRatissimam Vestræ Reverentiæ epistolam accepi cum definitionibus, quas jam promulgavi in *Chian Lo*, *Tay ning*, & *Nien ning bien*, vellemque per totam Chinam volare ut ipsas notas facerem, & in omnium cordibus imprimere valerem, sicut in corde meo impressæ manent. De omnibus gratias ago, ex *Kien Ning* die 16. Aprilis 1693.

Vestræ Reverentiæ

Humillimus Servus

FRATER LUCAS THOMAS.

EPI-

EPISTOLA

Reverendi Patris

LUCÆ THOMAS,

Ordinis Sancti Francisci Missionarii Apostolici Provinciæ Fokiensis.

AD

Illustrissimum & Reverendissimum Dominum

CAROLUM MAIGROT,

Vicarium Apostolicum Provinciæ Fokiensis nunc Episcopum Cononensem.

J. M. J.

Reverendissime Domine Carole Maigrot Vicarie Apostolice.

GRatissimam Vestræ Reverentiæ epistolam accepi toto eo animi affectu, quo in Vestram Reverentiam feror, ob Vestræ Reverentiæ prosperæ salutis notitiam, necnon propter definitiones quas ad me transmisit prohibentes superstitiones quasdam erga

erga Avos & Confucium cum *Paypien* ex *King Tien* &c. Jam plusquam ab anno ex Ecclesia de *Chiang Lo* fuit à me oblatum *Paypien* nullo prorsus contradicente, imo tali executioni suffragantibus cunctis quibuscum proposuissem meo in animo esse ponere *King Tien chu*, mihi ab ipsis responsum fuit *Hao hao*, id est optime. Licet enim quidam nomine *Leao* Damianus repugnantiam aliquam habens ad Patrem Fratrem Petrum de Pinuela illud *Paypien* tulerit; hoc tamen ac ejus displicentia parum aut nihil huic Christianitati obest. Quantum in me est, Deo Opt. Max. gratias ago pro eo quod Vestram Reverentiam adjuvit ad hujus operis, ad ejus gloriam & animarum emolumentum tantum conducentis executionem, tranquillando Magistrorum conscientias quæ in immenso scrupulorum pelago fluctuabant. Mea sane non minus agitabatur, nec tranquillitatem habere poterit, donec tabellas has una cum Confucio extorres videre valeam. Ante hoc biduum à quodam Legis perito audivi; laudabat tunc suum Confucium dicens *Xing Tin* maximum esse, ut non plus ultra: signum faciebat cum digito, significare volens solummodo esse unum. Cum autem quærerem quid vellet signo illi indicare, respondit unum tantum Deum esse, & subito significavit pollice dextro Deum esse super omnia, postea verò idem signum fecit pollice sinistro. Quid autem his signis voluerit indicare Deus & ille sciunt, & Viri prudentis judicio relinquitur. Volens ego ejus mentem capere ejusque signa intelligere, ei dixi

dixi quod *Kun Zu* non erat dignus qui compararetur cum Sanctis Ecclesiæ, utque ipsum arctius stringerem, dixi, illum non posse comparari cum Sancto Petro Apostolo, tunc ipse os contorquens non sine risu & flatu subjunxit *Kung Zu* majorem esse *Kung Zu Kengta* & si comparassem cum Beata Virgine idem responsurum puto. Itaqueo meo quidem judicio volebat ejusmodi signis digitorum eum cum Deo æquare; manet *Sing gu*, nomen Augustinus, Patria verò *Kien Ning*. Alteri præcepit Pater ejus prima die anni, ut in Ecclesiam iret ad Deum adorandum; priusquam iret, ut *Pay* faceret *Kun chu*, & ipse perrexit ad adorandum *Kun chu* non autem ad Deum adorandum, iste est *Hiao* id est obedientia Sinarum circa Parentes viventes, quos tantopere venerantur post obitum.

In Oppido *Chianlo* anno proximè transacto interrogatus an Confucius esset in Cœlo, responsum dedi, quod si ipse servavit Legem, Deumque cognovit remuneratorem cum præmio & pœnas & alias in hora transitus obicem peccati non habuit, salvus est, tunc ille, certum est, inquit, ipsum in Cœlo esse, quia nullum peccatum commisit; & in ejus natali concentum Angelicum, sicut in Christi ortu auditum fuisse. Judicet Vestra Reverentia si hæc dicant, & credant Christiani ex multis annis, quid de gentibus putandum sit.

Quod ad tabellas attinet, nescio qua ratione dicant earum cultum mere politicum esse, quandoquidem experientia contrarium nos docet.

docet. Ab anno circiter confessiones audirè cœpi, ex quo tempore quinque vel sex inveni à suis Avis auxilium in suis necessitatibus petiisse. Prima fuit mulier quædam accusans se irreverentiæ commissæ versus *Chu Chung*, propterea quod de ipso questa esset, quod se non adjuvaret, laboresque sibi immitteret; cumque ei suaderem solùm à Deo auxilium petendum, subjunxit; an illud posset petere à quodam defuncto Christiano? Idem à me percontatus fuit quidam Legis peritus qui præclarus habetur, idem etiam inquirens à Christianis sive Legis peritis sive non, & præsertim à *Leao* Damiano & ab omnibus, audivi Gentiles credere, petere & sperare, & Pater Fr. Augustinus Rico differens ac referens huic juris perito *Leao* Damiano (quem pauci in China æquare possunt quoad zelum & notitiam Legis sanctæ attinet), id quod Romæ propositum fuerat, scilicet Sinenses non credere neque sperare, neque petere, nec alia diabolica facere de his quæ proposita fuerant, respondit fefellisse *Pien Leao*. Ita accepi à Patre Fratre Augustino: ego enim nondum linguam intelligebam, de quo cum scripsissem, accepissemque responsum, quæsivit à me quid contineret, cumque dixissem responsum esse eos non credere, neque petere, neque sperare, *quid vis*, inquit iratus, *certum est eos credere* &c. *Chu Zen sin.*

Hoc clare patet si attendatur ad venerationem qua eas prosequuntur quæque nihil differt ab ea quam tribuunt imaginibus.

Anno proximè elapso significatum mihi fuit in

in *Chian Lo* quemdam apud se habere statuas seu imagines prominentes suorum Avorum super Altari collocatas, de quo ut certus redderer, ad ejus domum perrexi, & eas inveni in eodem Altari ubi paucis pridem diebus sacrum celebraveram; in medio erat quædam imago Dominæ Nostræ, & in utroque latere tabella, & coram utraque tabella imago lignea in nullo ab idolo discrepans. Die II. Resurrectionis post celebratum mulierum causa sacrum, rogatus sum à quodam Christiano ut domui illius benedicerem, & in capite *Ting* erat tabella papyrea, in qua sola nomina Majorum scripta erant; ad latus dextrum super throno erant sex statuæ idolo similes, & à me interrogatus quænam essent idola? Respondit esse suorum Avorum imagines; præcepi, ut eas amoveret, cum comminatione nisi id faceret, me ejus confessionem non auditurum: tandem non sine mœstitia eas domo ejecit. Ad aliud latus super tabernaculo prominebat ejus Patris tabella qui paucis antea mensibus è vitâ discesserat, & in tabella ejusdem effigies & rursus quædam sancta crux, qualis apud nos esse solet coram sacrario. In parte superiori videbantur nomina Jesu & Mariæ, & loco veli erat *Piao*, cum imagine Salvatoris ad cooperiendam tabulam, quam nomina prædicta; imago & crux idola adornabant. Certus sum, (Domine) quod si Sacra Congregatio vidisset, ut ego non sine magna amaritudine cordis talem abusum, non solum ipsas tabellas, verum etiam ipsos Christianos cum Magistris talia permittentibus in-

incendio condemnatura fuisset. Apud alium Christianum inveni tabellas in ejus tabernaculo repositas, ad cujus latus videbatur quædam crux aranearum telis plena; Quidam Societatis Pater, ut mihi scrupulos eximeret, dicenti mihi Sinenses credere animas descendere ad tabellas, ut ex illis cibis comederent, respondit ipsos non credere animas, sed solum spiritus vitales descendere, cumque subjungerem ipsos credere, posse ab illis juvari, iterum negavit eos credere illas per se juvare posse, sed solum posse obtinere à *Pusa* quem fingunt auxilium ferre. Quidam ad me scribens, defendensque ipsos non credere nec petere, utitur ad hoc probandum auctoritate *Kunchu*, in qua dicitur homo habere corpus & animam, & quod post mortem corpus in pulverem revertitur, & anima in Cœlum evolat, & quod nomine Cœli & Terræ intelligunt *Ing yang*, hoc est vaporem calidum & frigidum &c. simulque credunt animam non permanere, sed post quadraginta dies ad suum primum principium reduci, & oblationes fieri in gratiarum actionem ob talem reductionem, omnesque has doctrinas in ejus libris contineri: Vellem scire quomodo hi errores componi possint cum nostræ fidei puritate, ut ejusmodi tabellæ possint permitti, quasi essent mere politicæ. Quantum est ex me; ago Vestræ Reverentiæ gratias, licet mea conscientia totaliter non quiescat, cujus onus sive periculum in conscientiam Vestræ Reverentiæ transfero; jam eas promulgavi in omnibus istis Ecclesiis, videoque contentos Christianos, ut

Veſtra Reverentia cognoſcet ex hac epiſtola quam transmittunt Incolæ *Kien ning*. Præterea ipſis prohibui ne offerant eis (animis) cibos; nec utantur *Ling pay*; ſed loco horum ſancta cruce utantur, in qua ſcribant nomen ſancti eorum Patroni, cui preces offerant, omnemque reverentiam quam voluerint ſanctæ cruci tribuant, quod jam factum eſt cum quadam Chriſtiana, quæ heri vitam cum morte commutavit; & ſi poſſem per totam Chinam volare ad publicanda præcepta Veſtræ Reverentiæ eaque imprimenda in omnium cordibus, ut in meo ſunt impreſſa, libenter id facerem, etiam cum diſpendio vitæ meæ, cum omnis noſtra ſecuritas in cæca obedientia conſiſtat.

Ubi perveni ad *Chian lo* revertens ab hac Metropoli, acceſſit ad me Gentilis quidam dicens ipſum cum tota ſua familia baptizari velle, quia oppreſſus quodam tumore in tibia; cum intenſo dolore, nullam inveniens requiem; nec remedium, laſſus ſomnum cœpit & in ſomnis ipſi apparuit vir Europæus prolixa barba cum penula, monens ut ſi vellet ſanari, fieret Chriſtianus; & ſtatim ſanandum fore, quod continuo promiſit, & quærens ubi Chriſtianus deberet fieri, ſignificavit pergendum ad Eccleſiam quæ erat in *Nan muen*: excitatus à ſomno manſit abſque dolore cum propoſito recipiendi baptiſmum, & altera die ſanus omnino factus eſt. Quæſivit Eccleſiam & quamvis à multis de illa ſciſcitaretur, à nullo eſt indicata; invenit quemdam *Ho Xang* qui ipſum à propoſito dimovere conabatur, ſed fruſtra,

immo hortatus est Uxorem suam ut baptismum susciperet, quæ cum non obtemperasset, eandem infirmitatem cum tumore & gravi dolore passa est, & dormiens eadem visione in somnis affecta est, idemque illi persuasum est, promisit se fore Christianam, evigilavit, omnino sanata est; venit ut baptizaretur cum duobus filiolis, nomenque ei imposui, cumque jam eam baptizaturus eram, meæ memoriæ occurrit eo die celebrari festum Sancti Gregorii, cujus nomen ei imposui, cumque sit Patronus meæ Provinciæ de Manila, statim cogitavi an esset ipse sanctus Papa & Doctor, sicque tertia die Resurrectionis mulier baptisata fuit à me, quæ tamen tabellis carebat, quas si haberet de ejus baptismo dubitarem. In die Ascensionis Domini solum quatuor aut quinque inveni, qui varia petierant & ut juvarentur. Quod autem posset à me quæri, utrum quæ dicebam intelligerent, plane intellexisse respondeo, quia habebam confessionis formulam, quam cum eis tradidissem legerentque, dicebant mihi, hoc feci, hoc non feci, hoc credidi, hoc nequaquam, quidam dixit se omnia fecisse, & credidisse, quin etiam legis peritus quidam volens defendere eandem esse doctrinam Confucii cum doctrina & lege Dei, non parum laborandum mihi fuit, ut errorem illi eriperem. Quod hîc scribo, Domine, veritas ipsa est & Deus scit in hac materia solum Dei servitium & securitatem mihi propositam esse. Multum me commendo sacrificiis Vestræ Reverentiæ, & Do-

Domini de Lionne quem humiliter saluto. *Kien Ning* 6. Maii 1693.

Vestræ Reverentiæ

Humillimus Servus

FRATER LUCAS THOMAS.

PARTICULA

EPISTOLÆ

EJUSDEM

Reverendi Patris

LUCÆ THOMAS,

Ad eundem Reverendissimum.

In alia Epistola 23. mensis Maii.

ALias duas epistolas ad Vestram Reverentiam scripsi circa definitiones. In secunda paulo fusius scribo referoque quosdam casus qui mihi evenerunt; quia jam inveni complures, qui ab Avis auxilium petierant, & uno die octo vel novem inveni ex iis qui petierant auxilium, speraverant, & crediderant, posita dumtaxat ante oculos for-

mula confeſſionis literis exaratâ, ut certus eſſem, an illi me intelligerent; & ego illos, ſicque mihi indicant, quid fecerint, vel non. Domine, quod ipſi credant, petant, ſperentque poſſe ab ipſis Avis juvari mihi videtur luce meridiana clarius; ita ut quidam ad me dixerit, ſi ab ipſis juvari nequeo, de ipſis curam habere nolo.

Nomine *Vuy* intelligunt requiem vel ſedem, quia quærente me quid eſſet *Vuy*, accipiens quidam ſedem & in illa ſedens atque recumbens dixit illud eſſe *Vuy*, & hic erat Eccleſiæ *Siang Kum*; ideoque ipſum auferre præcepi, ſolum ſcribunt *Ling*: verbi gratia *Symuen Lie Tay Chu Chung*: loco *Ling pay* ponitur ſancta crux cum nomine ſancti patroni, ut coram eâ preces recitent, eamque colant quantum voluerint.

Eſt conforme cum originalibus quæ penes me habeo.

CAROLUS MAIGROT, P. I.

Vicarius Apoſtolicus Fokienſis.

SACRÆ

SACRÆ CONGREGATIONI SANCTI OFFICII PRO NICOLAO CHARMOT,

Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum, aliorumque Missionariorum Gallorum Asiæ Orientalis Procuratore Generali.

Oblatum die 19. *Martii* 1697.

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres.

Nicolaus Charmot Missionarius Apostolicus, Procurator Generalis Episcoporum & Vicariorum Apostolicorum Gallorum Missionum Asiæ Orientalis &c. Eminentiis Vestris humiliter exponit, in Declaratione ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Carolo Maigrot in Provincia Fokiensi Imperii Chinensis Vicario Apostolico, nunc Episcopo Cononensi à Sua Sanctitate electo, edita, cujus cognitio Sanctissimi Domini Nostri rescripto ad hanc Sacram Congregationem Sancti

hallucinandi periculum, Reverendus Pater * Morales & Reverendus Pater Antonius de Sancta Maria illis sacrificiis interesse, eaque per se videre voluerunt. His notitiis instructus Reverendus Pater Morales, suaque experientia per decem circiter annos edoctus, Romam perrexit, † suasque dubitationes fœlicis recordationis Pontifici Urbano VIII. exposuit, qui declaravit eas jam sibi aliunde notas esse.

Defuncto Urbano, Quæsita Reverendi Patris Morales in hac Sacra Congregatione qualificata fuerunt, & eorum qualificatio ab Innocentio X. fœlicis recordationis Papa tunc sedente confirmata die 12. Septembris anni 1645. adjunctis censuris contra eam violantes.

Verum ‡ anno 1656. Reverendus Pater Martinius Societatis Jesu, cum facta aliter exposuisset, Decretum obtinuit die 23. Martii, quo priori illo Decreto multis in partibus derogatum videbatur.

Quamobrem anno 1669. Reverendus Pater Joannes Polanco Ordinis Prædicatorum quæsivit, utrum revera per secundum Decretum priori derogatum fuisset; ** eique responsum est alio Decreto hujus Sacræ Congregationis die 13. Novembris & die 20. ejusdem mensis à fœl. recordation. Clemente IX. confirmatum, utrum-

* *Navar. Tom.* 2. *Tract.* 3. *pag. ibid.*

† *Navar. Tom.* 1. *Tract.* 7. *pag.* 459. *Col.* 1. *circa medium.*

‡ *Navar. Tom.* 1. *Tract.* 5. *pag.* 460.

** *Navar. Tom.* 1. *Tract.* 1. *pag.* 481.

utrumque, primum ſcilicet & ſecundum Decretum vim ſuam habere pro diverſa facti & circumſtantiarum expoſitione.

Rurſus anno 1669. propoſita fuerunt circa idem argumentum multa quæſita huic Sacræ Congregationi, & ab ea Reverendiſſimis Patribus Laurentio Brancato de Laurea & Joanni Bona Sancti Officii Conſultoribus ut ea examinarent tradita, qui poſita factorum quæ narrabantur veritate, * reſponſa die 27. Novembris Innocentii X. Decreto conſentanea dederunt.

Præterea anno 1674. Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Navarrette Ordinis Prædicatorum in Sinis olim Miſſionarius celeberrimus hujus Sacræ Congregationis judicio ſubjecit complures quæſtiones prioribus ſimiles, de quibus etiam idem omnino, ac de ſuperioribus illis, cenſuerunt Reverendiſſimus Pater de Laurea & Reverendiſſimus Pater Cajetanus Miraballus die 22. Aprilis ejuſdem anni. In quibus quidem quæſtionibus ſeu dubiis viginti unum ſunt circa cultum Confucio exhibitum, viginti quinque circa cultum quem Sinæ ſuis defunctis exhibent. Referuntur autem à dicto Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Navarrette Tom. 1. Tract. 5. pag. 490. 491. 492. 493. 494. & pag. 495. uſque 504.

Itaque reſtabat ſolum ut controverſia facti decideretur, & quodnam ex duobus primis Decretis pura ac ſincera circumſtantiarum relatione niteretur, & ob eam cauſam exequendum

* *Navar. Tom.* 1. *Tract.* 7. *pag.* 477

dum esset. Eò dumtaxat, hoc est ad solam facti quæstionem spectat Declaratio Domini Maigrot, de qua nunc agitur, quæ sive ad personam declarantis attendatur; & ad diligentiam ab eo adhibitam, sive ad aliorum Missionariorum approbationem, sive ad statutarum in ea rerum naturam, sive ad facilitatem executionis, cui nullum inest periculum, sive demum ad damnum gravissimum, quod, si res diutius protrahatur, religioni imminet, digna videtur quam Eminentiæ Vestræ auctoritate sua quamprimum roborare non aspernentur.

I. Si spectetur persona & diligentia Domini Maigrot, Theologus Parisiensis est, singulari pietate, doctrina ac prudentia, & præterea rerum Chinæ peritissimus, quibus per multos annos assiduam laboriosamque operam dedit, ejus gentis libros, itemque ritus & alia scripta de hoc argumento à Christianis composita noctes atque dies pervolvens, indigenas consulens; cum aliis Missionariis Apostolicis de ritibus Sinarum sæpe agens, nulli denique labori parcens, nullamque prætermittens industriam, ut de rebus in controversiam adductis fieret omninò certior.

Accedit quod ipse in Metropolim evocavit diligenterque audiit Missionarios tum è Clero, tum Regulares, exceptis Patribus Societatis, qui recusarunt accedere, & uno Missionario longius absente, quocum etiam paulo antequam ederet suam Declarationem, sermonem contulerat, & qui suam Domini Mai-

grot Decreto consentaneam mentem declaraverat.

Præterea Dominus Maigrot tanquam Vicarius Apostolicus & legitima Sedis Apostolicæ auctoritate munitus hac in re Judicis partes egit, idque instantibus & vehementissime optantibus aliis Missionariis.

Quod pro auctoritate id fecerit, patet ex Bulla Declarationis fœl. record. Clementis Papæ IX. anni 1669. 13. Septembris datæ: *Volumus*, inquit, *ut ad Vicarios Apostolicos intra fines suorum Vicariatuum præcipue spectet, maxime in cursu visitationis, ea inspicere, quæ spectant ad fidem, bonos mores &c.* Quod iisdem verbis fœl. recordat. Clemens X. renovavit anno 1673. 23. Decembris. Item anno 1678. die 28. Augusti Sacra Congregatio de propaganda fide decrevit ad eosdem Vicarios Apostolicos pertinere in locis eorum Missionum decidere dubia &c.

Itaque minimè opponi potest unico testi quantumvis gravi, plenam fidem non esse habendam. Nam Dominus Maigrot non ut testis solum, sed etiam ut Judex judicium tulit: porro si Vicario Apostolico à Sancta Sede delegato fides in his rebus non adhibeatur, non videtur, cui imposterum adhiberi possit. Denique si ut testis dumtaxat haberetur, neque unicus, neque singularis esset, ut post videbitur.

Quanquam, cum de animarum periculo agitur, non desiderantur tot testes, neque probationes adeo certæ. Ita, verbi gratia, cum de

matrimonio contrahendo agitur, ſufficit unus teſtis impedimentum dirimentis, ut non contrahatur, itemque in aliis quæ notantur à Juriſconſultis. Hic autem de rerum omnium ſumma, nimirum de veri Dei cultu, ſeu de vitanda idololatria & aliis ſuperſtitionibus quarum periculum, ut pote mali pernicioſiſſimi, fugiendum eſſet, quamvis extaret probabilis tantum de eo conjectura. Quid igitur, cum certum eſt periculum, & graviſſimum damnum metuitur vel potius expectatur?

II. Teſtantur complurium Miſſionariorum tum ex Clero ſæculari, tam ex Regulari graves conſcientiæ remorſus, non eſſe fictitium hoc periculum aut malum.

Multi enim ſæpe rogarunt Dominum Maigrot, ut poteſtate ſibi à Sancta Sede collata utens definiret, quid de ejus generis ritibus ſentiendum eſſet, ne hominibus ad religionem Chriſtianam converſis ſuæque curæ commiſſis idololatriam permitterent cum veri numinis cultu. Ex quo intelligitur, eos & factum exploratum perſpectumque habuiſſe, & de ejus vitio malitiaque plurimum metuiſſe.

Itaque cum & ex Declaratione Domini Maigrot, & ex aliorum Vicariorum & Miſſionariorum teſtimonio factum compertum ſit, & ex Decretis Sacræ Congregationis Summorumque Pontificum illicitum eſſe appareat; non dubitat Orator, quin Eminentiæ Veſtræ impeditur æ ſint, ne novi regionum illarum Chriſtiani Samaritanorum inſtar, Deorum alienorum cultum cum Dei Optimi Maximi, qui & Deus verus eſt, & præter quem non

est alius Deus, religione commiſceant, eorumque idololatriæ participes conniventiâ ſuâ fiant Paſtores à Sancta Sede illis præfecti.

III. Verum ut ipſe per ſe luceat Declarationis juſtitia, ſingula ejus capita breviter expendenda ſunt. Non declaravit omnia de quibus inter Miſſionarios contenditur, partim quod tanti momenti non eſſent, partim quod diligentiori egerent inquiſitione. Itaque ad ſeptem capita reſtrinxit ſuam Declarationem.

I. Præcepit ut Deus Opt. Max. vocibus Sinarum ſignificantibus *cœli Dominum*, deſignaretur; idque quia voces quibus nonnulli Miſſionarii eum appellabant, ex communi Sinarum uſu indicant tantum cœlum materiale eſſe Imperatorem omnium rerum ſublunarium; nomina verò Europæa, quibus apud nos Deus planius ſignificaretur, apud Sinas omnino barbara ſunt, neque ullam Divinitatis ideam in illorum mentibus excitarent. Caput iſtud ex ſequenti magis illuſtrabitur.

II. Prohibuit in ulla Eccleſia tabellam quandam appendi, in qua ſcriptæ eſſent duæ literæ Sinarum hanc vim habentium, *Cœlum colito*, & ſic ubi eſſent appenſæ, amoveri juſſit, idque ob idem periculum idololatriæ. Etenim Secta Literaria, quæ apud Sinas latiſſime patet, & cujus caput eſt ipſe Imperator, cœlo materiali cultum divinum defert. Itaque cum cœlum colere præcipiunt aut cœlum Imperatorem vocant, non continens pro contento accipiunt, id eſt cœlum pro Deo in cœlo exiſtente tanquam in ſua ſede, ut Patres Societatis

tatis Jesu interpretantur, sed pro cœlo ipso materiali, ut dictum est, quod ex multis colligitur.

Nam I. Sinæ, præsertim ex Sectâ Literariâ, quæ ubique dominatur in China, profitentur se discipulos Confucii, qui materiale cœlum coluit. II. Imperator ipse Literariæ Sectæ Princeps & Doctor palam Cœli materialis cultorem se exhibet, cum bis aut semel tanquam principalis Minister quotannis cœlo materiali oblationem præstet. Denique si interrogentur Sinæ, cur, aut cui sacrificia offerant, vel quid intelligant verbis, quibus Dominus Maigrot ne Christiani utantur, interdixit, respondebunt cœlum esse rerum omnium quæ existunt præstantissimum, & erga cæteras beneficentissimum, ob eamque causam summe colendum.

Tertio Declarationis capite declaratur, Quæsita super quæstionibus inter Missionarios controversis Alexandro VII. fœl. record. à Patre Martinio proposita in multis rebus non esse vera. Porro quam necessarium esset ut istud declararetur ex duobus constat, I. quoniam & reipsa Patres Societatis prædicabant & typis mandarunt, ut in Patris Tellier libro videre est, qui in Chinam usque penetravit, per Decretum Alexandri VII. derogatum esse Innocentiano, & hoc pacto remedium contra idololatriam adhibitum evadebat non solum inutile, sed etiam pernitiosum; ita enim fiebat ut Neophyti superstitiones illas, de quarum veritate utpote præsentes & testes oculati dubitare non poterant, à Sancta Sede approba-

tas

tas existimarent. Unde ut Sanctæ Sedis auctoritati ac dignitati animarumque saluti consuleret Vicarius Apostolicus, coactus fuit fideles monere, ne secum pugnare Summos Pontifices putarent, in illis Decretis, quorum secundum nunquam editum fuisset, nisi aliter atque se se habebant res, exposuisset Reverendus Pater Martinius, uti eum fecisse constabat Illustrissimo Domino Maigrot. Nam verbi gratia Pater Martinius tertium quæsitum his vocibus expressit: 3o. quæritur *num accipiendorum graduum ceremoniam, quæ fit in aula Confucii, Christiani Literati licite agere valeant &c.* Et tamen I. Notandum est non esse controversiam de accipiendis gradibus. Nemo enim dubitat quin liceat Sinis Christianis ad hujusmodi gradus ascendere; sed dubitatur vel potius certum est, non licere post acceptos gradus sacrificia offerre Confucio. Quocirca nonnulli acceptis gradibus à sacrificiis abstinuerunt. Itaque desideratur ut in posterum abstineant omnes. II. Ceremonia graduum accipiendorum non fit in loco ubi sacrificium offertur Confucio; * sunt enim duo distincta loca: in quorum uno Candidati promoventur ad gradus, & proprie vocari potest Aula: In altero offertur sacrificium & est verum templum.

Addit Reverendus Pater Martinius: *nihil omnino fit ab idololatris institutum &c.* Hæc verba cum ambigua sint, bonum ac malum sen-

* *Navar. Tom. 2. Tract. 6. pag.* 300. *numero* 13.

ſenſum continent. Nam duo poſſunt dici genera idololatrarum in China: Alii ſimpliciter dicuntur idololatræ, quoniam idolis abundant, iiſque monſtruoſis, ut Bonzii in Pagodis ſeu eorum templis: Alii Deorum ſimulachra pauca colunt, ſed tamen idololatræ dicuntur, ut Literati, quos idololatras imitari probatur ex eorum Rituali dicto *Lyky*, non minoris apud Sinas auctoritatis, quam apud Chriſtianos Scriptura Sacra. De hoc Rituali Reverendus Pater Semedo Societatis Jeſu primum Miſſionarius, & poſt multos annos Miſſionariorum Procurator ſcripſit in libro inſcripto *Imperio Chinico* fol. 55. relato ab Illuſtriſſimo Navarrette Tom. 2. Tract. 3. fol. 148. circa medium, & ait (Pater Semedo) „ Que contiene todo lo „ civil y religioſo ò humano y divino: eſto „ ſegundo trata de las ceremonias, ritus, y „ ſacrificios que ſe hazen al cielo, tierra, planetas, partes del mundo, eſpiritus buenos „ y malos, à las almas de los difuntos y hombres inſignes. Todas ſon palabras del Auctor y paraque quede confirmado lo antes „ yà eſcrito con el ſentir de tan grande Miſſionario, traerè a qui algunas coſas ſuyas „ que ſerviran tambien para en adelante.

„ Pag. 90. dize. El tercer dia de la luna „ 3. que es en Março, acceden todos à hazer „ ſacrificio à ſus ſepulturas. Pag. 119. pone „ templos para los eſpiritus tutelares à quienes „ ſacrifican los Mandarines como a atros eſpiritus. Pag. 126. ſacrifican, mas dize, à ido-

„ los

„ los ; à difuntos, y a hombres insignes, à
„ quienes hazen peticiones, sacrifican los ca-
„ bras, puercos bueyes, gallos, gallinas, pe-
„ zes, cabeca de puerco es lo mejor, arroz,
„ legumbres; vino; esto se reparte entre los
„ Mandarines &c. En el Trat. 1. se escrivio
„ esto ; Lease preludio 36. pag. 150. en las
„ dos cortes ay Templos insignes, donde ay
„ muchos Altaris cargados de estatuas, del
„ sol, luna, planetas, espiritus de los mon-
„ tes, de los rios &c. Hæc verba Patris Semedo significant quod in eo (Rituali) „ habeatur quidquid pertinet ad res civiles aut
„ religiosas; humanas vel divinas. Istud autem secundum quod spectat ad res religiosas
„ & divinas, continet ceremonias ritus & sacrificia, quæ fiunt cœlo, terræ, planetis aliisque partibus mundi, spiritibus bonis & malis, animabus (Parentum) defunctorum,
„ virorumque insignium. Quibus subjungit Illustrissimus Navarrette: „ hæc sunt ipsa verba Patris Semedo; ut autem quæ antea exposui tanti Missionarii testimonio confirmentur, adhuc aliqua ex eodem libro Imperii Sinici adducam; quæ etiam infra dicendis nonnihil conferent. † Itaque Semedo dicit pag. 90. prædicti libri die 3a. Lunæ 3æ, quæ mensi Martio respondet, omnes peragendo sepulturis suis sacrificio vacant. Pag. 119. Templa ponit spiritibus tela-

† *Navar. Tom. 2. Tract. 3. pag. 148.*

„ tularibus, quibus Mandarini ſicut & aliis „ ſpiritibus, ſacrificant. Pag. 125. Præterea, „ inquit, ſacrificant tum idolis, tum defun- „ ctis, ac Viris inſignibus, à quibus bona po- „ ſtulant, immolando eis capras; porcos, „ boves, gallos, gallinas, piſces, ex quibus „ caput porci maximo pretio habetur: deinde „ etiam orizam, legumina, vinum, quod „ quidem inter Mandarinos dividitur, &c.

Adſtipulantur Patri Semedo Reverendus Pater Govea & alii Patres Societatis Jeſu.

Ex verbis porro Reverendi Patris Semedo ſatis apparet falſitas eorum quæ dixit Reverendus Pater Martinius exponendo his verbis: *Confucium tanquam Magiſtrum ſuum agnoſcentes civilibus ac politicis ritibus, &c.*

Præterea Reverendus Pater Martinius mentionem faciens inclinationum quæ fiunt ante Confucii tabellam, ſolum ejus Philoſophi nomen commemoravit: reticuit autem in dicta tabella quæ ſuper Altari collocatur ſcripta eſſe verba Sinica quorum vis eſt: *Hæc eſt Sedes ſive thronus animæ ſanctiſſimi & ſuperexcellentiſſimi Protomagiſtri Confucii.* Quæ ſi expreſſa fuiſſent, profecto Sacra Congregatio non exiſtimaſſet eam ceremoniam omni ſuperſtitione vacare, cum credatur eam tabellam ſedem eſſe animæ Confucii; & ſanctiſſimus & ſuperexcellentiſſimus dicatur Philoſophus, quem eruditiores Miſſionarii Societatis Jeſu aſſerunt non * cognoviſſe Deum, ut patet ex ſententia Re-

* *Navar, Tom. 1. Tract. 5. pag. 247. in fine.*

Reverendi Patris Nicolai Longobardi Missionarii celebris Societatis Jesu asserentis; „ Que „ los Chinas por los principios que tenian de „ su Philosophia y Physica natural no conocieron sustantia espiritual distinta de la material como nostros ponemos, y por esto no „ supieron que cosa fuesse Dios ni Angeles ni „ alma rational. Esta opinion fue muy celebrada por los Padres y hermanos de Japon, „ que estavan in Macao; como mas fundada „ en la doctrina Chinica. Id significat, „ Sinas ob suæ Philosophiæ, ac Physices principia, nequaquam, ut nos; substantiam spiritualem à corporali distinctam agnovisse, „ atque adeo ignorasse quid esset Deus, quid „ Angeli; quid anima rationalis. Hanc fuisse „ Sinarum sententiam, utpote doctrinæ apud „ eos receptæ consentaneam plane censuerunt; „ & confirmarunt Patres & Fratres Japonenses (*Societatis*) qui tunc in Urbe Macao morabantur „. Illustrissimus Navarrette typis mandavit tractatum Reverendi Patris Longobardi Tom. 1. Tract. 5. pag. 246.

Subjungit Reverendus Pater Martinius in eodem quæsito: *omnes ante nomen Philosophi* NIHIL OMNINO OFFERENDO, *faciunt illas ceremonias &c.* Et tamen Pater Bartholomæus Roboredo ejusdem Societatis, relatis iis, quæ hac de re dicebant Missionarii Ordinum Sancti Dominici & Sancti Francisci, nempe offerri Confucio „ panem, morisque„ ta, ut vocant, vinum, cereos, suffimenta, „ flores, pannum sericum, quæ comburuntur in ejus honorem; his, inquam, relatis, addit

dit verba sequentia, quæ cum sint propria verba dicti Reverendi Patris Roboredo, hîc eadem referre injucundum forsan non erit. Præterea, inquit Pater Roboredo: „ Dizen mas, „ huvo en China, antiquamente un Philosopho moral llamado Kuncu, el qual por la „ doctrina, y documentos de politica de buen „ govierno, y otras virtudes morales, buenas „ leges, y costumbres que les enseno viviendo por obra, y palabra, y ya muerto se lo „ ensena en sus escritos; es tan applaudido y „ estimado en todo el Reyno, que es el unico Maestro, a quien siguen, y por cuyas „ leyes se govierna toda la China, por esto „ en todas las Ciudades, y Villas le tienen „ dedicados los meyores templos, en los quales tiene obligacion el Mandarin que govierna de hazerle solemne sacrificio dos vezes al ano haziendo el mismo en persona „ oficio de Sacerdote, y entre ano dos vezes „ cada mes, sin solemnidad, y lleva con sigo „ muchos de los mas nobles del Pueblo, unos „ para assistir, otros para administrar à este „ sacrificio: las cosas que le ofrecen son (ultra de pan, morisqueta, vino, candelas; „ pebetes, y flores) una res entera, y una „ pieça de tafetan ò razo, que alli queman. „ ¡Los que de nuevo se graduan en letras, son „ obligados para tomar possession del grado „ à entrar en su Templo, y prostrados ante „ el Altar hazerle sacrificio, ofrecerle candelas,

* *Navar. Tom. 2. Tract. ult. pág. 519. numero 24. usque ad 25.*

„ las; encendidas pebetes, flores &c. Dirige tota la commun del Reyno este sacrificio „ a darle gracias por el benificio de la buena „ ensenança que les dexò y pedrile como a „ hombre muy santò de quien creen puede „ mucho con el Dios de lo alto y dizen, que „ esta sentado à su Lado, que por sus meritos „ les alcance toda felicidad de ingenio, sabiduria entendimiento &c. Son de tanta estima entre la Gentilidad Sinica, los idolotitos, y reliquias que quedaron de lo que „ sacrifican a este su Maestro, que acabado el „ sacrificio las reparten entre todos, como si „ fuera pan beneditto; y la porcion que les „ cabe de la carne, ò morisqueta &c. la llevan a sus casas, y la dan a los ninos de leche, „ esperando que de alli les venga el ser despues de muy claros ingenios: de los retacillos de la piera de raso, ò tafetan que escaparon del Fuego hazen unas munequitas, „ que ponen en las de los chiquillos, pronosticandoles con aquello grandes honrras, al „ vino sacrificado, el qual consume il que haze oficio de Sacerdote, vino de felicidad, „ bien y decanso y que estas cosas todas hazen los Christianos baptizados de nuestros „ Padres, por contemporizar con los Gentiles, y por no levantar ruidos contra la ley „ de Dios, valiendose de llevar una Crucecita hecha al descuido de hojas, ò ramas de „ las flores, poniendola entre ellas, y dirigendo a ella su intencion, y aquellas ofrendas, y no al Kunchu y echando à un rincon, tanto que del templo salen los idolo-

„ titos

„ titos y reliquias de el dicho ſacrificio que
„ ſolo por complimiento recibieron, penſan-
„ do que con eſto huyen la culpa del eſcanda-
„ lo para con los fieles, y la nota que les po-
„ dian poner los infieles. Reſpondemos to-
„ do loque en eſto punto dizen de la eſti-
„ macion politica que tienen, y honrra civil
„ que hazen los Chinas al Philoſopho Kun-
„ chu, de los templos que tienen dedicados
„ à el de las ofertas que le ofrecen, y reli-
„ quias que cogen dellas, y reverencias con
„ que le veneran aſſi los Mandarines de oficio
„ como los que de nuevo ſe graduan, es ver-
„ dad; pero no todo lo demas que dizen, es
„ a ſaber que ſean a quellas ofrendas ſacrifi-
„ cio ſuperſticioſo, y las proſtraciones idola-
„ trias, y que tengan al Kunchu per divini-
„ dad ò hombre ſanto aſſiſtiente en el cielo,
„ y poderoſo con el Dios de lo alto, nique
„ ſea mercedor de que le alcance felicidad
„ de ingenio, ó alguna honrra, nique pidan,
„ ò del eſperan eſtas coſas, ni penſen que
„ las que les ofrecen tengan deſpues de ofre-
„ cidas alguna virtud mas de la que tenian an-
„ tes, ni llevan la Crucecita dicha porque
„ nò vàn à aſſiſtir à algun acto ſuperſticioſo
„ donde ella les ſea neceſſaria para dirigir à
„ ella ſu intencion y ofrendas. Hæc verba
Patris Roboredo ſignificant, Philoſophum
quemdam nomine Kunzu (id eſt Confucium)
„ olim in China extitiſſe dicunt, qui ob do-
„ ctrinam præceptaque politica ad bonum re-
„ gimen utilia & ob alias virtutes morales,
„ bonas leges ac mores, quæ illos dum vive-

 „ ret,

„ ret, opere sermoneque docuit, & mortuus „ scriptis suis docet, adeo commendatur, „ tantique sit in toto illo Regno, ut illum „ tanquam unicum Magistrum sequantur, & „ ejus legibus China tota regatur. Quamob- „ rem in cunctis civitatibus & oppidis præ- „ stantiora templa illi dicata sunt, & in iis „ debet Mandarinus qui præest, bis quotan- „ nis illi solemne sacrificium offerre, ac per „ se Sacerdotis officium exequi; per annum „ autem bis singulis mensibus absque solemni- „ tate. Adducit secum multos ex populo, „ eosque nobiliores, ut alii huic sacrificio as- „ sistant, alii ministrent. Hæc porro illi „ præter panem, morisquetam, ut vocant, „ vinum, candelas, suffimenta & flores, of- „ feruntur, nempe vervex integer, volumen „ panni serici tenuissimi aut pressi qui ab iis „ comburitur, qui recenter gradu literario „ fuerunt ornati; oportet autem, ut asse- „ quantur possessionem Gradus, eos in ejus „ templum ingredi, eique ante Altare pro- „ stratos sacrificare, offerre candelas accen- „ sas, suffimenta, flores &c. Totius Regni „ consilium in hoc sacrificio est, ut illi gra- „ tias agant pro beneficio rectæ doctrinæ ab „ eo acceptæ, atque ab eo petunt, utpote „ ab homine multum sancto, quemque exi- „ stimant plurimum posse apud Deum in Al- „ to habitantem, & ad ejus latus sedere asse- „ runt, ut pro suis meritis eis impetret om- „ ne felicitatis genus, ingenii scilicet, sa- „ pientiæ, intelligentiæ &c. Tanti fiunt à „ gente Sinica idolothyta, & reliquiæ rerum

„ Ma-

„ Magistro suo sacrificatarum, ut peracto sa-
„ crificio eas universis distribuant, instar pa-
„ nis benedicti; portionem autem, quæ uni-
„ cuique obtingit, sive carnis, sive morisque-
„ tæ &c. domum asportant, eamque filiis la-
„ ctentibus impertiunt: sperantes inde futu-
„ rum ut ingenio præclaro sint: ex particulis
„ panni serici à flammis non absumptis, ar-
„ millas conficiunt, quas in puerorum carpos
„ inserunt, illis hoc pacto amplos honores
„ augurantes. Vinum autem sacrificatum quod
„ ab eo ebibitur, qui Sacerdotis fungitur of-
„ ficio, vinum fœlicitatis ac requietis appel-
„ lant: atque hæc omnia dicunt, scilicet Pa-
„ tres Ordinum Sancti Dominici & Francisci,
„ fieri à Christianis, quos Patres nostri (id
„ est Societatis Jesu) sacro baptismate initia-
„ runt; ut se se accommodent Ethnicis, &
„ occurrant rumoribus, ac querelis contra
„ Dei legem excitandis; cum hac cautione,
„ ut parvam crucem ex foliis aut ramusculis
„ florum negligenter contextam reponant in-
„ ter flores seu folia, atque ad eam suam in-
„ tentionem & dictas oblationes dirigentes,
„ non autem ad Confucium: deinde in an-
„ gulum projiciunt idolothyta & reliquias di-
„ cti sacrificii; ita ut extra templum efferan-
„ tur, quippe quæ nonnisi ut officio functi
„ viderentur, acceperint. Atque hoc pacto
„ se putant effugere culpam scandali apud fi-
„ deles, & notam possent ab infidelibus inu-
„ ri. Respondemus quidquid hac in re di-
„ cunt de existimatione politicâ quâ imbuti
„ sunt, ac de cultu civili à Sinis Philosopho

 „ dela-

„ delato, de templis ei dicatis, de rebus quæ „ ipsi offeruntur nec non de reliquiis, quas „ colligunt, ac de reverentiâ quâ eum prose- „ quuntur, tum Mandarini ex officio, cum „ illi qui gradu donantur, verum esse; non „ tamen reliqua, quæ dicunt, scilicet oblatio- „ tiones illas esse sacrificium superstitiosum, „ prostrationes esse idololatricas, Confucium „ Deum existimari, vel hominem sanctum in „ cœlo Deo assistentem, plurimumque valen- „ tem apud Deum in excelsis habitantem, vel „ mereri ut impetret felicitatem ingenii, aut „ aliquem honorem; aut peti ab eo vel spe- „ rari hæc bona, vel eos sentire res illi obla- „ tas post oblationem majori aliqua virtute „ quam antea esse præditas, vel cruciculam „ afferre, quoniam non sunt interfuturi actui „ alicui superstitioso, ut ad eam intentio- „ nem suam & oblationes dirigere necesse ha- „ beant.

Ex Reverendi Patris Roboredo dictis judicent Eminentiæ Vestræ utrum Reverendus Pater Martinius vere aut falsò exposuerit huic Sanctæ Sedi, & utrum cultus Confucio & Avis exhibitus sit mere civilis & politicus.

Prosequitur Reverendus Pater Martinius in eadem quæstione, *quod ante Philosophi* (scilicet Confucii) *Literati faciunt illas ceremonias, quas omnes discipuli faciunt suis Magistris vivis*: quod certe falsissimum esse Illustrissimo Domino Maigrot visum est: nam discipuli cæsis animalibus Magistros non colunt: animalium sanguinem & pilos non servant eis offerendos, non eis cereos accendunt: non vinum effun-

effundunt; quæ quidem omnia Literati Confucio præstant, & nisi jejuni sint, præstare fas sibi esse non putant.

Certe ut demonstretur religiosum esse, & non mere civilem cultum à Literatis Confucio suo exhibitum, nihil clarius & expressius afferri potest quam quod significat Reverendus Pater Semedo Societatis Jesu primum Missionarius & post multos annos Missionariorum Procurator in Libro Matriti edito anno 1642. parte 2. fol. 53. his verbis, * *Discursu temporis homo iste* (scilicet Confucius) *in tantam pervenit gratiam Sinarum, ejusque scripta tantam assecuta sunt existimationem, ut nedum pro sancto habeant, pro Magistro & Doctore illius Monarchiæ, verum etiam in omnibus civitatibus erexerint ei publica templa, in quibus statutis diebus valde colitur & pro sancto habetur.*

Præterea observavit Dominus Maigrot Patrem Martinium in eadem quæstione exponere, *quod Aula illa Confucii Gymnasium & non templum proprie dictum sit; nam clausa omnibus est, præterquam studiosis.* Sed quis unquam sibi persuadeat Gymnasium esse & vocari locum, in quo nulla disciplina traditur, non examinantur studentes, nemo ad gradus provehitur, nulla denique fit exercitatio literaria? † Quidni potius templum appelletur, in quo extant ignitabula, mensæ in modum Altaris

* *Navar. Tom.* 2. *Tract.* 6. *pag.* 298. *numero* 8.

† *Navar. Tom.* 2. *Tract.* 6. *pag.* 307. *numero* 2.

taris conformatæ, ac denique quidquid videri solet in idolorum templis?

Nomen ipsum *Miao* quo designantur templa Confucii, secundum interpretationem vocabulariorum à Patribus Societatis Jesu editorum, * significat templum, ubi ritus sacri peraguntur, & sacrificia offeruntur, eaque omnia fiunt, ob quæ ædificia publica templorum nomine & veneratione vulgo insigniri solent.

Cæterum sacrificiorum quæ Confucio offerri solent ceremonias describit Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Dominicus Fernandez Navarretta Ordinis Sancti Dominici, olim quidem Missionarius Apostolicus in Chinâ, deinde Missionariis sui Ordinis Præfectus, ac denique Archiepiscopus in Insula Americana Sancti Dominici Tom. 2. Tract. 6. pag. 302. numero 20. 21. 23. 24. Qua in descriptione plurima extant notatu dignissima. I. Notari potest ordo quidam Ministrorum similis Hierarchiæ Christianæ, nempe unus Sacerdotis, alter Diaconi, tertius Subdiaconi, quartus Magistri ceremoniarum qui functiones suo modo obeunt. II. Offeruntur imagini Confucii seu tabellæ, quæ inscribitur: *Sedes animæ Confucii* &c. non solum semina & fructus terræ, sed sus multis cum ceremoniis jugulatur, accensis cereis suffimenta in ardentes prunas conjiciuntur, canunt Musici, fit processio, rogatur spiritus Confucii ut descendat, elevatur calix vino plenus quod deinde effun-

* *Navar. Tom. 2. Tract. 3. Controvers. 7. pag.* 157. *&* 158.

effunditur in simulachrum hominis ex paleis confectum. III. Imago Confucii super Altari collocatur, preces offeruntur, * in quibus præter alia Confucio dicitur: *Omnes certant ut tibi offerant sacrificium, quidquid tibi offerimus purum est, veniat ergo ad nos illuminatus spiritus tuus præsensque nobis adsit.* IV. Magister ceremoniarum invitat ad genuflectendum & surgendum dicens, *flectamus*: *Levate*, aliaque multa & dicuntur & fiunt veri sacrificii propria. V. Sed non est omittenda conclusio, scilicet oratio, qua Confucium ut credunt aut fingunt, in locum suum redeuntem prosequuntur, cujus hic est finis. † *Sacrum tibi fecimus magna cum reverentia: instituimus ut ad nostras oblationes grati odoris accederes. Jam spiritum tuum ad locum suum redeuntem comitamur. Finitum est sacrificium, & ex eo genus omne prosperæ fortunæ percepimus.*

Cæterum locum, in quo hæc fiunt, templum non esse ne quidquam persuadere tentavit Pater Martinius, imo asserit *clausum esse omnibus, præterquam studiosis*; quod falsissimum est; multi enim alii in templum illud ingrediuntur, seque non semel ingressum affirmat Dominus Maigrot; sique voluisset coram Confucii tabella genua flectere, Gentilibus omnibus rem gratam fuisse facturum. Deinde locus ille vocabulo *Miao* quod apud Sinas Templum proprie significat, appellatur, ut supra notatum est.

Haud

* *Navaretta Tom.* 2. *pag.* 303. *numero* 23. *in fine.*

† *Tom.* 2. *pag.* 304. *numero* 27.

Haud ſincerius Pater Martinius Alexandro VII. expoſuit in quarta & ultima quæſtione, quæ ad cultum Sinarum erga defunctos pertinent, dum ait, Sinas nullam ſpem in Defunctis ponere aut orationem eis deferre: *nihil* inquit, *ab eis ſperant aut petunt.*

Mirum videtur Patrem Martinium id Summo Pontifici auſum fuiſſe narrare, cujus contrarium videtur, & reipſa viſum fuit à Patribus Joanne Baptiſta de Morales Ordinis Sancti Dominici & Antonio de Sancta Maria Ordinis Sancti Franciſci, qui ejuſmodi ceremoniis interfuerunt. Factum narrat Pater Antonius de Sancta Maria in tractatu iis de rebus edito numero 17. & ab Illuſtriſſimo Domino Navarrette relato tom. 2. pag. 168. ex quorum teſtimonio conſtat, in ceremoniis erga Majores perinde atque in iis quæ deferuntur Confucio, multa ineſſe ſuperſtitioſa & damnabilia. I. In illo loco ſeu templo erant ſex Altaria: tres Miniſtri ſacrum faciebant, quorum unus Sacerdotem, alii duo Diaconos referebant. Duo etiam juvenes quaſi Acolytorum officio fungebantur. Qui Sacerdotis vice fungebatur erat Chriſtianus. Duo Diaconi Infideles, Accolytorum alter etiam Chriſtianus. II. Illi ad quinque Altaria acceſſerunt, vinumque in calices ibi paratos adhibitis genuflexionibus infuderunt. Deinde ad ſextum Altare in medio Templi poſitum poſt tres profundas inclinationes venerunt, ibique in ſuppedaneo genibus flexis quaſdam orationes recitarunt Magiſtro ceremoniarum aſtantibus præcipiente ut genua flecterent, moxque ut ſurge-

ſurgerent, quod ſæpe factitatum eſt. III. Tres præcipui Miniſtri calicem vino plenum elevarunt, altâ voce pronuntiante Magiſtro ceremoniarum: *offertur vinum*: (ut nos calicem elevamus), quod vinum ebibit Sacerdos. IV. Eodem modo in pelvi lignea elevatum eſt caput capræ cum pelle pilis & cornibus floribus exornatis, clamante Magiſtro ceremoniarum, *offertur capra*. V. Denique admotus eſt ignis chartarum cumulo, & Magiſter ceremoniarum altâ voce dixit: *Ex parte Majorum veſtrorum gratias vobis ago propter obſequium & honorem ſibi à vobis præſtitum. Pro certo autem habetote vos in præmium conſecuturos felicem proſperitatem, abundantes meſſes, copiam fructuum, amplam proſperitatem, ſanitatem longævamque vitam.* Iudicent modo Eminentiæ Veſtræ num vere dici queat Sinas à Majoribus ſuis nihil ſperare aut petere.

Notabitur per tranſennam duo genera ſacrificiorum offerri Avis & Majoribus: alia publica in templis ad id deſtinatis, quæ bis quotannis celebrantur: alia privata minuſque ſolemnia in altaribus domi conſtructis. Unius ex iſtis, quæ domi fiunt ſacrificiis, teſtis oculatus fuit Orator in quodam diverſorio cum iter ageret per Chinam.

Quæ huc uſque dicta ſunt etiam confirmantur ex alio teſtimonio Reverendi Patris Roboredo, cujus verba propria hæc ſunt. *„ Reſpondemos es verdad todo lo que dizen de „ los templos, altares, imagines, ſacrifi- „ cios,

* *Navar. Tom. 2. Tract. ult. pag.* 415.

„ cios, Miniſtros dellos; adoraciones y mas „ ceremonias, que en honrra de ſus Majo„ res difuntos hazen los Chinos Gentiles; y „ que todo lo que creen en eſta parte los ta„ les gentiles ſon idolatrias, y ſuperſticiones; „ pero no lo ſon todas las ceremonias de „ honrra civil que alli ſe hazen. Tambien „ es verdad lo mas que dizen de las tablillas „ (quanto a los Gentiles) y anſymiſmo lo de „ las genuflexiones y ofrendas ante el cadaver „ dicho. Es mas verdad lo que anaden de que „ los Chriſtianos van a los dichos templos y „ ſepulchros, y hazen las dichas honrras à „ ſus Mayores, por huir la pena; y infamia, „ que de no hazerlo ſe les ſeguiria, y por „ las mas razones dichas; y que en ſus caſas „ tienen las imagines de ſus difuntos en las „ tablillas dichas, y les hazen honras en a„ quel ſecreto como en lo publico de los „ templos aunque con menos ſolemnidad; y „ que reſpetan con aquellas corteſias el cada„ ver del difunto dicho; pero no ſon idola„ trias las honras, que en los templos, ſe„ pulchros, y en ſus caſas, hazen los dichos „ Chriſtianos a los dichos ſus difuntos; co„ mo ni todas las que en las miſmos lugares „ hazen los Gentiles à los ſuyos. Porque „ &c. Hæc ſignificant. „ Reſpondemus ve„ rum eſſe totum illud quod dicunt de tem„ plis, altaribus, imaginibus, ſacrificiis eo„ rumque Miniſtris, de adorationibus aliiſque „ ceremoniis, quæ à Sinis Gentilibus in ho„ norem Majorum ſuorum defunctorum u-

ſur-

„ surpantur; & quidquid hac in parte credunt ejusmodi Gentiles, esse idololatricum „ ac superstitiosum: at tales non sunt quælibet civilis honoris ceremoniæ, quæ ibi adhibentur. Verum pariter est, quod deinde „ addunt de tabellis, quantum spectat ad Gentiles nec non de genuflexionibus & oblationibus ante defuncti cadaver. Similiter „ verum est quod adjungunt, videlicet Christianos ad prædicta templa, & sepulchra se „ conferre, prædictosque honores defunctis „ Majoribus adhibere, ut pœnam & infamiam, quæ illos, si hæc omitterent, maneret, effugiant, & ob alias quæ afferuntur rationes: itemque eos domi habere Avorum defunctorum imagines in præfatis „ tabellis; quibus intra privatos parietes, „ eosdem plane honores, atque in publicis „ templis, licet non tanta cum solemnitate, „ adhibent, defuncti etiam cadaver prædictis „ officiosis cultibus prosequendo. At idololatriæ non sunt honores illi quos suis defunctis Christiani Sinæ in templis, sepulchrorum locis, aut privatis in domibus adhibent, quemadmodum neque etiam tales habendi sunt omnes illi qui in iisdem locis à „ Gentilibus erga defunctos suos adhibentur. „ Quippe &c.

Cum Reverendus Pater Roboredo fateatur cultum Confucio, Avis ac Majoribus exhibitum à Gentilibus esse idololatricum, veraque esse omnia, quæ de templis, altaribus, tabellis &c. asseritur; non videtur, qua ratione

ne licitum esse possit Christianis adesse talibus ceremoniis ac sacrificiis; imo eadem plane, saltem exterius, agere.

* Quid? quod Patres Joannes Adam Schaal, Ignatius de Acosta, Antonius de Govea, & alii Patres Societatis Jesu non probarunt Decretum à Patre Martinio impetratum; ita ut eo lecto Pater Adam cohibere se non potuerit, quominus scriberet ad Religiosum Sancti Dominici Hispano idiomate: Egregiam scilicet doctrinam affert Pater Martinius ut Sinæ doceantur idola colere. *Buena doctrina trae el P. Martinio para ensenar á idololatrar los Chinas.*

IV. Statuit Dominus Maigrot ne Christiani sacrificiis seu oblationibus, quæ quotannis offerri solent Confucio & Progenitoribus, intersint, neque interesse permittant illis Missionarii. Rationem addit, quia superstitione sunt imbuta: quod non temere ait, sed, ut dictum est, post accuratissimam diligentissimamque inquisitionem. Atque hoc unum ex iis est, in quibus desideratur fidelitas Reverendi Patris Martinii, qui facta ita proposuit, ut ne vel umbram quidem superstitionis inesse significaret. Certe si ceremoniæ Sinarum circa Confucium & circa defunctos ad cultum mere politicum institutæ essent, ut exposuit, nemo eis repugnasset.

Atqui earum usus adeo vitiosus plerisque Missionariis visus est, ut eam ob rem perpetuis conscientiæ stimulis morsibusque exagitati fue-

**Navar. Tom. 2. Tract. 6. fol.* 332. *numero* 2.

fuerint. Nec mirum: Etenim I. secundum Librum Ritualem Sinarum tabella illa, quæ in ejusmodi ceremoniis adhibetur, eo fine erigitur, ut mortuorum spiritus in illa insideant; spiritus invitantur, ut in illam veniant, & sacrificium seu oblationem gratam habeant. Libatur vinum ad eos evocandos: multa fiunt coram ea tabella, quæ illos præsentes esse significant: post peractam ceremoniam complura bona familiæ ac Patri familias; qui oblationi præfuit, quique ea orando postulavit, promittuntur. Nec ullius ponderis sunt quæ dicuntur, ut illa omnia in bonam significationem trahantur; nulla quippe interpretatio affertur, quæ superstitionis labem amoveat. II. Non solum Confucii nomen vel defuncti apponitur in tabella, ut supposuit Reverendus Pater Martinius, sed etiam adduntur literæ significantes eam esse spiritus, vel animæ illius, cujus nomen præscriptum est, sedem; quod ipsemet Reverendus Pater Martinius in sua Historiæ Sinicæ Epitome fol. 12. narravit de tabella quadam *in qua Sinensi lingua, literis aureis exaratum erat spiritualis custodis sedes.* Eædem autem literæ erant quæ sunt in Confucii & defunctorum tabellis.

III. Reverendus Pater à Sancta Maria Ordinis Minorum juratus retulit, Patrem Martinium sibi confessum esse, à trecentis annis introductam fuisse à Sinis eam corruptelam animas Defunctorum exorandi.

Cæterum quando Christianis interdixit

Gg Do-

Dominus Maigrot etiam cum Gentilibus intereſſe oblationibus Confucio & Progenitoribus fieri ſolitis, prohibuit ſolummodo præſentiam formalem, ut vocant, conjunctam ſcilicet cum voluntate communicandi cum Gentilibus, non verò præſentiam materialem. Nam Chriſtianis intereſſe non licet Confucii & Progenitorum ſolennibus ſacrificiis, ratione gradus, officii, aut parentelæ, quin ſuperſtitionis participes fiant: ſiquidem, ut jam dictum eſt, libatur ſeu in terram funditur vinum: adeſt Magiſter ceremoniarum, qui, cum hæ aliæque actiones peraguntur, omnes qui adſunt, modo genua flectere, modo ſurgere, modo ſe inclinare jubet: ac ſi aliqui, aliis genua flectentibus, ſtarent, ab omnibus uti Confucii & Progenitorum contemptores male haberentur.

V. Quod ad tabellam ſpectat quæ in honorem defunctorum privatis in domibus erigi conſuevit, ſtatuit Dominus Maigrot, niſi omnino amoveatur, quod vehementer optaſſet, deleri ſaltem, ſeu in ea non ſcribi verba quædam apertius ſuperſtitionem continentia, ſolumque nomen defuncti apponi, ad ſummum addita litera *Goey*, cum declaratione, qua tollatur periculum ſuperſtitionis ex ambiguitate verborum imminens. Hujus ſtatuti adeo evidens eſt neceſſitas, ut nonnulli ex Miſſionariis conqueſti ſint, quod omnino non interdictus fuerit ejus tabellæ uſus. Quocirca rogatur humiliter S. Congregatio, ut definire dignetur, num omnino prædictus uſus ſit tollen-

tollendus, ut omnis idololatriæ occasio auferatur.

VI. Decernit ne aliqua publice dicantur ex quibus Christiani possent in superstitionem aliquam induci, verbi gratia, *Philosophiam, quam Sinæ profitentur, si bene intelligatur, nihil habere Legi Christianæ contrarium.*

Non supervacaneam videri debere hanc cautionem ostendit 21. dubium ab Illustrissimo Domino Navarrette Sacræ Congregationi propositum anno 1674. & ab ea Reverendissimis Patribus de Laurea & Miraballo traditum ad examinandum; à quibus data est Responsioni Declarationi Domini Maigrot consentanea, ut videre licet apud eundem Navarrette Tom. 1. Tract. 5. pag. 494. in principio.

Damnat etiam librum quem Sinæ *Je King* appellant &c. quæ referre non est opus, cum existimare par sit Dominum Maigrot virum, qualis supra descriptus est, periculum agnovisse, quod præcavere curavit hoc interdicto.

VII. Statuit ut Magistri, qui Libros Sinicos in Scholis prælegunt pueris, errores, Atheismum, superstitionemve exhibentes confutent, & ex iis occasionem capiant explicandi doctrinam Orthodoxam de Deo & de mundi creatione atque gubernatione.

Septem hæc capita dumtaxat decernenda duxit Dominus Maigrot ex multis quæ gravem difficultatem & periculum Christianitati Chinensi afferunt, tum quod præcipua sint, tum quia ex eorum definitione quid de aliis existimandum sit, poterit facile judicari.

Reliquum eſt, ut cum eo alios Vicarios & Miſſionarios in his conſentire oſtendatur, pariterque nihil mali metuendum, ſed maximum bonum ſperandum ex Declarationis executione.

Certe ſi alia deeſſent argumenta quæ veritatem, juſtitiam ac neceſſitatem hujus Declarationis probant, hoc unum ſufficeret, quod toto in ejus Vicariatu, atque etiam in Provincia *Kianſi*, ut patet ex Declaratione Domini Baſſet Provicarii Apoſtolici hujus Provinciæ, gratiſſime accepta fuerit, plurimumque laudata & in uſum inducta à cunctis Miſſionariis, exceptis Patribus Societatis Jeſu. Præterea communi conſilio cum Domino de Lionne Vicario Apoſtolico & electo Epiſcopo compoſita eſt, ut dubitari non poſſit, quin eam in ſuo Vicariatu promulgaturus ſit. Jamque in aliis Provinciis extra Vicariatum Domini Maigrot eodem cum applauſu excepta eſt: ut teſtantur complures epiſtolæ, quarum exempla proferuntur. Rogantur humillime Eminentiæ Veſtræ ut legant illas, præcipuè, quas ſcripſit ex Civitate Nanking Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Aleoniſſa Romanus Vicarius Apoſtolicus Nanking, nunc Epiſcopus Beritenſis & Vicarius Apoſtolicus Hukuang, pietate, doctrina, & zelo miniſterium ſuum honorificans; quibus præcipuè in Epiſtola ad Reverendum Patrem Thomam Croquer Ordinis Sancti Dominici, indicat ſe, niſi quod tunc ſpargeretur, revocatam eſſe ſuam aliorumque Vicariorum in China auctoritatem, ſimi-

ſimilem Declarationem editurum fuiſſe: item quas ſcripſerunt Dominus Le Blanc Miſſionarius in China jam Vicarius Apoſtolicus Provinciæ Junan; Reverendiſſimus Pater Vicarius Provincialis Ordinis Sancti Dominici, Reverendiſſimus Pater Commiſſarius Provincialis Franciſcanorum, qui in Provincia de Canton commoratur, & Reverendus Pater Lucas Thomas Ordinis Sancti Franciſci, quorum auctoritas ac fides conſpicuis virtutibus & ſcientia ſuſtinetur. Liquet enim ex illis, Declarationem Domini Maigrot maximo gaudio affeciſſe Miſſionarios, utpote multis conſcientiæ angoribus excruciatos, quibus ut ſe liberarent, nonnulli è China aliò migrarunt, quos poſt remedium adhibitum, redituros, atque etiam alios acceſſuros ſperandi locus eſt.

Porro ex iiſdem literis patet Chriſtianos in iis locis, in quibus ad eam Declarationem ſe conformarunt, vitam agere tum æque tranquillam, tum etiam Chriſtianæ Religioni magis conſentaneam, quam in aliis locis.

Quod ſi abſque periculo, imo etiam maximo cum fructu Declaratio Domini Maigrot jam uſu recepta eſt in duabus ampliſſimis Provinciis, nihilque continet quod à 50. plus annis à Patribus Dominicanis & Franciſcanis in ſuas per totam Chinam Eccleſias introductum non fuerit, quid metuendum eſt in aliis, cùm nulla ſit in illis ſpecialis metuendi cauſa? Enimverò Miſſionarii Ordinis Sancti Auguſtini & Sancti Franciſci Oratori ſignificarunt, ſe, ſi Declaratio ſimilis in Provincia de Can-

ton promulgaretur, accepturos, ac nominatim Pater Ribera Auguſtinianus Miſſionarius celebris, ſuam agendi rationem, ſtatutis in ea Declaratione ſemper congruam fuiſſe affirmavit.

Patres Societatis Jeſu pro ſententia ſua Declarationi Domini Maigrot contraria nihil habent alicujus momenti; ſed tantum ſæpe probabilitatem opponunt, quam ex ſua vel ex ſuorum petunt auctoritate. Verum eorum ſententia neque probabilis eſt, neque, ſi eſſet, ejus uſum redderet licitum. Nam rituum in ea Declaratione reprobatorum ſatis aperta eſt ſuperſtitio, ut abſurdum ſit, eos tanquam civiles dumtaxat tueri: quoniam, ut oſtenſum eſt, ſacrificium offertur, & aliæ uſurpantur ceremoniæ, quæ non niſi ad Deum referri ſolent. Et quamvis haud ita conſtaret eas eſſe ſuperſtitione idololatrica imbutas, ipſum idololatricæ periculum poſtularet, ut omnino prohiberentur.

Quin etiam cujuſmodi ſint, cum abſque periculo omitti poſſint, vel propter minimum periculum, abſtinendum eſſet ab illarum uſu; multo magis cum idololatriam apertè præ ſe ferant. Fruſtra igitur obtenditur probabilitas, quæ plerumque hocce tempore nonniſi color eſt ad excuſandas excuſationes in peccatis, neque locum ullum habere poteſt, ubi agitur de rebus graviſſimis, verbi gratia de ſacramentorum natura & efficacitate; de religione, ut colligitur ex fœl. record. Innocent. XI. Decreto die 2. Martii 1659. adverſus 65. propoſitiones edito; præſertim ex cenſura quatuor pri-

primarum propositionum. Et mirum est hac de re quemquam dubitare, cum in rebus longe majoris pretii imprudens omnino judicandus sit, qui tutiorem partem non amplectatur.

Accedit quod hæretici tum Angli, tum Batavi qui vel illic vel in vicinia mercaturæ causa versantur, non possunt non graviter offendi, rescientes Catholicos nonnullos ritibus uti, quos reliqui idololatriæ damnant; cui scandalo tollendo impar est omnino Probabilitas.

Cum igitur & facti veritas testimoniis certis constet, & jus ex ipsis propositionum declaratarum verbis liqueat, jamque sæpe definitum sit à Sacra Congregatione, & nihil periculi timendum sit, ex obtemperatione Declarationi Domini Maigrot, & periculum idololatriæ sit evidens & certum; placeat Eminentiis Vestris tam gravi malo quamprimum occurrere, ne inutiles evadant Missionariorum labores & pereant animæ Christi sanguine redemptæ, totque laboribus ad Catholicam Religionem adductæ. Etenim si responsa Missionariorum jam jam profectorum expectentur, plusquam duodecim anni effluent, antequam ipsi Missionarii per se veritatem inquirere & cognoscere per se potuerint.

In reliquis controversiis Missionariorum, duæ sunt, de quibus præcipue doceri efflagitat Dominus Maigrot, 1a. de usura, quam peccatum esse Sinæ perpauci norunt, nisi fortequando omnem fere modum excedit. Ge-

neratim enim triginta, ut aiunt, pro centum accipiunt; neque hac de re ipsi scrupulo anguntur, neque scrupulum injiciunt multi Missionarii. Huic igitur & Christianorum & Missionariorum periculo placeat Eminentiis Vestris remedium vel apponere, vel quale sit apponendum præscribere.

Altera est de exhibita à Literatis in Confucii templo coram ejus tabella reverentia. Nam præter illa quæ jam dicta sunt de tabellis & locis ejus cultui dicatis, nec non de sacrificiis illi offerri solitis, alius honor ei à Literatis præstatur, non in aula, sed in templo Confucii, & coram ejus tabella se profundè inclinant terram pluries fronte percutientes. Ab hac quidem ceremonia multi Literati, præcipientibus Missionariis refugiunt; sed multi, convenientibus aliis Missionariis eam exequuntur. Res olim huic Sacræ Congregationi proposita fuit à Reverendissimo Navarrette, & de ea postulatum votum dederunt Reverendi Patres de Laurea & Miraballo: qui Quæsito an genua flectere &c. responderunt non licere; talia enim præstare omnino periculosum visum fuit Domino Maigrot.

Cum itaque, Eminentissimi & Reverendissimi Patres, ex omnibus allatis de veritate facti constet. Obsecrat humiliter Orator Eminentias Vestras per viscera misericordiæ Christi, ut tantam animarum miserè pereuntium stragem impedire velint, & ab innumeris molestiis, animi angoribus, conscientiæque morsibus liberare Missionarios. Quas Deus &c.

VE-

VERITAS FACTI

Circa quosdam Sinarum usus controversos, probata ex ipsis Scriptoribus

SOCIETATIS JESU,

Juxta Decretum 3. Julii 1697. S. Congregationi Sancti Officii:

PRO

NICOLAO CHARMOT

Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum aliorumque Missionariorum Gallorum Asiæ Orient. Procuratore Generali.

Oblat. die 6. Augusti 1697.

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres.

NIcolaus Charmot Missionarius Apostolicus Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum aliorumque Missionariorum Gallorum Asiæ Orientalis Procurator Genera-

lis Eminentiis Vestris humiliter exponit, quod cum Eminentiæ Vestræ præceperint die 3. mensis Julii proximè elapsi, ut ex septem capitibus quibus constat Edictum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Maigrot, ea seligerentur quæ definiri & confirmari possent ex testimoniis aut documentis Auctorum, præsertim Patrum Societatis Jesu qui de rebus Sinicis scripserunt: huic Decreto ut pareret Orator, quam maximâ potuit diligentiâ, ejusmodi testimonia conquisivit, ac tandem tot tamque expressa invenit, ut speret fore ut nulla posthac sit de facto controversia, sed restet solum jus ab Eminentiis Vestris post varia Decreta, quibus de eo jam præjudicatum est, ultimo judicio definiendum.

Facta quæ probaturum se recipit Orator quatuor sunt, ex quorum veritate pendent singula capita Edicti seu Declarationis Illustrissimi Domini Maigrot.

Primum factum est Vocibus *Tien* & *Xangti* Cœlum materiale, non Deum verum, à Sinis intelligi: quod si Orator probaverit, inde legitime concludet Illustrissimum Dominum Maigrot primo Edicti sui capite rectè prohibuisse, ne Christiani voces *Tien* & *Xangti* usurparent ad verum Deum significandum; itemque secundo ejusdem Edicti capite jure merito decrevisse, ne in Ecclesiis appendatur quædam tabella, cui hæ duæ voces, *King Tien*, id est, *Cœlum colito*, inscriptæ sunt.

Secundum factum est, loca in quibus Sinæ Confucium Philosophum & Progenitores defunctos

functos colunt, vera esse templa; in iis ad Altare offerri victimas, cereos accendi, suffitiones fieri cum genuflexionibus ante tabellam, atque ejusmodi oblationibus & ceremoniis à Confucio & Progenitoribus Sinas petere ac sperare felicitatem hujus vitæ & bona temporalia. Ex quo, si probatum fuerit, rectè inferetur Illustrissimum Dominum Maigrot tertio capite sui Edicti merito declarasse veridica non esse quæ Reverendus Pater Martinius huic S. Sedi circa hujusmodi cultum proposuit, sequentique capite rectè prohibuisse, ne Christiani ejusmodi oblationibus & ceremoniis in honorem Confucii ac Progenitorum intersint.

Tertium factum est, in privatis domibus apponi tabellas, quibus inscripta sunt nomina Progenitorum defunctorum, & alia nonnulla quæ eorum animas tabellis illis insidere significant & locum in quo dicta Tabella appenditur, iisdem animabus dedicatum esse; quod ubi demonstratum fuerit, patebit Illustrissimum Dominum Maigrot usum hujusmodi tabellarum, nisi certæ cautiones ad amovendam omnem superstitionis suspicionem adhibeantur, rectè prohibuisse.

Quartum denique factum est, Philosophiam, quam Sinæ profitentur, esse Christianæ legi contrariam, & librum quem Sinæ *Ye King* appellant, continere Magicas superstitiones. Quod postquam probatum fuerit, manifestum erit Illustrissimum Dominum Maigrot non immerito declarasse Sinicam Philosophiam

phiam in multis Religioni Chriſtianæ adverſari; adeoque Magiſtris Scholarum in legendis Sinarum libris cavendum, ne diſcipuli pravis illis doctrinis imbuantur.

Primum Factum.

Quod vocibus *Tien* & *Xangti* Cœlum materiale, non verus Deus à Sinis intelligatur conſtat ex teſtimoniis ſequentibus:

Reverendus Pater Alvarus Semedo Luſitanus ex Societate Jeſu in libro Italicè ſcripto, cui titulus: *Relatione della grande Monarchia della China.* Part. 1. Cap. 17. pag. 105. funus Reginæ matris deſcribens ait: *Agli otto ſi fecero ſacrificii al cielo, terra, pianeti, monti, e fiumi, con gran ſolennita.*

Ubi Auctor clare aſſerit oblatum fuiſſe cœlo ſacrificium, quod de cœlo propriè dicto & materiali accipi debet, ſicut de terra, planetis, montibus & fluminibus materialibus.

Minime verò audiendi ſunt qui ad amovendam idololatriam, per cœlum ſive voces *Tien*, *Cœlum*, & *Xangti*, *Imperatorem ſupremum*, non cœlum ipſum materiale, ſed cœli conditorem hoc eſt Deum Opt. Max. cœli creatorem interpretantur. Nam habemus ex Patre Kirkero Societatis Jeſu Deum illum, quem nomine cœli colit ſecta Literatorum, corporeum & figura præditum eſſe ac ſenſibus comprehendi: ſic enim ait in libro inſcripto,

China

China illustrata pag. 29. §. cui titulus : Interpretatio tertia.

„ Aliqui creaturam Creatoris loco habe-
„ bant ; alii principium rerum omnium va-
„ cuum ponebant & ens reale (alludit ad hæc
„ secta Pagodum & Literatorum Sinensium)
„ quoniam illi asserunt quod principium è
„ quo omnia prodiere sit vacuum ; quod i-
„ dem illis est ac subtile, & sensibus imper-
„ ceptibile, etiamsi in se reale sit & positi-
„ vum principium ; Literati verò dicunt, quod
„ principium rerum non solum reale est &
„ positivum, sed præterea talis sit figuræ ac
„ corpulentiæ, ut sensibus comprehendi
„ queat.

Atqui verus Deus formam, figuram, speciem & corpus non habet. Cœli ergo nomine non cœli effectorem, sed Cœlum materiale ac corporeum Literati Sinenses intelligunt.

Reverendus Pater Gabriel de Magaillans Lusitanus ex Societate Jesu & Missionarius Apostolicus in libro cui titulus est : *Nova Relatio de Sinis*, ex manuscripto ejus originali Lusitanico in Gallicam linguam converso Cap. 21. pag. 360. sequentia verba habet, quæ Latinè reddita sic sonant :

„ Percontanti mihi quodam die ex quo-
„ dam Literato quid ejusmodi jejuniis & sa-
„ crificiis consequi velint, & quo pacto dici
„ queat

„ queat nunquam Regem nec Reginam pu-
„ blicitus idolis ſacrificare ; cum Cœlum,
„ Tellus, Sol, Lunaque corpora inanima
„ ſint, adeoque minimè digna veneratione &
„ ſacrificiis, quæ eorumdem effectori Deo
„ debentur ; reſpondit ille, duas iſti nomini
„ *Cœlum* ſubjectas eſſe notiones : primùm
„ namque hac voce intelligi Cœlum materia-
„ le, quod Sinicè *Yeu him*, *Chi Tien*, dici-
„ tur, quod oculis cernimus & cujus effectus
„ quemadmodum & ſolis, lunæ ac ſtellarum,
„ experimur. II. Cœlum immateriale accipi,
„ quod *Yeu ou Him Tien* vocatur, figuræ
„ omnis expers, omniumque rerum fontem
„ & originem, ideoque à mundi Creatore &
„ Opifice minimè diverſum. Huic antiqui
„ Sinenſes, inquiebat ille, ſacrificia ac jeju-
„ nia offerebant, tum ejus placandi cauſa,
„ tum etiam ut ei gratias agerent pro benefi-
„ ciis, quæ aſſiduè quidem, at præſertim
„ quatuor anni temporibus ab eodem accepi-
„ mus : ſed homines, utpote qui hebetes
„ ſunt, & corporibus addictiores, veri re-
„ rum omnium arbitri dominique memoria
„ abjecta ; nihil aliud jam in animo habent
„ præter Cœlum materiale, quod oculis cer-
„ nimus.

In quo quidem colloquio advertendum eſt primò, Patri Magaillaens perſuaſum fuiſſe, cultum cœlo à Sinis præſtitum eſſe idololatricum, atque ut Literatum Sinam de illa idololatria convinceret, ſciſcitatum eſſe, quomodò abſque idololatria poſſent corpora inanima ſacri-

ſacrificiis coli, ſoli Deo eorum Creatori debitis. II. Sinam non negaſſe illum cultum nunc idololatricum eſſe, ſed reſpondiſſe olim legitimum fuiſſe, eo quod non Cœlum materiale, ſed immateriale, hoc eſt Creator & principium rerum omnium tunc coleretur. Ex quibus neceſſariò conficitur, ex mente Literatorum communitèr ſacrificia & alia Religionis officia nonniſi Cœlo materiali nunc deferri.

Reverendus Pater Joannes Petrus Maffeius Societatis Jeſu in libro cui titulus; *Hiſtoriarum Indicarum* Libri 16. pag. 100. ita claré affirmat cultum Sinarum erga Cœlum eſſe idololatricum, ut ejus verba commentario aut interpretatione non egeant. „ Non pauci, „ inquit, muta ſimulachra vel etiam informes „ adorant lapides; namque ii ferme Dii Gentium ſunt. Ad hæc artis cujuſlibet inventores alioſque privatim aut publicè bene „ meritos, quidam etiam parentes charoſve in „ numina referunt: iiſque & ſtatuas & templa ponunt, & vota faciunt, & adolent „ thura, non mortuis modo, ſed etiam, (quod „ magis deteſtere) viventibus. Alii ſolem & „ lunam, ac ſtellas, cœlumque præcipuè ipſum, unde cuncta in terra bona promanent, „ omni ſtudio colendum exiſtimant.

Domino Maigrot ad prohibendas voces *Tien*, *Xangti* & ſimiles præiverat Reverendus Pater Andreas Palmeirus Viſitator Patrum So-

Societatis Jesu in China, de quo Reverendus Pater Bartolus ejusdem Societatis in Opere inscripto: *Dell' Historia della Compagnia di Giesù, la China terza parte dell' Asia* Lib. 4. pag. 898. hæc habet;

„ Gli parve (al Padre Palmeiro) di non „ lasciarsi quella questione horamai piu libera „ a disputarsi: e poiche (disse) non poteva „ concordar gl' ingegni, accorderebbe le boc„ che, e il fece, serrandole a tutti, con proi„ bire sotto grave precetto il non usar la vo„ ce scianti.

Reverendus Pater Ludovicus Le Comte Societatis Jesu in libro Gallico inscripto: *Novi Commentarii de præsenti statu Sinici Imperii* Tom. 2. fol. 181. hæc habet quæ Latinè reddita exhibentur:

Nequaquam sicut olim jam colitur Supremus ille cœli Monarcha justus, omnipotens, spirituum princeps, conditarumque rerum omnium Dominus. Eorumque in Opere nihil amplius nunc cernitur præter subtilem quemdam eumque tectissimum Atheismum, ab omni vera Religione prorsus alienum.

Ex his verbis apparet, Sinas Deum cœli Conditorem non colere; cumque nihilominus evidens sit cœlum ab eis coli externo & religioso ritu, consequens est ut cultus ille jam referatur ad Cœlum materiale.

Pag. verò 18. sic scribit:

„ Hocpacto Literatorum Secta coaluit, qui quan-

„ quantumvis ore labiisque (propterea quod „ cœlum adorandum esse sæpius inculcant) „ Deum colere dici possint, ab eo nihilominus tamen alienissimum animum habent: „ hæc namque verba quæ pietatis summæ speciem præ se ferunt, impia interpretatione adulterant, qua numen quodcumque funditus tollunt, omnemque Religionis sensum „ prorsus extingunt.

Denique pag. 186. hæc scribit idem Pater Le Comte:

„ Dixit aliquando Imperator Patri Verbiest „ suo Mathematico: quid est cur nostras de „ Deo voces ac elocutiones refugitis, quas si „ usurpare velitis, minus multas utique contradictiones Religio vestra inveniret? Supremum numen *Tien Chu* * nominatis, quod „ nos *Xangti* appellamus. Nonne res eodem recidit? An repudianda & abjicienda „ vox est, propterea quod ei falsam notionem vulgus affinxerit? Huic verò ita respondit Pater Verbiest: scio equidem Majestatem Vestram hac in re antiquæ Sinarum doctrinæ inhærere, sed de illa aberrarunt Doctores non pauci, qui si iisdem, atque ipsi, „ locutionibus utentes nos audiant, idem „ etiam sentire secum facile existimabunt. At „ verò si placet Majestati Vestræ Edicto publico declarare nomen *Xangti* nihil aliud significare, nisi quod à Christianis voce **Tien** „ *Chu*

* *Tien Chu significat* Dominum Cœli, Xangti *verò* Supremum Imperatorem, *quo nomine Literati intelligunt ipsum Cœlum.*

„ *Chu* intelligitur, utramque vocem indiscri-
„ minatim ac promiscuè adhibere non dubita-
„ bimus. Probata fuit Imperatori Patris respon-
„ sio, sed ejus consilio ne pareret, humanæ
„ rationes impediere.

Mirum si huic testimonio à Patribus Societatis quidquam objici potest. Etenim ex eo certum fit non posse usurpari vocem *Xangti* in sensu quo vulgò intelligitur sine idololatria, fatente etiam ipso Sinarum Imperatore.

Postremo Reverendus Nicolaus Longobardus Societatis Jesu in China Missionarius, in tractatu qui extat linguâ Hispanicâ apud Illustrissimum Navarrettam tom. 1. pag. 146. hac de re ex professo disputans, fusè ostendit, Sinas Literariæ Sectæ addictos verum Deum non agnoscere & vocibus *Tien* seu *Xangti* Cœlum materiale, à quo res omnes inferiores dependent, intelligere.

Secundum Factum.

Secundo loco quærendum est de veritate facti circa cultum adhiberi solitum Confucio Philosopho & Progenitoribus defunctis.

De cultu Confucii.

De cultu qui exhibetur Confucio Reverendus Pater Martinius in 30. quæsito libelli sui quem Alexandro VII. & huic Sacræ Congregationi obtulit sic loquitur: „ dum accipiuntur

tur gradus à Literatis *in aula* Confucii, nul-
„ lus intervenit sacrificulus vel ex idololatria
„ secta Ministellus; nihil omnino fit ab ido-
„ lolatris institutum, sed soli studiosi & Phi
„ losophi conveniunt; Confucium tanquam
„ Magistrum suum agnoscentes, civilibus ac
„ politicis ritibus ex sua prima institutione ad
„ merum cultum civilem institutis.

„ Omnes enim Graduandi simul aulam
„ Confucii ingrediuntur; in qua eos expe-
„ ctant Cancellarii, Doctores, & Examina-
„ tores, ibi simul omnes ante nomen Philo-
„ sophi, *NIHIL OMNINO OFFE-
„ RENDO*, illas faciunt ceremonias & in-
„ clinationes more Sinico, quas omnes disci-
„ puli faciunt suis Magistris vivis; atque ita
„ cognito Philosopho Confucio pro Magistro;
„ gradus accipiunt à Cancellariis, ac disce-
„ dunt. Præterea *AULA* illa Confucii
„ *GYMNASIUM* est, & non templum
„ propriè dictum.

In his proponendis verum non dixisse Patrem Martinium patebit ex testimonio ipsorummet Scriptorum Societatis Jesu, quibus quatuor sequentes articuli, demonstrantur: I. Ædem Confucii non esse simplicem aulam; sed templum propriè dictum. II. In eo templo non fieri simplices inclinationes ante Tabellam nomine Confucii inscriptam, sed ei offerri victimas, vinum, fructus, pannos sericos qui deinde comburuntur; accendi cereos; fieri suffitus. III. Ceremonias illas quæ fiunt à Literatis Confucio plurimum dis-

crepare ab iis quas omnes discipuli faciunt suis Magistris vivis. IV. Non in templo Confucii, sed in palatio huic functioni destinato conferri gradus Literatis.

Quoad primum articulum pertinet, probatur domum Confucii non esse aulam, sed templum. Ex Reverendo Patre Matthæo Riccio celeberrimo Societatis Jesu Missionario qui anno 1583. Chinam ingressus linguam primus ex Europæis didicit, & annos fere triginta in China versatus, ibidem obiit, relictis commentariis manuscriptis, quos postea Reverendus Pater Nicolaus Trigautius ejusdem Societatis Missionarius è China redux typis edidit anno 1615. cum hoc titulo: *De Christiana expeditione apud Sinas suscepta ab Societate Jesu &c. Libri quinque. Sic autem legitur* libro 1. cap. 10. pag. 118.

Proprium Literatorum fanum est ipsius Confucii Philosophorum Sinensium Principis. Id ei per Leges in qualibet Urbe constituitur eo in loco, quem supra Literarium ludum vocari diximus. Id magno sumptu consurgit, & contiguum habet palatium ejus Magistratus, qui primum Literarum gradum consecutis præest. In celeberrimo fani loco statua illius visitur, aut ejus loco nomen cubitalibus literis aureis in pereleganti tabula descriptum. Ad ejus latus statuæ adstant quorumdam ejus discipulorum, quos Sinæ in Divos, sed inferioris Ordinis retulere. In hoc fanum novilunio ac plenilunio quolibet conveniunt Magistratus omnes Urbani cum renunciatis Baccalaureis, Magistrum solitis inclinationibus ac genu-

genuflexionibus, cereis etiam ac suffitu, venerari.

Reverendus Pater Alvarus Semedo Societatis Jesu libro jam citato, quem ipsemet ex Sinis redux in Urbe typis evulgavit part. 1. cap. X. pag. 63. de Confucio sic scribit:

„ Fù questo huomo ad ogni modo nelli
„ tempi susseguenti in tanta gratia appresso li
„ Chinesi, & in tanto credito furon tenuti li
„ libri che compose, li detti, e sentenze che
„ lasciò; che non solamente lo tengono per
„ Santo, Maestro, e Dottore del Regno, e
„ ciò che diesso si cita viene stimato come per
„ cosa sagra; mà ancora in tutte le cita del
„ Regno hà *TEMPII PUBLICI*, dove
„ con molte cerimonie & a suoi tempi deter-
„ minati è riverito, e nell' anno de gli esa-
„ mi, una delle principali cerimonie è che i
„ nuovi Graduati vadano tutti insieme a far-
„ gli riverenza e conoscerlo per Maestro.

Hæc quidem in corpore: in margine verò sic habet summa seu argumentum. *In tutti i Regni è stimato tanto (Confuzio) che hà tempii publichi.*

Hoc etiam liquet ex testimonio Patris Danielis Bartoli ejusdem Societatis lib. 1. pag. 50. & 51. Quantumvis enim, propterea quod post adventum Patris Martinii in Urbem scripsit, obscurius loquatur, & in suorum gratiam nonnihil connivens, atrium seu Theatrum Academicum appellet quod Patres Societatis Jesu ante exortam hac de re controversiam, ingenue templum nominabant; satis

Hh 3 tamen

tamen ex ejus verbis patet, non palatium, ſed templum dicendum eſſe, ubi, ut & ipſe fatetur, thus adoletur, mactantur animalia, aliique ſimiles ritus peraguntur. Sic enim ait:

„ Ma la memoria (di Confuzio) ne è ri-
„ maſta immortale, e anche oggidi dopo ven-
„ ti, e più ſecoli ella vive e fioriſce in ſi gran
„ maniera, che quanto all' eſtrinſeche dimo-
„ ſtrazioni d'oſſequio, gli Iddii ſteſſi ò non
„ ſi honorano altretanto come Confuzio, ò
„ di nulla l'avanzano. In ogni città, che tan-
„ te ve ne ſono in quel popolatiſſimo regno,
„ egli per lege fattane dagl' Imperadori, ha
„ di coſta al palagio del Maeſtro una ſala ò
„ Thatro Academico, che vogliam dirla a
„ maniera di tempio, fabrica di magnificenza
„ reale. Quivi in un luogo eminente il ſuo
„ nome a grandi lettere doro ſcritto in mez-
„ zo a una tavola vaghiſſimamente fregiata:
„ ò ſe non queſto, una ſtatua che il rappre-
„ ſenta d'intaglio ò di getto, per lavoro Chi-
„ neſe opera eccellente. Due volte il meſe,
„ ne di appunto in che volge la nuova luna, e
„ ſi compie la piena, il Maeſtrato ſolenne-
„ mente in habito, e ſeco tutti dal ſommo
„ all' infimo grado i Profeſſori di lettere ſi
„ preſentano a riverirlo, come altreſi nel
„ giorno annuale del ſuo naſcimento, celebre
„ altretanto che auventuroſo a tutta univerſal-
„ mente la China. Le cerimonie dell' hono-
„ rarlo ſon molte; e comminciano dalle quat-
„ tro riverenze di qual profondiſſimo inchi-
no,

„ſto, che dicevamo giungere fino a toccar
„ con la fronte il ſuolo: indi recitare elegan-
„ tiſſimi componimenti in ſua lode; ſparger-
„ li fiori inanzi: ardere in un grande incen-
„ ſiere odoroſi profumi: offerirgli un cervo,
„ e bei drappi di ſeta, e ſomiglianti altri do-
„ ni, che poſcia offerti s'abbruciano.

De ſecundo articulo circa ceremonias quæ fiunt in templo Confucii, eas videlicet tales non eſſe quales expoſuit Pater Martinius, patet primum ex teſtimonio jam allato Patrum Riccii & Trigautii in libro *De Chriſtiana expeditione &c.* cap. 10. pag. 118. ubi referunt genuflexiones fieri, cereos accendi, & ſuffitiones adhiberi ad imaginem ſeu Tabellam Confucii.

Adductum eſt etiam ſupra teſtimonium Patris Semedo ubi hæc verba, *con molte cerimonie & a ſuoi tempi determinati è riverito* &c. conjuncta ſunt cum iſtis; *in tutte le Città del Regno hà tempii publichi, dove con molte ceremonie* &c. Rem apertius explicat Reverendus Pater Kirker Societatis Jeſu in ſuo libro cui titulus China illuſtrata part. 3. cap. 1. fol. 132. ubi declarat Confucium apud Sinas pro Deo ſeu numine haberi, adeoque habere ſua fana, in quibus ei ſacrificatur.

„ Porro, inquit, proprium Literatorum fa-
„ num eſt ipſius Confucii Philoſophorum Si-
„ nenſium principis; id ei per leges in quali-
„ libet Urbe conſtruitur eo in loco qui
„ eſt ſupra ludum literarium; id ma-
„ gno ſumptu conſurgit, & contiguum habet

 „ pala-

„ palatium ejus Magiſtratus, qui primum „ Literarum gradum conſecutis præeſt. „ In celeberrimo fani loco ſtatua illius viſitur plena literis, aut ejus loco nomen cubitalibus literis aureis in pereleganti tabula „ deſcriptum; ad ejus latus ſtatuæ adſtant „ quorumdam ejus diſcipulorum, quos Sinæ „ in Divos, ſed inferioris ordinis retulere. „ In hoc fanum novilunio ac plenilunio quolibet conveniunt Magiſtratus omnes Urbani „ cum renunciatis Baccalaureis Magiſtrum ſolitis inclinationibus ac genuflexionibus, cereis etiam & ſuffitu veneraturi: ad eum fere modum, quo Ægyptii primo die menſis „ Thot, ſuo Deo Mercurio ſolemnia celebrant. „ Hujus Dei ſtatuæ variæ quoque ſunt aliæ in „ templis prægrandes, aliæ parvæ, quas facili negotio ſecum circumferunt: cujuſmodi „ unam mihi Reverendus Pater Aſſiſtens Portugalliæ Societatis Jeſu Nuncius Maſcarenias „ communicavit, * cujus imaginem hîc adjungendam exiſtimavi: Vid. pag. anteced.

Idem Pater Kirkerus pag. 135. col. 1. ait, *à dextris* (idoli cujuſdam Sinici) *aſſiſtit celeberrimus ille inter numina pariter relatus Confucius.*

Quid poteſt expreſſius deſiderari, ut conſtet Confucium tanquam aliquod numen à Sinis coli? Quid aliud ſignificant hæc verba. *Hujus Dei ſtatuæ* &c. & iſta: etiam *inter numina relatus?*

Ad

* *Hæc in libro Patris Kirkeri viſitur effigies ſtatuæ Confucii.*

Ad rem præsentem confirmandam adduci etiam potest testimonium Patris de Paz Dominicani, cujus scriptum profertur à Reverendo Patre Tellier in sua *Defensione Novorum Christianorum* Gallicè scripta tom. 2. pag. 322. ubi re ert dubium quoddam propositum à Missionariis Tunkinensibus unà cum responso ejusdem Patris de Paz, quæ Latinè reddita sic se habent:

„ Sunt in hoc Regno templa Confucio de„ dicata quæ vocantur, Ædes Sanctæ, aut, „ Ædes Sancti. Ad ea omnes Literati & „ Graduati singulis annis bis aut ter congre„ gari debent, ibique sacrificia Confucio of„ feruntur, quemadmodum Reverendus Pa„ ter Joannes Baptista Morales Romæ anno „ 1645. exposuit: * quæritur an liceat Chri„ stianis &c.

„ † Post finitum sacrificium cui non intersunt „ Christiani, licet eis ad alios Literatos Pa„ ganos accedere, & Confucio genuflexiones „ facere . . . . quemadmodum sine damnabi„ li superstitione Confucio sacrificari & pre„ ces offerri non possunt, ita è contrario sa„ lutationes quæ ei exhibentur, cum sint me„ re civiles, cuivis Christiano Literato permit„ tuntur, præmissa protestatione de qua supra.

Nihil expressius afferri potest ad probandam veritatem facti, contra quam expositum fuit à Patre Martinio. Apertè enim Missionarii Tunkinenses dubium proponentes tanquam rem certam, & publicam referunt, ex-

* *Quæsitum Missionariorum Tunkinensium.*

† *Responsio Patris Joannis de Paz. Ibid.*

tare in Tunkino templa Confucio dedicata, eique sacrificia à Literatis offerri, idemque in sua Responsione agnoscit ac supponit Pater de Paz (Hoc autem ad Sinicum imperium extendi debere infra patebit). Neque refert quod idem Pater de Paz existimet, licitum esse Christianis literatis ad illa templa convenire & genuflexiones aliasque ceremonias quas mere civiles appellat, præmissa quadam protestatione, unà cum Gentilibus Literatis factitare. Id enim ad jus spectat, de quo modo non quærimus.

Quod ad tertium articulum attinet, ceremonias nempe, quæ fiunt à Literatis Confucio, plurimum discrepare ab iis quas *omnes discipuli faciunt suis Magistris vivis*; id etiam liquet ex testimoniis supra adductis. An Magistris dum adhuc inter vivos degunt, discipuli templa ædificant? An in thuribulis, thymiamata incendunt? Num cervos vel alia animalia, pannos sericos, & alia similia dona offerunt, oblataque comburunt? Num eos inter numina referunt?

Præterea apud Studiosos Confucii ejus doctrina eodem loco est, quo apud nos habetur Scriptura Sacra, ut refert Pater Joannes Philippus de Marinis Societatis Jesu in libro inscripto; *Delle Missioni de' Padri della Compagnia di Giesù &c.* lib. 1. cap. 8. pag. 104. in fine ubi ait: „ Il certo è che si alta corre la „ stima & opinione (di Confuzio) appresso „ i Cinesi e Giapponesi, e Tunchinesi, che „ la di lui dottrina e ricevuta come frà Chri-

„ stiani

„ ſtiani l'Evangelio : la credono venuta dal „ cielo, come canonica la venerano ; ed eſſo „ hanno in credito di Santo.

Quod ad quartum articulum ſpectat, videlicet gradus accipi non in templo Confucii, ſed in palatio huic contiguo, ſatis quidem ex allatis in præcedenti articulo probatur. Id tamen adhuc clarius confirmandum eſt.

Certè duo illa loca, aulam videlicet, in qua gradus conferuntur, & contiguum huic Confucii templum omnino inter ſe diſtingui, apparet ex jam citatis verbis Patris Riccii & Patris Trigautii lib. 1. *De Chriſtiana expeditione apud Chinas &c.* cap. 10. pag. 118. „ Proprium, inquit Literatorum fanum eſt ipſius „ Confucii Philoſophorum Sinenſium principis. Id ei per leges in qualibet urbe conſtruitur eo in loco quem ſupra literarium „ ludum vocari diximus. Id magno ſumptu „ conſurgit & contiguum habet palatium ejus „ Magiſtratus qui primum literarum gradum „ conſecutis præeſt.

Ex his igitur verbis, ut jam diximus manifeſtè diſtinguitur ludus literarius à templo Confucii ; in ludo verò literario , non autem in templo accipi gradus liquidò conſtat ex his eorumdem Patrum Riccii & Trigautii verbis lib. 1. cap. 5. pag. 36. *Primus Literatorum gradus confertur in ſingulis urbibus, eo in loco qui ludus appellatur &c.* ergo non in fano, ut exiſtimavit Pater Martinius, conferuntur gradus, ſed in ludo literario, quem fuſè deſcribit Pater Alvarus Semedo Societatis Jeſu

in

in ſua relatione cui titulus Monarchia della China part. 1. cap. 5. pag. 51. ubi etiam ille confirmat Literatis gradus conferri in illo literario ludo ſeu palatio, non in templo Confucii, in quod, ut idem Pater Semedo ait part. 1. cap. 10. pag. 63. veniunt Literati, non ante, ſed poſt gradus acceptos, ut Confucium venerentur & tanquam Magiſtrum agnoſcant.

De Progenitoribus defunctis.

De cultu Parentum & Avorum defunctorum ſic loquitur Reverendus Pater Martinius in quarto quæſito: ***Quod Sinæ nullam divinitatem animabus Defunctorum concedunt, nihil ab illis ſperant aut petunt.*** Sed quo pacto, quod affirmat hic Pater Martinius ſtare poteſt cum veritate teſtimoniorum ſequentium, ac præſertim cum verbis Patris Maffei Societatis Jeſu jam ſupra adductis? ***Quidam***, inquit, ***etiam Parentes, charoſve in numina referunt, iiſque & ſtatuas ac templa ponunt, & vota faciunt, & adolent thura?***

Reverendus Pater Alvarus Semedo Societatis Jeſu loco ſupra citato cap. 18. pag. 111. teſtatur à Sinis ædificari templa Majoribus ſuis, & ab illis quidem pro altera vita nihil, pro hac verò temporali vita, multa poſtulari. „ U' ha ancora, inquit Pater Semedo, tem„ pii d'huomini inſigni Benefattori del publi„ co, nelli quali ſtanno le loro imagini: l' „ iſteſſo honore fanno alli loro Maggiori in-
ſigni

„ ſigni al 40. grado in sù. Per l'anima nell' „ altra vita ne aſpettano, ne domandano coſa „ alguna. Con tutto ciò domandano ajuto „ temporale per queſta, buona ſorte, imitar „ le loro opere & i loro fatti.

Idem teſtatur Reverendus Pater Alexander de Rhodes Societatis Jeſu, in ſuo libro inſcripto; *Relatione de felici ſucceſſi della ſanctà fede* &c. lib. I. cap. XXVII. cæremonias adhiberi ſolitas in Majorum defunctorum cultu deſcribens, multa quidem lectu digniſſima refert, ſed hæc in primis pag. 88. poſt medium.

„ Quindi eſſendoſi pianto a baſtanza, co„ minciaſi il terzo ancor graviſſimo errore; „ auvenga che perſuaſi di ferma credenza che „ ogni proſpero, ò reo ſuccedimento di caſa „ ſpetti à morti Progenitori, coſi il capo di „ eſſa proſeguiſce il ſciocco ragionamento: „ Adunque Cariſſimo Padre ne di noi, ne „ della noſtra caſa mai vi ſcordate: concede„ te agli' huomini, alle Done, a fanciulli, a „ vecchi lunga vita; ricchezze abbondanti, „ ſana e proſpera robuſtezza, onde pervenia„ mo felici nella vecchiaia più eſtrema. Ciò „ detto, deve ciaſcuno con le ginocchia, e „ con la faccia per terra inchinare l'ombra in„ viſibile, comminciando il piu degno e ſe„ guetemente gl'altri della famiglia.

Hæc quidem Pater de Rhodes de Tunkinenſibus. Sed eædem ceremoniæ ſunt in toto Sinarum Imperio, utpote cujus membrum olim extitit Regnum Tunkini, ejuſque Religio-

gio-

gionem, ceremonias cultumque ſemper retinuit, ut habetur apud eundem Patrem Alexandrum de Rhodes lib. 1. cap. 11. pag. 35. his verbis:

„ Eſſendo il Regno di Tunkino ſtato anti-„ camente ſoggetto alle leggi de' Cineſi, le „ hà ritenute poi ſempre per ſuo governo; ne „ quando la prima volta ſi ſottraſſe al giogo „ ſtraniero apparue altra variatione nell'uſato „ ſuo reggimento, ſe non che elettoſi un „ Prencipe a ſe nativo, permiſegli il com-„ mando ſovrano, e che poteſſe di cauſe „ etiandio graviſſime a ſuo talento diſporre.

Et apertè etiam Reverendus Pater *Tellier* Societatis Jeſu in libro inſcripto: *Defenſio Novorum Chriſtianorum* &c. part. 2. pag. 314. idem teſtatur his verbis è Gallico in Latinum converſis:

„ Cum Tunkinum & Cocincina olim Sini-„ cæ gentis Provinciæ fuerint, aut ſaltem Re-„ gno Sinici Imperii tributaria, pleríque eo-„ rum mores & uſus, præſertim quod literas „ & religionem attinet, ad Sinas referri de-„ bent. Hinc eſt inter cætera, quod Anna-„ mitarum gens, hoc eſt Tunkinenſes & Co-„ cincinæ uſque in hodiernum diem ſummo „ honore Confucium Philoſophum proſequan-„ tur, & mortuos Parentes ſingulari cultu ve-„ nerentur.

Et pag. 315. „ Pleræque ceremoniæ quæ „ apud Tunkinenſes erga Confucium & de-„ functos parentes obſervantur eædem pror-„ ſus ſunt, atque illæ quæ apud Sinas uſu re-

ceptæ

„ ceptæ ſunt ; certè adeo inter ſe ſimiles „ ſunt, ut ſimul vel approbandæ ſint vel im- „ probandæ. Luculentius adhuc idem perhibet Pater Daniel Bartolus in ſua Hiſtoria jam citata lib. 4. pag. 854.

„ Hor quanto alle ſacre coſe che s'appar- „ tengono alla Religione e alle civili del pu- „ blico reggimento, il Tunchino anco in eſ- „ ſe poco ſi ſvaria della China.

Itaque in Sinenſibus etiam locum habet quod jam citatus Pater Philippus de Marinis ſcribit lib. 1. cap. 14. pag. 155. „ E ſe per „ ventura accadeſſe loro qualche diſgratia, „ l'attribuiſcono alla poca pietà inverſo i „ ſuoi defonti, de quali a queſto riſpetto „ ſtanno più auviſati, che di quando erano „ frà vivi, non iſtimando ugual male quello „ che poſſono ricevere da vivi, a quello che „ poſſono ricevere da vivi, a quello che puo „ venir da' morti.

Qua ergo ratione potuit Pater Martinius Sanctæ Sedi exponere, *Quod Sinæ nullam divinitatem animabus defunctorum, concedunt, nihilque ab eis ſperant aut petunt?*

Reverendus Pater Tellier in prædicta *Defenſione Novorum Chriſtianorum & Miſſionariorum* &c. 2. part. pag. 274. refert Tractatum Reverendi Patris à Sancto Petro, dicti alio nomine *Sarpetri*, Ordinis Sancti Dominici, Miſſionarii apud Sinas. In hoc verò Tractatu deſcribitur cultus Confucio & Majoribus deferri ſolitus, his verbis e Gallico Patris Tellier in Latinum tranſlatis:

„ Di-

* „ Dices circumſtantias in *Ci* ſeu in feriis quæ fiunt in honorem Confucii & mortuorum Parentum eſſe manifeſtè ſuperſtitioſas, exempli gratia cum in honorem Confucii animal cæditur; cum ejuſdem Philoſophi animus ut adſit, invitatur cum ei libatur vinum & ſanguis, ac pili cæſi animalis offeruntur, quos poſtea terræ infodiunt : cum magnificis titulis ac elogiis honoratur, cœlo & terræ æquiparatus: cum appenſa tabula ſpiritus defuncti Sedes appellatur, eidemque tabulæ, quidquid in hac ceremonia geritur, ſignificatur. His adde reliquam ceremoniæ pompam, videlicet augurium ex vino ſumptum antequan animal mox occidendum eligatur, menſuram ac figuram tabulæ Confucii nomen exhibentis, multaque alia quæ longum eſſet ſingillatim referre.

„ Hic monendum exiſtimo omnes has circumſtantias & ſimiles alias quas ſæpe audivi à Patre Joanne Baptiſta Morales, à Patre Antonio de Sancta Maria & à quibuſdam aliis noſtri Ordinis Miſſionariis, qui me ætate antecedebant, minimè ignotas fuiſſe Patribus Jeſuitis; imo & aliquas ab his didici de quibus antequam huc advenirem nihil penitus inaudieram.

Hoc Patris Sarpetri teſtimonio, quem ut cauſæ ſuæ patronum allegant Patres Societatis, conſtat de veritate facti circa honores Con-

* *Reverendus Pater Tellier Societatis Jeſu citans & ſuo libro inſerens Tractatum Reverendi Patris à Sancto Petro Ordinis Prædicatorum tanquam cauſæ ſuæ faventem.*

Confucii & Defunctorum parentum apud Sinas: quantumvis probabilius putet eos à labe idololatriæ & superstitionis defendi posse, quod non ad quæstionem facti, sed ad quæstionem juris spectat.

Pater Semedo part. 1. cap. 19. pag. 121.
„ Quel che sacrificano (agl' antenati) sono
„ alcuni animali come capre, porci, bovi,
„ questi sono gli piu ordinarii. Degli uccel-
„ li gli più usati sono galli, gallinæ; delli
„ pesci, quali vogliono; ancora sagrificano
„ pezzi di carne e più ordinariamente la te-
„ sta; riso, legumi, vino &c. „

Ex iis omnibus testimoniis manifestum est meritò declarasse Dominum Maigrot quæ circa cultum defunctorum Pater Martinius exposuit minus veridica esse, & responsa quidem Sanctæ Sedis anni 1656. rectè sapienterque facta fuisse secundum expositas à dicto Patre circumstantias; sed non existimandum esse quod in illis responsis definitum sit Confucii & Progenitorum cultum, qui apud Sinas obtinet, permitti oportere.

Meritò quoque idem Illustrissimus Dominus Maigrot in 4º. sui Edicti capite præscribit Missionariis, ut *nullatenus nullâve de causâ Christianis permittant solemnibus quæ semel & iterum singulis annis Confucio & Progenitoribus offerri solent sacrificiis seu oblationibus præesse, ministrare aut interesse.*

Tertium Factum.

In privatis domibus appendi tabellas quibus nomina defunctorum & alia inscribuntur, & quibus ipsas animas insidere Sinæ existimant, declarantque locum in quo dicta tabella appenditur iisdem animabus dedicatum esse; quod constat ex testimoniis sequentibus.

Reverendus Pater Bartolus Societatis Jesu lib. 3. pag. 585. sic ait:

„ Sopra l'arca in luogo assai eminente s'ap-
„ pende in cartellone ò tavola di bel fondo,
„ in cui a bellissimi caratteri d'un palmo si
„ legge che sia quivi entro l'arca . . . . . .
„ tutta poi quella narratione si chiude con
„ appunto queste parole: allo spirito suo
„ questa sala è dedicata come a suo signore.

Reverendus Pater Alexander de Rhodes Societatis Jesu lib. 1. cap. 28. circa finem pag. 90. „ Molti ancor della plebe hanno
„ dentro alle mura delle lor case un luogo
„ apparato per habitatione dello spirito pater-
„ no, dove lo rispettano e come in propria
„ stanza lo custodiscono.

Quæ autem fiunt privatis in domibus in honorem spiritus defuncti narrat ipsemet Pater Alexander de Rhodes cap. 25. pag. 85.

„ Il convito de morti non è da contarsi trà
„ le minori superstitioni de gli Annamiti:
„ chiamanlo essi *gio*, e sotto un apparente pie-
„ tà frameschianvi molto esecrabili abusi. Tre
„ sono principalmente gli errori piu inescusa-

bili

„ bili. Il primo è di credere che l'anime defunte tornino alle proprie case qual hora „ ad esse e in piacere, ò qual hora da' figlivoli „ ne sono richieste . . . . . . l'altro inganno „ è di pensare che l'anime istesse si assettino a „ mensa, e che delle apparecchiate vivande „ non altrimente si cibino, che i viventi. . . . „ Quindi essendosi pianto a bastanza cominciasi il terzo ancor gravissimo errore: auvenga che persuasi di ferma credenza che „ ogni prospero, ò reo succedimento di casa „ spetti a morti Progenitori &c.

Significant autem voces quas Dominus Maigrot tolli præcipit, eas tabellas esse sedes animæ talis defuncti, ut testatur ipse Pater Tellier loco jam citato tom. 2. pag. 254. his verbis è Gallico translatis: „ Appensæ tabellæ quidquid in illa ceremonia fit, significatur: eademque tabella sedes animæ defuncti appellatur.

Ergo jure prohibet Illustrissimus Dominus Maigrot in 5. sui Edicti capite, ne hujusmodi tabella appendatur, vel si appendatur, tali cautione id fiat, ut omnis superstitionis suspicio removeatur.

Quartum Factum.

Philosophia quam Sinæ profitentur est legi Christianæ contraria, & liber *Ye King*, qui prohibetur à Domino Maigrot, continet magicas superstitiones.

Quoad primum spectat, manifestè probatur

ex testimoniis supra adductis, quæ hic supervacaneum esset rursus exscribere.

Quoad secundum hæc scribit Reverendus Pater Martinius testis in hac causa locupletissimus in sua Sinica Historia lib. 1. pag. 16.

„ Habent Sinæ librum *Ye King* dictum, qui „ totus in his figuris explicandis est; magni „ apud eos pretii, ob res arcanas quas illi la-„ tere sibi persuadent. . . . . Eo ta-„ men ut plurimum utuntur hodie ad divina-„ tiones & sortilegia, genuino illius sensu aut „ neglecto aut ignorato. Mirum quantum ei „ tribuant ex hoc etiam capite, quod ex il-„ lius intelligentia rerum abstrusarum even-„ tuumque omnium prænotionem sibi promit-„ tant.

De septimo capite nihil dicendum esse Orator existimat, tum ut brevitati consulatur, tum etiam quia nihil difficultatis habet.

In eo namque dumtaxat jubet Illustrissimus Dominus Maigrot, ut Missionarii caveant ne Christiani Sinicos libros in scholis legant, Atheismum aut diversas superstitiones continentes.

Hæc sunt, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini, testimonia ex libris Auctorum Societátis Jesu, quos Orator Romæ invenire potuit excerpta; quibus plura alia adjungi possent, si omnes alios Scriptorum ejusdem Societatis libros consulere licuisset. Sed his, ut sperat Orator, Eminentiarum Vestrarum mandato abundè satisfactum est.

Quod si alios, quam Societatis Jesu, Auctores afferre voluisset, infinitè crevisset hoc scriptum.

ſcriptum. Certe Illuſtriſſimus Dominicus Navarretta Ordinis Prædicatorum, qui per longos annos in China Miſſionarii, deinde verò Provincialis ſeu Præfecti Miſſionariorum Ordinis ſui officio functus, ad Archiepiſcopatum Sancti Dominici in America evectus eſt, duos his de rebus tomos lingua Hiſpanica edidit, quos pene integros oporteret exſcribere, ſi quis ea omnia quibus Edictum Illuſtriſſimi Domini Maigrot confirmatur, afferre vellet. Imo idem Illuſtriſſimus Navarretta in utroque hoc tomo plures Reverendorum Patrum Societatis literas, conſultationes, deliberationes, nec non integros tractatus Reverendi Patris Nicolai Longobardi, Bartholomæi Roboredi, & Joſephi Moralis ejuſdem Societatis publicavit, in quibus factorum de quibus nunc agitur, veritas clariſſimè demonſtratur: quibus quidem Illuſtriſſimi Navarrettæ tomis, anno 1676. & 1679. Matriti editis nihil hactenus Patres Societatis, quod ad Oratoris notitiam venerit, oppoſuerunt.

Non debet hîc omitti ſacrificium defunctis Progenitoribus oblatum, cui interfuerunt Reverendus Pater Joan. Baptiſta Morales Ordinis Prædicatorum, & Reverendus Pater Antonius à Sancta Maria Ordinis Minorum, duo præclariſſimi Miſſionarii, & Miſſionariorum Ordinis ſui uterque in China Præfectus.

Ejus ſacrificii relationem idem Pater Antonius à Sancta Maria tractatu ab eo edito inſeruit, eamque integram Illuſtriſſimus Navarretta tom. 2. tract. 3. pag. 168. refert, ubi etiam teſtatur ſe Patrem Antonium eadem nar-

rantem sæpe audivisse. In eo sacrificio erant tres Ministri, quasi quis diceret, Sacerdos, Diaconus & Subdiaconus, & quatuor inferiores Ministri quasi Acolyti: qui Sacerdotis officio fungebatur erat Christianus, itemque unus ex quatuor Acolytis.

Primo solemnes per aliquod tempus factæ sunt genuflexiones, & orationes: deinde sacrificans ad majus Altare, ante alia quinque minora Altaria positum, accedens, vinum solemniter obtulit, & postmodum hausit, clamante Magistro ceremoniarum alta voce: *fertur vinum*; postea eodem modo obtulit caput capræ cum pelle, pilis & cornibus quibus intexti erant flores, clamante eodem Magistro ceremoniarum; *offertur capra*. Postea cartarum congeriem ante januam templi positam incenderunt: ac postremo Magister ceremoniarum versus ad populum altâ voce dixit: se nomine Progenitorum eis gratias agere ob cultum & honorem redditum; pro præmio jubere eos certo expectare messem abundantem, fructuum copiam, multos liberos, optimam valetudinem & longam vitam.

Quid huic relationi ad fidem faciendam desit, non videt Orator: addendum tamen putat ejus autographum propria manu Patris Antonii, & Patris Joannis Baptistæ Moralis signatum haberi in tabulario seu archivio S. Congregationis de propaganda fide.

Habet etiam penes se Orator aliud autographum ejusdem Reverendi Patris Antonii à Sancta Maria, in quo veritas facti circa cultum Confucii & Progenitorum defunctorum pla-

plane confirmatur. Illud paratus est exhibere, si ita jusserint Eminentiæ Vestræ, & ne qua etiam suspicio oriri possit, de malè citatis testimoniis ex Scriptoribus Societatis Jesu, libros ipsos exhibebit, quando & cui Eminentiæ Vestræ exhiberi præceperint. *Quas Deus &c.*

INDEX LIBRORUM,

Ex quibus exempta sunt testimonia in præcedenti scripto allata.

DE Christiana Expeditione apud Sinas ex Reverendi Patris Matthæi Riccii Societatis Jesu Commentariis, Auctore Reverendo Patre Nicolao Trigautio ejusdem Societatis.

Relatione della grande Monarchia della China del Padre Alvaro Semedo Portughese della Compagnia di Giesù.

China Illustrata Auctore Reverendo Patre Kirkero Societatis Jesu.

Nova Relatio Sinarum à Reverendo Patre Gabriele de Magaillaens Societatis Jesu Gallicè scripta.

Martini Martinii è Societatis Jesu Sinicæ Historiæ decas prima &c.

Relatione delle Missioni di Tunkino del Reverendo Padre Alessandro de Rhodes della Compagnia di Giesù.

Joannis Petri Maffei è Societate Jesu Historiarum Indicarum Libri 16.

Historia della Compagnia di Giesù, la Cina terzà parte P. Daniele Bartoli Soc. Jesu.

Delle Missioni del Giappone, Tunkino &c. del Reverendo Padre Philippo Marini Soc. Jesu.

Defensio Novorum Christianorum &c. Gallicè scripta à Reverendo Padre Michaele Tellier Soc. Jesu.

Nova Commentaria de præsenti statu Imperii Sinarum à Reverendo Patre Ludovico Le Comte è Societate Jesu Gallicè scripta tom. 2.

RE-

RESPONSIO
AD
EPISTOLAM

Reverendissimi Patris Præpositi Generalis

SOCIETATIS JESU,

Scriptam ad Reverendissimum Dominum Assessorem Sancti Officii.

Sacræ Congregationi Sancti Officii,

PRO

NICOLAO CHARMOT

Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum aliorumque Missionariorum Procuratore Generali.

Oblat. die 6. Augusti 1697.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini.

NIcolaus Charmot Missionarius Apostolicus Procurator Generalis Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum aliorum-

que Missionariorum Gallorum Asiæ Orientalis Eminentiis Vestris humiliter exponit, ex acceptis, Eminentiarum Vestrarum jussu, exemplis Libelli Supplicis à Reverendo Patre Procuratore Generali Societatis Jesu oblati; & Epistolæ à Reverendissimo Patre Præposito Generali ejusdem Societatis ad Illustrissimum Dominum Assessorem scriptæ, se intellexisse, dictos Patres eò spectare, ut moram afferant finiendis controversiis per tot jam annos circa ritus Sinicos agitatis; ac sperare fore, ut Eminentiæ Vestræ idem judicent, si placuerit animadvertere cujusmodi sint rationes in ea epistola ad obtinendam dilationem adductæ.

I.

I. Notat Reverendissimus Pater ex septem capitibus Edicti, seu Declarationis Illustrissimi Domini Maigrot, duo in Sacra Congregatione de propaganda fide, ac deinde in hac Sacra Congregatione Sancti Officii fuisse agitata, & definita annis 1645. 1656. 1669. relegenda itaque scripta tunc ante & post confecta, quæ disquisitio plusquam octo mensium spatium requirit; maximè cum Patres suæ Societatis, quibus respondendi curam posset demandare, officia exerceant, in quibus magnam diei partem necessariis occupationibus distinentur.

RESPONSIO. Duo illa capita apud Sanctam Sedem non una vice agitata, & definita, ad cultum Confucii Philosophi, & Progenitorum defunctorum spectant. Confecta de his scripta Patres Societatis facilè ac brevissimo tempore possunt relegere. Nam primò

mò cum anno 1645. ad quæsita Patris Joannis Baptistæ de Morales editum fuit Decretum Sacræ Congregationis de propaganda fide, se se auditos non fuisse conqueruntur: deinde verò quando anno 1656. sub fœl. record. Alexandro VII. Pater Martinius rem alio modo exposuit, & ab Sacra Congregatione aliud Decretum obtinuit, certum est id factum esse partibus non auditis, & nemine contra Patrem Martinium dicente; denique cum anno 1669. ad Supplicationem Patris de Polanco tertium Decretum ab hac Sacra Congregatione factum est, Patres Societatis tametsi vocati nulla scripta exhibuerunt. Unde patet illos ad relegenda, & examinanda scripta sua, non octo menses, sed nequidem fortasse octo horas requirere debuisse.

Verum alia etiam ratione longo illo labore levari possunt. Cum enim tota causæ difficultas orta sit non ex obscuritate juris, sed ex diversa expositione facti, quæ Decretis in speciem contrariis occasionem dedit; *Veritas facti* tum ex diligentissima inquisitione ab Illustrissimo Domino Maigrot adhibita, tum ex aliis gravissimis argumentis, ac potissimum clarissimis testimoniis plurimorum Scriptorum Societatis Jesu, quos profert Orator, tam certa & perspicua jam evasit, ut vix, aut ne vix quidem ullus controversiæ locus superesse videatur. De jure enim jam per Apostolica Decreta præjudicatum est: nihil ergo opus est vetera scripta relegere, & causæ jam finitæ acta denuò evolvere, præsertim si, ut ex Patrum Societatis Jesu testimoniis se demonstras-

se

se Orator existimat, nulla jam possit esse de facto controversia. Certè qui adhuc cunctantur & longas in respondendo moras nectunt, solâ id causæ suæ diffidentiâ, & imminentis metu judicii facere convincuntur.

An verò in negotio gravissimo ubi de Religione & salute æterna infinitæ multitudinis Christianorum agitur, ad retardandam Responsionem Reverendissimus Pater Religiosorum suæ Societatis officia & occupationes afferre potuerit, Eminentiis Vestris expendendum Orator relinquit.

II.

Quoniam, inquit Reverendissimus Pater, duorum illorum capitum controversia in facto vertitur, nimirum utrum ceremoniæ quædam & ritus erga Philosophum Confucium & Progenitores defunctos superstitiosi sint, an merè civiles; argumenta circa factum majora requiruntur, iis quæ proferuntur in prædicta scriptura, cujus Auctor forsan singulas causæ circumstantias, & omnia adjuncta minus perspecta habet.

Resp. Utrum aliquis cultus idololatricus & superstitiosus sit, an verò tantum civilis, pace Reverendissimi Patris juris, non facti quæstio est; quæ quidem juris quæstio, facto semel stabilito, nullam difficultatem habet, utpote jam prædictis S. Sedis Decretis definita.

Quod autem factum attinet, circa quod Reverendissimus Pater ait majora requiri argumenta, quam quæ ab Auctore scripturæ allata sunt; vel per Auctorem scripturæ intelli-

telligit Illustrissimum Dominum Maigrot, qui Edictum suum seu Declarationem adjuncto scripto confirmavit, vel Oratorem qui Eminentiis Vestris Libellum Supplicem causæ statum & præcipua ejus momenta continentem exhibuit. Quod Illustrissimum Dominum Maigrot intellexerit vix credi potest, quem rerum omnium ad causam pertinentium instructissimum esse, non potuit ignorare, qui plurimos annos in addiscendis literis Sinicis consumpsit, ut tum propriâ experientiâ, tum per alios quos sæpe consuluit, rerum quæ in China geruntur veritatem facilè potuit indagare. Restat itaque ut de Oratore locutus sit Reverendissimus Pater: at quamvis Orator Sinicam linguam non calleat, bis tamen ad Orientales Missiones profectus est, & ad Sinas semel pervenit apud quos duobus annis cum dimidio in Provinciis *Canton* & *Fokien* commoratus est, plurimasque Ecclesias in Provincia *Kiamsi* visitavit, varios diversorum Ordinum Missionarios his de rebus diligenter percontatus. Nusquam tamen in suo scripto propriam notitiam seu experientiam ad stabiliendam facti veritatem, Eminentiis Vestris attulit, ratus sat esse Illustrissimi Domini Maigrot auctoritatem, eisque adjuncta certissima atque evidentissima argumenta ex ipsis Scriptoribus Societatis Jesu deprompta, unde veritas facti plenissimè comprobatur. Hoc autem quilibet præstare potuit etiamsi Chinam & Sinicas Literas nunquam viderit.

III.

III.

Cavendum ait Reverendiſſimus Pater, ne injuria fiat famæ Reverendi Patris Martinii, qui in prædicta ſcriptura inculpatur, quaſi res aliter quam erant Alexandro VII. & huic Sacræ Congregationi expoſuerit; unde ſecutæ definitiones falſo innixæ fundamento, quas revocare neceſſe ſit. Addit autem Patrem Martinium virum fuiſſe non ſatis cognitæ probitatis, ac præterea tantæ eruditionis, & experientiæ, ut quantum ad hoc veriſimillimum ſit Auctorem Scripturæ ei minime æquiparandum; utpote qui longo annorum ſpatio in Oriente propagandæ fidei Chriſtianæ multum adlaboraverit, pluraque Opera typis ediderit, & inter alia *Athlantem Sinicum*, *Hiſtoriam Chinæ*, & *bellum Tartaricum*: unde concludit non mediocrem adhibendam diligentiam ad indaganda fundamenta ejuſmodi criminationis, ne forte ſecus agendo, veritas ſimul & juſtitia lædatur.

Reſp. Longiſſime abeſt ab Illuſtriſſimi Domini Maigrot & ab Oratoris mente, ut cujuſquam famam minuere velint: Patris Martinii mores & inſtitutionem vitæ non attingunt: An vero probitas ejus ſatis cognita non ſit, inquirere nihil ad rem pertinet; nunquam in eum mendacii aut fallaciæ accuſationem inſtituit Orator, aut ejus memoriam tanquam mendacis & impoſtoris, damnari poſtulavit: quæ ad cauſæ inſtructionem & ſtabiliendam facti veritatem neceſſaria videbantur Eminentiis Veſtris expoſuit, unde ſi aliqua Patris Martinii memoriæ labes aſpergitur, id præter Orato-

Oratoris intentionem accidit. Utrum verò in graviſſimo negotio, ubi agitur de purgandis ab idololatria & ſuperſtitione Miſſionibus vaſtiſſimarum Regionum Orientis, valdè cavendum ſit ne Patris Martinii aut cujuſcumque alterius hominis fama, quando aliter fieri non poteſt, vel tantillum lædatur, ſumma Eminentiarum Veſtrarum prudentia dijudicet. Certè in hacce cauſa videtur Pater Martinius abſolvi non poſſe, niſi damnentur quotquot eum huic Sacræ Congregationi falſum expoſuiſſe contendunt, hoc eſt Pater Joannes Baptiſta Morales, Pater Antonius à Sancta Maria, *Illuſtriſſimus* Navarretta, Pater Joannes de Polanco, Illuſtriſſimus Dominus Maigrot & innumeri alii celeberrimi, ac piiſſimi diverſorum Ordinum Miſſionarii, quorum exiſtimationi & famæ, ſi cum Patre Martinio comparentur, longè magis conſulendum quivis exiſtimaverit.

Quod verò ait Reverendiſſimus Pater, Patri Martinio, quantum ad eruditionem & experientiam, non comparandum eſſe Auctorem Scripturæ, dubitari adhuc poteſt quemnam *hic* intelligat, an Illuſtriſſimum Dominum Maigrot, an verò Oratorem. De Illuſtriſſimo Domino Maigrot, difficile eſt id accipere. Ut enim de ejus eruditione taceatur; quanquam is Doctoris Sorbonici gradu eſt inſignitus, & in rebus Theologicis & Eccleſiaſtica doctrina apprimè verſatus; ſaltem quod ſpectat ad experientiam, non videtur Patri Martinio poſtponendus, cum à ſexdecim jam annis in China Miſſionarii, Provicarii, Proadmi-

ministratoris generalis, ac tandem Vicarii Apostolici munere fungatur, & Sinicam linguam optimè calleat; res autem Sinicas quæ ad Religionem spectant, eo facilius potuerit indagare, & perspectas habere, quod literarum humanarum studiis non vacet, neque libris de rebus politicis scribendis operam impendat. Edidit solum linguâ Sinicâ duos Catechismos, unum de Sacramentis baptismi & pœnitentiæ, & alterum de sacra Corporis Christi communione, qui magnam apud omnes laudem meruerunt: sin autem de Oratore loqui voluerit Reverendissimus Pater, ut verisimilius est, eruditionis laudem Patri Martinio facilè concedit: at amplior illa eruditio & doctrina nihil ad rem facit in hac causa, in qua solum requiritur diligentia & sinceritas atque amor veri. Agitur enim unicè de stabilienda veritate facti, quam & propria experientia in China didicit Orator, & quam certissimis ac evidentissimis argumentis ex ipsismet Scriptoribus Societatis Jesu petitis confirmat.

IV.

Ait Reverendissimus Pater, in præfato Edicto aliquas voces Sinicas adduci, quarum nemo è Religiosis suæ Societatis, qui nunc Romæ degunt, sufficientem habeat notitiam, quapropter expectandum ex illis partibus Patrem aliquem ejusdem Societatis linguæ Sinicæ peritum, qui omnem circa illa vocabula dubitationem tollere queat.

Resp. Hæc dicuntur, ad differendam in longum tempus, vel potius impediendam causæ

causæ decisionem. Quam diu enim expectandus erit Pater ille linguæ Sinicæ valdè peritus? Quis etiam, quantumvis peritus ille supponatur, ei soli de controversarum vocum significatione credendum putaret? Sed alia est certior & expeditior via omnem ejusmodi dubitationem tollendi, si quæ adhuc supersit; nam in Edicto Illustrissimi Domini Maigrot agitur tantum de vocabulis *Tien chu* & *Tien* atque *Xangti*, & utro ex his duobus nominibus à Christianis nominandus sit Deus Opt. Max. At de horum vocabulorum significatione ipsimet Patres Societatis jampridem in libris suis tractarunt, ac novissimè Pater Bartolus in sua Societatis Jesu Historia part. 3. lib. 4. pag. 898. & Pater Ludovicus *Le Comte* in suis de statu præsenti Chinæ relationibus de hac quæstione ita agunt, ut præfati Edicti necessitas & æquitas planè comprobetur. Quid igitur opus est alios Patres Societatis è China expectare, ut harum vocum interpretatio habeatur?

V.

Observat Reverendissimus Pater ab Illustrissimo Domino Maigrot interdici in templis usum quarumdam tabellarum in quibus scriptum est, *Cælum colito*, qua de re non levis momenti suo tempore proponenda se habere significat.

Resp. Hoc caput ex præcedenti pendet, & post explicatam ab ipsismet Societatis Jesu Scriptoribus vocis *Tien* significationem, nullam habet difficultatem. Nam si constat ex Prædictorum Scriptorum testimonio, quod

hocce tempore vulgò apud Sinas præsertim litterariæ sectæ, per vocabulum *Tien* non aliud intelligitur nisi Cœlum materiale; quis dubitet jure merito prohibitum esse ne hujusmodi tabellæ cum vocabulis *King Tien*, *Cœlum colito*, in ædibus sacris & supra ipsum Altare ponantur? Quid ad hæc alicujus momenti opponendum sit à Reverendissimo Patre difficile est intelligere. Hoc unum libet hîc addere cum Illustrissimo Domino Maigrot, nullum ex Missionariis qui has tabellas è templis suis sustulerunt, id autem post publicatum Edictum fecere omnes, exceptis Patribus Societatis, ullam inde molestiam aut malum à Magistratibus accepisse; neque minori cum libertate aut fructu in excolenda, vel dilatanda Domini vinea laborare.

VI.

Denique opponit Reverendissimus Pater Edictum Illustrissimi Domini Maigrot paucorum opinione niti, neque ab omnibus Vicariis Apostolicis ejus Regni fuisse approbatum; unde fieri posset, ut ab aliquo intra Provinciam ejus curæ commissam, non admitteretur. Itaque periculosum fore legem generalem sancire, aliis Vicariis Apostolicis non auditis: cum autem nuper novem electi sint, qui tribus Episcopis jam antea illic constitutis adjuncti, duodecim Vicariorum ad gubernandas Chinæ Ecclesias numerum complent, exquirendam videri ab illis factorum de quibus controvertitur, veritatem, prout anno 1652. Archiepiscopo Manilensi, Episcopo Beritensi & Episcopo Heliopolitano commissa fuerat ea inquisitio,

ut

ut responsione duodecim illorum Vicariorum accepta, S. Congregatio facilius ac certius de toto negotio judicet; neque obstare moram in expectanda Vicariorum responsione, quandoquidem jam per tot annos his de rebus disceptetur, nec tamen id obstiterit quominus Christianitas illa cresceret.

Resp. Ex duobus Vicariis Apostolicis, qui soli tunc præter Illustrissimum Dominum Maigrot in China constituti erant, alter linguæ Sinicæ valdè peritus, Edictum Illustrissimi Domini Maigrot approbavit, testatus id ipsum se in suo Vicariatu facturum, nisi incertus Vicariorum Apostolicorum status, quos multi tunc brevi revocatum iri publicabant, id in aliud tempus differre suaderet. Idem Edictum duo Provicarii, quorum alter Vicarius Apostolicus nunc electus est, suo suffragio comprobarunt; Provincialis verò Patrum Dominicanorum tam suo quam Religiosorum sibi subditorum nomine illud ultro admisit. Commissarius autem Patrum Franciscanorum illud multum laudavit & alius insignis ex eodem Ordine Missionarius Provinciæ Fokiensis non solum illud, ut cæteri Missionarii tam sæculares quam regulares ejusdem Provinciæ, præter Patres Jesuitas, executioni mandavit, sed scriptis duabus epistolis laudibus usque in cœlum extulit, quæ omnia patent ex literis aliisque monumentis ab Oratore exhibitis. Porrò hi non pauci, sed multi, & insignes præfati Edicti approbatores dici debent, nemine hactenus ei contradicente, præter Patres Societatis Jesu.

Unde licet inferre, nequaquam metuen-

 dum,

dum, ne, si lex generalis statuatur, aliqui eam accipere nolint: etenim cum omnes Vicarii Apostolici, qui nunc in Regno Sinarum degunt, cæterique Missionarii sint vel ex Clero sæculari, vel, si Patres Societatis excipias, ex Ordinibus Sancti Dominici, Sancti Francisci, & Sancti Augustini, certum est neminem è Clero sæculari, legi generali à S. Sede ferendæ repugnaturum, cum jam omnes Edicti Illustrissimi Domini Maigrot necessitatem ac justitiam agnoverint: ex regularibus verò Patres Dominicani jamdudum eam legem prævenerunt, adeò ipsis persuasum est rem esse justam & religioni ac pietati necessariam. Patres Franciscani, quantum ex antiquiorum ejusdem Ordinis Missionariorum agendi ratione licet colligere, similiter prompto animo obtemperabunt, uti jam multi datis ad Illustrissimum Dominum Maigrot literis testati sunt, ac nominatim Illustrissimus Dominus de Leonissa Vicarius Apostolicus; ex Augustiniana verò Religione Illustrissimus D. Alvares Benavente Vicarius Apostolicus nuper electus, cæterique ejusdem Ordinis Missionarii non possunt legem illam non libenter accipere, quandoquidem jamdiu cultum Confucii & Progenitorum suis Neophytis interdixerunt.

Denique cum Edictum Illustrissimi Domini Maigrot in duabus vastissimis Provinciis Fokiensi nimirum & *Kiamsi* publicatum sit; omnesque illud communiter & universè, exceptis Patribus Societatis Jesu, amplexi sint & in usum induxerint, nihil est cur in aliis

Pro-

Provinciis non eadem facilitate lex generalis & similis usus ab omnibus admittatur.

Quis autem in animum inducat credere, Missionarios Societatis Jesu, peculiari circa Missiones obedientiæ voto Apostolicæ Sedi adstrictos legi illi non statim obedituros? Præsertim cum praxim contrariam à nonnullis è Patribus Societatis jam à principio introductam & à plerisque hactenus retentam non tanquam certam ac minimè dubiam, sed ut probabilem tantum defendant. Unde veritate per oraculum Vicarii Christi declarata & patefacta, omnino confidendum est, fore ut illam amplectantur, & cum reliquis posthac Cleri tum sæcularis, tum regularis Missionariis consentientes, communi consilio ac eodem spiritu opus Domini in illis partibus sint operaturi, cui tanto bono Reverendissimum quoque Patrem pro sua pietate & zelo Religionis ex auctoritate sui muneris adlaboraturum sperandum est.

Ex his patet quam inutile & supervacaneum esset duodecim Vicarios Apostolicos in China constitutos consulere, eorumque responsa expectare, quod quidem eo tantum consilio proponi videtur, ut causæ decisio ad multos annos differatur, vel potius omnino impediatur. Cum enim immensis pene locorum intervallis ab invicem separentur, neque in unum convenire, neque seorsim tam multiplicem inquisitionem nisi post plures annos conficere, ac singuli Romam mittere possent.

Quod verò ait Reverendissimus Pater, non omittendam illam Vicariorum interrogationem

 ob

ob temporis dilationem, cum jam per tot annos de his rebus disceptetur, vident, ut spero, Eminentiæ Vestræ, longam illam præteritorum annorum seriem rationem esse, ob quam non diutius differenda, sed potius quamprimum dirimenda sit tam diuturna disceptatio; præsertim cum agatur de ipsa Religione, & de salute æterna infinitæ multitudinis Christianorum, quæ in manifestum discrimen adducitur, si eos idololatria & superstitione implicatos esse contingat. Neque ullius ponderis est, quod subjungit Reverendissimus Pater disceptationes illas non obstare quominus Christianitas in illis partibus hactenus creverit. Non enim Ecclesia de fidelium multitudine gauderet, quos solo nomine Christianos esse sciret, reipsa autem adhuc idolis servire, ac damnabilibus superstitionibus teneri, de quibus merito dici posset; *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam*: quanquam certum sit Missionarios Cleri sæcularis, itemque Ordinum Sancti Dominici, Sancti Francisci, & Sancti Augustini, qui cultum Confucii & Progenitorum respuunt, non minori cum fructu in China, Cocincina & Tunkino ad convertendos infideles incumbere, quam Patres Societatis qui hactenus cultum illum suis Neophytis permiserunt.

Quapropter, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini, cum tota hæc causa ad quæstionem facti circa cultum Confucii & Progenitorum defunctorum & ad significationem duorum aut trium vocabulorum Sinensium redacta sit, facti autem illius veritas & prædictorum

rum vocabulorum explicatio ipsorummet Societatis Jesu Scriptorum gravissimis & clarissimis testimoniis huic Sacræ Congregationi exhibitis confirmata fuerit, à summa prudentia & æquitate Eminentiarum Vestrarum sperat Orator fore ut, rejecta Reverendissimi Patris Præpositi Generalis Societatis Jesu postulatione circa judicii dilationem, de terminandâ hac controversiâ quantocius consilium initurae sint, præsertim si dignentur advertere à quatuor annis & amplius publicatum esse Edictum Illustrissimi Domini Maigrot, quo temporis intervallo Reverendissimus Pater, tum per Epistolas à China acceptas; tum ex quibusdam suæ Societatis Patribus, qui illinc in has partes venerunt, rem totam facilè rescire potuit, & cur Missionarii ejusdem Societatis præfato Edicto non obsequendum duxerint intelligere. Id autem maximè edidicerit ex Patre Amaral Lusitano, qui in China aderat, cum Edictum Illustrissimi Domini Maigrot mense Martio anni 1693. publicatum est, & sequente mense Decembri illinc profectus, Romam venit, ubi per plures menses commoratus est. Unde non defuit illi tempus ad suam causam instruendam, nec nisi brevissima eget dilatione ad respondendum, dummodo intra quæstionem facti, de qua unicè agitur, se se contineat, & si quid allatis Scriptoribus suæ Societatis testimoniis atque auctoritatibus objiciendum habet, tantum exponat. Et Deus &c.

SACRÆ
CONGREGATIONI,
SANCTI OFFICII
PRO
NICOLAO CHARMOT,

Missionario Apostolico Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum Gallorum Asiæ Orientalis Procuratore Generali.

RESPONSIO

Ad Libellum Supplicem Reverendi admodum Patris Procuratoris Generalis Societatis Jesu.

Oblata die 23. *Septembris* 1697.

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres.

NIcolaus Charmot Missionarius Apostolicus Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum Gallorum Asiæ Orientalis Procurator Generalis humiliter exponit, quod etsi in scriptis huic S. Congregationi exhibitis omnia everterit fundamenta, quibus Reverendus admodum Pater Procurator Generalis Societatis Jesu in suo novissimo Libello Supplici suadere conatur Eminentiis Vestris, causam de qua agitur esse differendam, atque etiam pendente controversia rejiciendum provisionale Edictum à Reverendissimo Domino Carolo Maigrot Vicario Apostolico Fokiensi publicatum; tamen, ut

ut rei veritas ac finiendæ causæ necessitas magis magisque innotescat, haud abs re esse duxit, si ad præcipua prædicti Libelli capita, cum Eminentiarum Vestrarum venia, breviter responderet.

Primo, ait Pater Procurator Generalis se in petenda dilatione ad contradicendum Edicto Domini Maigrot, & scripturis Oratoris, non eò spectasse ut causam protraheret, sed ut eas notitias colligeret, quæ solidæ responsioni, & maturiori S. Congregationis judicio conducerent.

Ad hæc respondet Orator, cum Edictum seu Declaratio Domini Maigrot anno 1693. mense Martio in lucem prodierit, vix credibile esse per annos quatuor, & sex menses Patres Societatis in China commorantes Romam ad suos Superiores, aut alios in Europa degentes non scripsisse, quæcumque ad dictam Declarationem, tam circa factum, quam circa jus spectabant; deinde quo tempore dicta Declaratio edita est, versabantur in China Reverendus Pater Bouvet Gallus, & Reverendus Pater Amaral Lusitanus ejusdem Societatis, quorum primus è China cum Oratore profectus jamdudum Parisios pervenit, alter exeunte anno 1693. è China solvens ad hanc almam Urbem venit, atque in ea per multos menses commoratus est: quos verisimillimum est omnia significasse quæ hac de re in China tum viderant, tum audierant. Denique cum jam à quatuor mensibus, & amplius communicatum fuerit Edictum Domini Maigrot, ejusdem Expositio, aliaque scripta ad causam pertinen-

 tinen-

tinentia, iis Pater Procurator, consultis etiam Patribus Gallis, & Lusitanis rerum Sinicarum consciis, vel peritis respondere potuisset.

Quæ cum ita sint, nihil necesse est expectari scriptum de quo Pater Procurator, compositum, ut ait, ab aliquo Societatis Missionario in China degente, & per navim, quæ Ulissipone expectatur, transmissum. Quid enim si navis illa à Piratis capta esset, vel naufragium fecisset, an etiam expectandum foret, donec aliud ejusdem scripti exemplum è China veniret? Missionarium verò illum, cujus ne quidem nomen affertur, magnæ esse auctoritatis, & rerum Sinicarum longè peritiorem quam Dominum Maigrot, vix ullus asserenti Patri Procuratori credat, ob rationes in præcedentibus scriptis ab Oratore adductas, quibus non parvum pondus addit dignitas Vicarii Apostolici.

Minus adhuc credibile est, nec parvum in Dominum Maigrot injuriosum, quod ait Pater Procurator, notari in eo scripto aliquas ejus Edicti hallucinationes, incommoda & absurda. Certè nihil hactenus simile adversus illud Edictum, ejusque Expositionem afferre potuerunt Patres Societatis hîc aut alibi in Europa commorantes.

Quod spectat ad nomenclationem Procuratoris Generalis Episcoporum & Vicariorum Apostolicorum &c. de qua Pater Procurator litem aliquam movet, nunquam Orator existimari voluit Procurator Generalis omnium Vicariorum Apostolicorum, ac Missionariorum in Asia Orientali laborantium, sed tantum Gallorum, qui è Seminario Missionum externarum

Pa-

Parisiensi prodierunt. Id satis intelligi putavit ex causæ circumstantiis, & Supplicibus Libellis huic Sacræ Congregationi oblatis, neque aliter acceptum sperat ab Eminentiis Vestris titulum illum quem etiam, ut satisfiat Patri Procuratori, sic intelligendum, Orator, si necesse fuerit, in scriptis declarabit. Nec enim hinc sibi honorem aucupari studet; satis ei est, ut Dei gloriæ, animarumque saluti consulatur.

Objicit Pater Procurator non licuisse Domino Maigrot istud Edictum, non obtenta S. Sedis licentia, publicare, cum jamdiu hujus causæ cognitionem Romani Pontifices ad se traxerint, variaque de ea Decreta tum Sacræ Congregationis de propaganda fide, tum Sancti Officii prodierint.

Vanam ac futilem esse hanc objectionem agnoscet quisquis Edictum Domini Maigrot, ejusque Expositionem legerit. Non enim res à Sancta Sede præjudicatas in controversiam vocavit; sed potius id unum egit, ut ad effectum perducerentur ejus judicia. Siquidem cum contraria viderentur Decreta S. Congregationis de propaganda fide, & Sancti Officii, eo quod diverso plane modo exposita fuissent facta; ac de hoc consulta S. Congregatio Sancti Officii respondisset utramque decisionem esse veram, posita veritate factorum quæ fuerant exposita: Quid aliud Reverendissimus D. Maigrot, perspecta rei veritate, & manibus, si ita fas est loqui, contrectata, sibi faciendum putaret, nisi ut quos ritus superstitiosos atque idololatricos esse videbat, iis interim,

terim, flagitantibus etiam plerisque Missionariis, in suo Vicariatu abstinendum decerneret, donec Apostolica Sedes supremo suo judicio rem totam definiret, cum aliter æternæ tot animarum sibi commissarum saluti prospicere non posset?

Post præfatas exceptiones Pater Procurator præcipua prædicti Edicti capita speciminis, ut ait, loco, donec amplior responsio detur, perstringenda sibi proponit.

Primum Edicti caput ubi prohibetur usus vocabuli *Xangti* ait omnino esse supervacaneum, cum jam ab annis 60. de eo prohibendo consenserint in China Patres Societatis.

Benedictus Deus quod Pater Procurator Generalis vocabulis *Tien*, & *Xángti* ad significandum Deum Opt. Max. minimè utendum esse agnoscit, idque jam usu receptum apud Christianos Sinas fatetur. At inde non sequitur inutile fuisse ut de hoc aliquid Dominus Maigrot in Edicto suo sanciret. Credendum potius, id eum bonis rationibus adductum fecisse. Certè Pater Daniel Bartolus in Historia Societatis parte 3a. de Asia lib. 4. pag. 898. ubi loquitur de Patre Palmeiro Visitatore qui Missionariis Societatis vocis *Xangti* usu interdixit, multum circa hoc eosdem Missionarios altercatos fuisse significat: imo eodem loco observat, illud Patris Visitatoris interdictum, re postea Romæ melius examinata à Theologis Societatis sublatum fuisse, & vocem *Xangty* in pristinum usum apud Missionarios restitutam.

Quin etiam facilè fieri potest, ut quamvis nunc in precibus, concionibus, catechismis, ac libris piis vocabulum *Xangti* non amplius usur-

ſurpetur, nonnulli tamen illud adhuc in privatis ſermonibus, aut libris de rebus Phyſicis vel moralibus adhibeant.

De ſecundo Edicti capite circa quaſdam tabellas his vocibus inſcriptas, *King Tien*, *Cœlum colito*, ait Pater Procurator nihil opus fuiſſe ut è templis tolli juberentur, cum ex eis nullum ſit idololatriæ periculum; præſertim cum id in China ſine multorum, & ipſius etiam Imperatoris offenſione fieri non poſſit.

An tabellis illis nullum idololatriæ periculum ſubſit, judicandum eſt ex vi, ac ſignificatione vocabuli *Tien*. At ipſemet Pater Procurator præcedenti capite agnovit iſtud vocabulum communi uſu apud Sinas ſignificare *Cœlum materiale*, cum ea potiſſimum de cauſa voces *Tien* & *Xangti*, *Cœli Imperator*, de Deo Opt. Max. uſurpandas non eſſe conſenſerit. Deinde Orator in ultimo ſcripto cui titulus *Veritas facti* &c. plures Auctores Societatis Jeſu videlicet Patrem Kirkerum; Patrem Magaillaens, Patrem Maffeium, Patrem Le Comte teſtes adduxit, ex quorum verbis patet Sinas per vocem *Tien*, *Cœlum*, & *Xangti*, *Supremum Imperatorem*, intelligere cœlum ipſum materiale, non Deum cœli, rerumque omnium conditorem.

Non timendam Sinarum, aut ipſius Imperatoris offenſionem, ſi è templis fidelium auferantur prædictæ tabellæ, ipſa experientia conſtat, quandoquidem nihil moleſtiæ accidit Miſſionariis, qui eas poſt Edictum Domini Maigrot, è ſuis Oratoriis ſuſtulerunt.

Certè Imperator hujuſmodi tabellam propria manu ſcriptam Patribus Societatis in Pekin commorantibus non ea conditione dedit, ut eam in

Ec-

Ecclesia, ac supra altare collocarent; sed ipsi propria sponte id fecerunt, ut Principi illi gratificarentur: munus quippe illud eis misit, non tam ut Imperator, quam, ut Literariæ Sectæ princeps, quæ singularem cœli illius materialis cultum profitetur, ut patet ex testimoniis Auctorum Societatis in præfato Oratoris scripto allatis.

Ex his facilè quivis animadvertet, quanta prudentia Pater Procurator Auctor sit Eminentiis Vestris, ut si tollendas è templis ejusmodi tabellas judicent, id non præstent, nisi magna cautione adhibita, & explorata ante omnia ipsius Imperatoris ea de re sententia. An tale unquam consilium Sedi Apostolicæ datum fuerit dubitat Orator; certè valdè opportunum esset ad causam in longum tempus differendam. Quot enim annos ex aula Imperatoris Sinarum ea de re expectanda esset responsio?

Tertium Edicti caput, cum Pater Procurator impugnare non posset, ejus auctoritatem infirmare conatur, quasi Dominus Maigrot potestatis suæ fines prætergressus, sine cognitione causæ, sine diligenti inquisitione, ac debita consideratione, nullaque habita ratione alienæ famæ, declararit veridica non esse quæ Alexandro VII. fœl. record. exposita fuerunt; *quod quid est aliud*, inquit, *quam posuisse in cœlum os suum.* His fortè verbis Dominum Maigrot notari quis credat, quod causam Summo Pontifici reservatam, & coram S. Sede pendentem judicandam sibi sumpserit. Sed cum Decretis, & constitutionibus Apostolicis, ut ipse in Edicto præfatur, sancitum sit, ad Apostolicos Vicarios spectare, ut *iis quæ ad cultum divinum, & bonos mores pertinent intra suorum Vicariatuum fines provideant*, viden-

tur

tur potius verba Patris Procuratoris ad id referri quod proximè dictum est de non habita ratione alterius famæ, hoc est Reverendi Patris Martinii, cujus nomini nonnulla labes aspergitur, si supponatur Summo Pontifici vera non dixisse; quasi verò Patris Procuratoris judicio, sacrilegii, aut blasphemiæ loco habendum sit necessariam veritatem fidelibus præponere, quando aliquid inde detrimenti famæ cujuspiam è Patribus Societatis sequitur; aut finere debuerit Vicarius Apostolicus fideles ritibus idololatricis ac superstitiosis contaminari, idque sub nomine & auctoritate Sedis Apostolicæ, potius quam eos de quæsitis minus sincere à Patre Martinio propositis admonere. Veram esse hanc Domini Maigrot de quæsitis Patris Martinii Declarationem pluribus ipsorummet Societatis Jesu Scriptorum testimoniis comprobavit Orator, quibus cum nihil opponendum haberet Pater Procurator, elabitur dicens se opportuno tempore convenientiorem his responsionem daturum.

Circa quartum & quintum Edicti caput de cultibus Confucii Philosophi, & Progenitorum mortuorum, agnoscit Pater Procurator jam diu esse, cum hæc quæstio agitatur; & tamen ibidem perstringit Oratorem, quasi vellet hocce tempore, hoc est post octoginta annorum disceptationem, causam præcipiti decisione definiri.

Ait etiam in hoc capite Edictum esse perplexum, & confusum, cum non distinguat inter ceremonias religiosas, & purè civiles. Quid obscuritatis sit in utroque hoc Edicti capite non videt Orator: neque enim ceremoniæ religiosæ, & civiles permiscentur; sed quæ certissimè religiosæ sunt, tanquam idololatria ac superstitione

tione imbutæ prohibentur: qua in re duo considerandi sunt; alterum est factum, an scilicet tales & tales cerimoniæ reipsa adhibeantur, verbi gratia, in cultu Confucii & Progenitorum, an caput capræ vel porci offeratur, vinum libetur, suffitiones & candelæ adhibeantur, panni serici & chartæ solemni ritu comburantur; an à Confucio & Progenitoribus bona aliqua ad felicitatem hujus vitæ pertinentia expectentur & postulentur &c. Alterum est jus, an videlicet ejusmodi ceremoniæ sint religiosæ, & per consequens superstitiosæ, & idololatricæ. Facti veritatem Orator clarissimis ipsorummet Societatis Jesu Auctorum testimoniis comprobavit. Quod ad jus attinet, de eo Dominus Maigrot provisionali Edicto ad mentem, ut sperat, Apostolicæ Sedis decrevit, ultimum verò ac definitivum judicium ab Eminentiis Vestris expectatur.

Qua in re mirum est Patrem Procuratorem utrumque hoc, id est jus, & factum ita miscuisse, ut quæstionem juris, quæstionem facti appellet, sic scribens: ***verum quæstio redigitur ad factum, an videlicet tales ceremoniæ sint superstitiosæ, an vero merè civiles.*** Hæc enim quæstio, prout hîc ab eo proponitur, nequaquam facti, sed juris quæstio est.

Addit Pater Procurator nomini cordato persuasum iri, Missionarios Societatis in China res illicitas ac superstitiosas permissuros, aut approbaturos fuisse, sicque in offensam Dei voluisse incurrere, alienis peccatis communicando.

Credit quidem Orator Patres Societatis nunquam ceremonias superstitiosas, aut idololatricas permissuros, aut approbaturos, si eas tales esse concederent; sed quoniam eas merè civiles, &

omni

omni ſuperſtitione vacuas, ac puras eſſe in animum induxerunt, aut induxiſſe ſibi videntur, idcirco illas permittere non dubitant: unde omnino eam ob cauſam neceſſarium videtur, ut Apoſtolica Sedes quid tandem ea in re omnibus ſentiendum, ac ſequendum ſit, definitivo judicio pronuntiet.

Res à ſe permixtas Pater Procurator explicare poſtea conatur variis diſtinctionibus, quas neceſſariò adhibendas ait. Primò contendit diſtinguendum inter cæremonias ſolemnes & privatas; deinde inter abſolutè civiles & ſuperſtitioſas, poſtremò præciſè deſignandas eſſe ceremonias de quibus controvertitur, quoniam non omnes, ſed ſolum merè civiles à Miſſionariis Societatis Jeſu permittuntur.

Sed poſito & explicato, ut ſupra, quæſtionis ſtatu, inutiles ac ſupervacaneæ evadunt variæ illæ diſtinctiones.

Quarto loco Pater Procurator obſervat, cum ceremoniæ circa cultum Confucii & Progenitorum etiam in Tunkino uſu receptæ ſint, nullas tamen de iis Vicariorum Apoſtolicorum Tunkinenſium querelas hactenus auditas eſſe; unde infert illos ejuſmodi ceremonias non pro ſuperſtitioſis, ſed pro merè civilibus habere.

Ex conſultatione plurimorum Miſſionariorum Tunkinenſium ad Patrem Joannem de Paz Dominicanum miſſa, quam refert Pater Tellier Societatis Jeſu in ſua Defenſione novorum Chriſtianorum &c. tom. 2. pag. 322. patet quantum ea de re animo angeretur.

Multa etiam in Tunkino duos Vicarios Apoſtolicos impedire potuerunt, quominus apud S. Sedem pro abolendis ejuſmodi ceremoniis inſtarent. Sanè ab anno 1692. Patres Societatis Luſi-

ſitani, accepta commiſſione ab Epiſcopo Macaenſi, totam illam Eccleſiam ita perturbarunt, reliquos Miſſionarios, tam ſæculares, quam regulares excommunicando, ut mirum non ſit Vicarium Apoſtolicum, qui ſolus reſtat, nihil novi ad tollendum Confucii & Progenitorum cultum toto eo tempore feciſſe. Non dubitat Orator quin nunc temporis Edictum Domini Maigrot acceperit, & probarit, vel etiam ſimile Edictum in ſuo Vicariatu publicarit, vel brevi publicaturus ſit, etſi de hoc nihil affirmare audeat, cum è Tunkino literas non acceperit.

Quinto loco ſcribit Pater Procurator, in conflictu variarum opinionum & teſtimoniorum æquum eſſe; ut Canonum ac Legum regula ſervetur de præferenda ſententia doctorum, magis expertorum, melioris famæ & numero plurium.

Id plane æquum eſſe concedit Orator. At qua ratione probat Pater Procurator, quod ſtatim adjungit his verbis: *Atqui certum eſt tales eſſe qui affirmant toleratas ceremonias eſſe civiles, ſuperſtitioſas verò non tolerari.* Id enim gratis ſibi ſumit; niſi fortè tam certum exiſtimet Patres Societatis iis virtutibus ac dotibus, præ aliis omnibus Miſſionariis etiam ſimul ſumptis, eſſe ornatos, ut nulla id probatione confirmandum videatur.

Addit quidem eodem loco auctoritatem Reverendiſſimi Domini Gregorii Lopez Vicarii Apoſtolici ex Ordine Prædicatorum in Epiſtola ſeu Relatione quam ait conſervari in Archivio S. Congregationis de propaganda fide, quem unum teſtem pro omnibus aliis habendum eſſe ait. Quid eâ epiſtolà contineatur, ignorat Orator, qui illam non legit. Certè vix aliquis animum inducet credere Auctorem Epiſtolæ ita Patri Procuratori favere,

vere, ut ipse suadere vellet. Præterquam quod neminem fore putat Orator, exceptis fortè aliquibus Patribus Societatis Jesu, qui eum cæteris Vicariis Apostolicis, totque aliis testibus in præcedentibus scriptis adductis; anteponat.

Monet hîc Pater Procurator Societati propositum esse nullam in hac materia sententiam defendere, nisi plane justam, ac canonicam parumque ejus interesse ceremonias aliquas declarari civiles, aut superstitiosas, atque eo nomine vel prohiberi vel tolerari.

Quin sententiam quam sequuntur Patres Societatis justam & sacris Canonibus consentaneam sibi fingant, vel saltem titulo probabilitatis in praxi tutam existiment nemo dubitat; at sic eos se habere circa ceremonias de quibus agitur, ut neutram in partem magis propendeant, atque eis perinde sit, sive declarentur civiles, sive superstitiosæ, sive prohibeantur, sive tolerentur, vix aliquis, pace Patris Procuratoris, sibi persuadeat. Contrarium demonstrant moræ per octoginta annos interpositæ ac dilationes quas etiam nunc tanta diligentia captant; & à Sacra Congregatione tot Libellis Supplicibus postulant.

At, pergit Pater Procurator, multum per omnia Societatis interest causam hanc accuratè, & attentè examinari, sinceriores ad eam finiendam notitias haberi, nec aliquid temerè in ea fieri, cujus postea pœnitendum sit.

Mirabilis est zelus Patrum Societatis in prorogandа hujus causæ definitione, non ob aliquas eorum rationes privatas, sed solo intuitu boni publici, & honoris S. Sedis totiusque Ecclesiæ: quasi verò E. E. V. V. minus cordi sit bonum Ecclesiæ, atque honos Sedis Apostolicæ, quam Patribus

Societatis, atque timendum ſit ne quid temerè, & inconſideratè S. Congregatio in hac cauſa decernat; niſi eorum in hoc conſilia & admonitiones ſequatur.

Ut his pondus addat Pater Procurator exemplum Japoniæ adducit, in qua, inquit, everſa eſt Religio, & fidei occluſum oſtium, ob ſimiles cauſas.

Quæ cauſa fuerit everſionis fidei & Religionis Chriſtianæ in Japonia reſciri poteſt à Reverendis Patribus aliorum Ordinum, quorum Religioſi tunc temporis in illis partibus Miſſionariorum munere fungebantur, vel etiam ex ſcriptis & monumentis quæ in Archivio S. Congregationis de propaganda fide aſſervantur.

Sextum & ſeptimum Edicti caput obiter tangit Pater Procurator, quod, inquit, exhortationes tantum, & admonitiones quaſdam levioris momenti contineant, de quibus tamen ait, majores ſe notitias expectare.

Utroque hoc capite Dominus Maigrot nonnullos loquendi modos, & quaſdam propoſitiones in libris Patrum Societatis tradi ſolitas damnat, ac Ludi-Magiſtris præſcribit ne in Scholis libros, ſuperſtitiones & principia Atheiſmi continentes legant, & ſi quid mali occurrit, inde occaſionem arripiant explicandi diſcipulis quæ de Deo, de mundi creatione & gubernatione, Chriſtiana Religio tradit; hæc non parvi momenti eſſe facilè quivis intelliget. Sed benè eſt quod aliter de iis cenſeat Pater Procurator, nihilque adverſus ea nunc objiciendum exiſtimet.

Libellum ſupplicem concludit his tribus petitionibus: I. Ut ante omnia Edictum Domini Maigrot circumſcribatur, & irritum eſſe jubeatur, tanquam ſi nunquam factum, aut promulgatum fuiſ-

fuiſſet: II. Ut Orator, aut quivis alius qui huc operam ſuam conferre velit, clarius & diſtinctius quæſita proponat, quo & ei præciſè reſponderi, & ab Eminentiis Veſtris clariora adhuc Decreta quæ nullam diſputandi anſam relinquant, fieri poſſint. III. Ut poſt factam illam quæſitorum propoſitionem, tempus congruum Societati detur, tum ad reſpondendum, tum ad habendas notitias è locis unde expectantur.

Quod primam petitionem attinet ſperat Orator eam ab Eminentiis V V. non ſine aliqua indignatione rejiciendam: quis enim patienter audiat in re graviſſima, ubi periclitatur Religio, & æterna ſalus infinitæ multitudinis Chriſtianorum, poſt tot tantaque documenta Eminentiis Veſtris exhibita, & diligentem per tot annos cauſæ inſtructionem poſtulari, *ut ante omnia* Edictum à Vicario Apoſtolico promulgatum nullum ac irritum declaretur? In duabus Provinciis vaſtiſſimis non ſolum jam promulgatum eſt, ſed & in executionem miſſum ab omnibus Miſſionariis tum Sæcularibus, tum Regularibus, exceptis ſolis Patribus Societatis. An ergo vellent Patres Societatis ut auctoritate Eminentiarum Veſtrarum cogerentur reliqui Miſſionarii jam introductum morem mutare, & cultum Confucii ac Progenitorum mortuorum apud Neophytos ſuos in uſum revocare? Quam melius & conſultius Patres Societatis reliquos Miſſionarios imitarentur in exequendo proviſionali Edicto Vicarii Apoſtolici, præſertim cum in omittendis illis cultibus nullum peccati periculum, in uſurpandis verò maximum, ſi non omnino certum agnoſcere debeant.

Ad ſecundam petitionem reſpondet Orator, ſe neſcire modum proponendi clariorem, diſtinctio-

rem, aut aptiorem modo illo, quem tum ipſe in ſcriptis ſuis, tum D. Maigrot in literis, Edicto, & adjuncta ei Expoſitione ſequuti ſunt, confiditque fore ut Eminentiæ Veſtræ aliter de his, ac Pater Procurator, judicaturæ ſint.

De dilatione quam tertio loco poſtulat Pater Procurator, audet etiam ſperare Orator, poſt explicatum quæſtionis ſtatum & continuatam huc-uſque cauſæ inſtructionem, omnino ab Eminentiis VV. negandam fore ejuſmodi dilationem, cum manifeſtum ſit eam non peti, niſi ut cauſa nunquam finiatur.

Id etiam Eminentiæ Veſtræ judicabunt ex iis quæ in fine ſuggerit Pater Procurator, videlicet ſcribendum eſſe à S. Congregatione Epiſcopis & Vicariis Apoſtolicis Sinarum, & Tunkini pro informatione & voto: quamvis enim indicet duorum tantum, aut aliquot plurium annorum opus eſſe ut reſponſum habeatur, nemo non videt, longè diuturniorem moram fore neceſſariam ob rationes jam in ſuperiori ſcripto ab Oratore allatas. Qua autem ratione auſus eſt idem Pater Procurator ſcribere, nihil inde Reipublicæ illius Chriſtianitatis detrimenti accidere poſſe? Quandoquidem fieri non poteſt ut maximum damnum non capiant Chriſtiani, ſi reipſa cultus idololatricos, aut ſuperſtitioſos cum vera Religione conjungere, aut etiam de eo animi pendere, ac dubitare ſinantur.

Sed quidquid ſit de longa, aut breviori mora in arceſſendis novis illis è China, & Tunkino notitiis, & de damno quod facerent novæ illæ Eccleſiæ, ſufficit ad rejiciendam illam propoſitionem eo ſtatu eſſe cauſam, ut diligentia illa omnino inutilis ac ſupervacanea videatur.

Id quod, Eminentiſſimi Patres, ſapientiſſimè per-

perviderunt Eminentiæ Vestræ quando præceperunt, factorum veritatem ex ipsius Societatis Jesu Scriptoribus, quantum fieri posset, comprobari, præjudicantes, id si fieret, aliam quamcumque inquisitionem necessariam non fore. Cum itaque Orator Eminentiarum Vestrarum præcepto hac in parte plenè, ut sperat, satisfecerit, restat, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini, ut hanc causam ab octoginta annis, ut ipsemet Pater Procurator fatetur, pendentem definitivo judicio Eminentiæ Vestræ terminare dignentur ad gloriam Dei Omnipotentis, ad honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & ad ædificationem ac bonum spirituale tot animarum Christi sanguine redemptarum. *Et Deus &c.*

VARII ACTUS

A Sinis in cultu Confucii Philosophi, & Progenitorum defunctorum fieri soliti, ob quos idem cultus Edicto provisionali Reverendissimi

CAROLI MAIGROT,

Vicarii Apostolici Fokiensis prohibetur, unà cum aliis quibusdam ad eorumdem Sinarum Religionem, & doctrinam pertinentibus de quibus in eodem Edicto statuitur.

Traditum Illustrissimo Domino

BERNINO

Assessori die 31. *Octob.* 1697.

I.

De Cultu Confucii.

I. Confucius Philosophus à Sinensibus Sectæ Literariæ, quæ est præcipua in illo Imperio, & cujus princeps est ipse Imperator,

non solum ut Magister, verum etiam ut Sanctus, ac numen aliquod colitur. Id probavit D. Nicolaus Charmot Procurator Generalis Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum Gallorum Asiæ Orientalis in scriptura Sacræ Congregationi exhibita, cui titulus *Veritas facti circa quosdam &c.* ex testimoniis Auctorum Societatis Jesu, videlicet ex Patribus Semedo, Bartolo, Kirkero, de Marinis, Le Tellier, relatis in dicta scriptura sub titulo *De cultu Confucii*.

II. Ædes in singulis civitatibus Confucio dicatæ aulæ non sunt vel gymnasia, sed capellæ seu templa propriè dicta. Id probatur in præfata scriptura titulo *De cultu Confucii*, testimoniis Patrum Riccii, Trigautii, Semedi, Bartoli, Kirkeri Societatis Jesu.

III. In illis templis loco alto ac præcipuo collocata est effigies vel tabella Confucii, ut probatur in dicta scriptura sub eodem titulo *De cultu Confucii*, testimoniis eorumdem Patrum Riccii, Trigautii, Semedi, Bartoli, Kirkeri, Societatis Jesu. Quæ quidem Tabella *Spiritûs Sedes* appellatur, ut probatur in dicta scriptura sub titulo de cultu Progenitorum, testimonio Patris Tellier Societatis Jesu. §. *Dices circumstantias &c.* vel potius cum hac inscriptione aureis literis exaratur: *Sedes animæ sanctissimi & superexcellentissimi Protomagistri Confucii*; ut patet ex Illustrissimo Navarretta tom. 2. tract. 6. pag. 301. aliisque Auctoribus qui accuratius de cultibus Sinicis scripsere.

IV. In iisdem templis Mandarini, seu Gubernatores ac Magistratus Urbium, unà cum Graduatis seu Doctoribus, Literatis, bis anno nempe circa Æquinoctium veris & autumni, solemne sacrificium offerunt, in quo à Ministro

&

& Aſſiſtentibus, poſt varias genuflexiones & inclinationes ante Tabellam Confucii, candelis accenſis cum odorum ſuffitu, ad menſam ſeu Altare vinum libatur, occiſorum animalium, ſuis videlicet, capræ, aut cervi carnes offeruntur, itemque flores & panni ſerici, qui deinde accenſo ante portam templi foco comburuntur: immolati quoque animalis ſanguis ac pili offeruntur, ac deinde terræ infodiuntur, carnes verò ac reliquiæ inter aſſiſtentes diſtribuuntur, qui eas magno pretio habent, & eis poſtea veſcuntur, vel domum ſecum auferunt. Ante omnia autem jam à principio anima Confucii ut adſit, & præfatæ tabellæ inſideat, invitatur, eique quidquid in ſacrificio geritur, tanquam præſenti ſignificatur. Hæc probata ſunt in prædicta ſcriptura ſub titulo de cultu Confucii, teſtimoniis Patrum Riccii, Trigautii Semedi, Bartoli, Kirkeri & Le Tellier ſub titulo, *De cultu Progenitorum §. Dices circumſtantias &c.*

Multa quoque alia in eo ſacrificio geruntur quæ apud eoſdem Patres Jeſuitas non leguntur, ſive quod ea deditâ operâ omiſerint, ſive quod de his tantum obiter ſcripſerint. Sigillatim autem habentur in libris Ritualibus Sinarum relatis ab Illuſtriſſimo Navarretta variis locis, præſertim tom. 2. tract. 7. pag. 414. Præcipua ſunt, ut plures dies ante ſacrificium jejunent, & à thoro conjugali abſtineant: ut hoſtias immolandas fuſo, augurii cauſa, in earum auriculas vino, ſeligant; ut ſacrificium incipiat poſt primum galli cantum, & ſummo mane finiatur; ut peracto ſacrificio ſpiritum Confucii abeuntem grato animo, ac certis verborum formulis proſequantur; ut priuſquam dimittantur, Magiſter ceremoniarum eis ob redditum Confucio honorem omnia proſpera, præci-

puè quæ ad ingenii ſubtilitatem, ſcientiam ac honores conſequendos pertineant, auguretur ac promittat.

V. Sinæ Literati, & Magiſtratus Urbium, variis anni temporibus, præſertim verò ſingulis menſibus in novilunio ac plenilunio, ac poſt acceptos gradus, vel aditam poſſeſſionem Mandarinatus ad templum Confucii ſe conferunt, ibique accenſis cereis, & cum odorum ſuffitu ante Confucii effigiem vel tabellam repetitis vicibus genuflectunt toto corpore proſtrati, ac terram fronte percutientes, atque ita minori quidem ſolemnitate quam in duobus ſacrificiis antea relatis, ſed tamen præcipua ac ſumma veneratione Confucium honorant. Probatur in dicta ſcriptura jam citata ſub eodem titulo de cultu Confucii, adductis teſtimoniis Patrum Riccii, Trigautii, Semedi, Bartoli, Kirkeri,

VI. Doctrina Confucii apud Sinas ſtudioſos ſeu Literatos eodem loco habetur, ac apud nos Scriptura Sacra ſeu Evangelium. Hoc teſtantur Patres Semedo, & de Marinis relati in dicta ſcriptura titulo de cultu Confucii.

VII. Literati Sinenſes non in æde ſeu templo Confucii gradus accipiunt, ſed in ampliſſimo gymnaſio, ubi per multos dies examinantur, & poſtquam à Gancellario ſeu Præfecto ſtudiorum Licentiati ſeu Doctores renuntiati ſunt, inde jam gradu donati ad templum Confucii magno cum apparatu procedunt, genuflexiones, & inclinationes, cum cereis ſuper menſa accenſis & odorum ſuffitionibus coram ejus tabella facturi, ut ſupra dictum eſt. Id probatur in præfata ſcriptura eodem titulo de cultu Confucii §. *Quod ad quartum articulum*: teſtimoniis Patrum Riccii, Trigautii, & Semedi.

II.

II.

De cultu Progenitorum defunctorum.

I. Sinæ defunctos Parentes suos, & avos usque ad quartum gradum publico ac singulari cultu prosequuntur: ædes sacras seu capellas eis dedicant, tabellas eorum nomine inscriptas tum in istis ædibus sacris, tum etiam in domibus privatis retinent, quas animæ defuncti sedem, seu locum appellant; ad illas defunctorum spiritus invitatos venire credunt; flores, cibos ac fercula, & fructus apponunt, thura & odores cremant, multa ab eis pro hujus vitæ prosperitate postulantes, eoque magis se felices ac fortunatos fore sperant, quo majori pietate ac diligentia hisce officiis functi fuerint. Singula hæc probantur in præfata scriptura Procuratoris Episcoporum & Vicariorum Apostolicorum Gallorum Asiæ Orientalis, titulo de Progenitoribus defunctis, adductis testimoniis Patrum Maffei, Semedi, Alexandri de Rhodes, de Marinis.

II. In iisdem Templis, Sinæ, statis anni temporibus, solemnia sacrificia offerunt, eodem pene ritu, quem supra dictum est in sacrificiis Confucii adhiberi. Siquidem Paterfamilias, seu Princeps familiæ unaque cæteri agnati, præmisso per aliquot dies jejunio, & abstinentia ab actu conjugali, ante primum Galli cantum adsunt in templo illo, & ante tabellas Majorum ibidem collocatas cum hac inscriptione, *Sedes animæ talis vel talis defuncti*, genuflectunt, terram fronte percutientes; deinde præcipuus Minister ad mensam seu altare vinum libat, partemque ejus super figuram hominis stramineam, seu ex paleis contextam fundit, thus adolet, flores, fructus, legumina, ac cæso-

cæſorum antea animalium capita, vel carnes offert, itemque ſericos pannos, quos poſtea, unà cum nummis papyraceis, in foco ante portam templi accenſo comburit; poſtremò aſſiſtentibus denuntiat ob exhibitum Proavis pietatis officium debere ab iiſdem proavis expectare fructuum ubertatem, filiorum procreationem, longamque vitam. Hæc partim probantur in dicta ſcriptura eodem titulo de Progenitoribus, teſtimoniis Prædictorum Patrum Semedi, Alexandri de Rhodes, de Marinis, Le Tellier; partim ex Ritualibus libris Sinarum apud Illuſtriſſimum Navarrettam relatis tom. 2. tract. 7. pag. 414. 415. & ex narratione hujuſmodi ſacrificii cui interfuerunt duo celeberrimi Miſſionarii Joannes Baptiſta Morales Ordinis Prædicatorum, & Antonius à Sancta Maria Ordinis Minorum, prout refertur apud eundem Navarrettam tom. 2. tract. 6. pag. 168. ut citatur in dicta ſcriptura verſus finem. §. *Quod ſi alios.*

III. Qui ſunt tenuioris fortunæ, nec ejus conditionis, ut templa Progenitoribus defunctis dedicata habeant, eaſdem oblationes & ceremonias ad eorum ſepulchra, vel in domibus privatis, coram prædictis tabellis minori cum ſolemnitate peragunt.

IV. Omnes Sinæ domi habent locum aliquem ſecretum tanquam lararium, ubi tabellas Progenitorum defunctorum conſervant, ſingulorum nomine, uti ſupra dictum eſt, inſcriptas hoc modo: *Sedes ſeu locus animæ talis & talis defuncti*; eas ſingulis diebus ſæpè ſalutant ac venerantur, cum genuflexionibus & inclinationibus, cereis accenſis, thuris & odorum ſuffitu; fructus etiam eis & legumina, alioſque cibos offerunt ſeu apponunt. Probantur in dicta ſcriptura eodem titulo de Progeni-

genitoribus; testimoniis Patris Alexandri de Rhodes & aliorum.

Porrò notandum quæ dicta sunt de cultu Confucii & Progenitorum apud Sinas, locum etiam habere in Tunkino & Cocincina. Probatur in dicta scriptura eodem titulo de Progenitoribus, testimoniis Patrum de Rhodes, Bartoli, Le Tellier.

III.

De vocibus Tien & Xangti.

I. Tota Literatorum Secta apud Sinas saltem à multis jam retrò sæculis per vocabulum *Tien*, *Cælum*, & *Xangti*, *Supremum Imperatorem*, nihil aliud intelligit quam cœlum materiale, quod rerum omnium inferiorum principium esse putat. Unde cœlo sic sumpto quemadmodum & terræ, planetis, montibus ac fluviis sacrificat, & in Regiis Urbibus *Pekin* & *Nankin* templa visuntur magnificentissimè extructa, in quibus, statis anni temporibus, cœlo solemne sacrificium offertur. Id probatur in scriptura Procuratoris Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum Gallorum supra citata titulo *Factum primum*; adductis testimoniis Patrum Semedi, Kirkeri, Magaillens, Maffei, Bartoli, Le Comte, & Longobardi.

Ex quo sequitur non debere voces illas *Tien* & *Xangti* à Missionariis & Christianis ad significandum Deum Opt. Max. usurpari, quod Dominus Maigrot suo Edicto prohibuit, sed potius adhibendam esse vocem *Tien chu*, *cæli Dominum*, quæ jamdudum inter Christianos Sinenses ad Deum significandum usu recepta est, ut idem Dominus Maigrot in suo Edicto præcepit.

Ex præfata significatione vocis *Tien*, *Cæli*, apud

pud Sinas Literatos recepta, patet idololatria non vacare quasdam tabellas his vocibus inscriptas: *King Tien*, *Cœlum colito*: unde consequens est Missionariis cæterisque Christianis non licere eas domi, vel in Ecclesiis retinere, multo minus super Altare ab omnibus venerandas collocare, quod prædictus Vicarius Apostolicus secundo Edicti sui capite prohibuit.

IV.

Propositiones provisionali Edicto Domini Maigrot damnatæ.

I. Propositio: *Philosophia quam Sinæ profitentur nihil habet Legi Christianæ contrarium.*

Per Philosophiam Sinarum intelligitur Philosophia Sectæ Literariæ, cujus Sectatores à longo jam tempore, quidquid sit de primis ejus Auctoribus, Cœlum materiale colunt, ei tanquam rerum omnium principio sacrificant; itemque terræ, montibus, fluviis, nec non & Progenitoribus defunctis: unde patet meritò damnatam esse propositionem.

II. Propositio: *Nomine* T AI K I E *Sapientissimi prisci Deum causam primam omnium rerum definire voluerunt.* Hoc nomine *TaiKie* tam veteres quam hodiernos Sinas Literatos nihil aliud intelligere, quam materiam primam, ex qua res omnes constant, probarunt ac demonstrarunt varii Missionarii, ac præcipuè Pater Nicolaus Longobardus Soc. Jesu in Tractatu ab Illustrissimo Navarretta typis edito tom. 1.

III. Propositio: *Cultus quem Confucius spiritibus adhibuit, civilis potius quam religiosus fuit.*

Per spiritus hîc intelliguntur vel animæ Progenitorum mortuorum, vel spiritus montium, flu-

fluviorum &c. quidquid sit illud quod hoc nomine sibi fingunt Sinæ Literati. Certè cum antiquissimus sit apud Sinas Progenitorum mortuorum cultus, clarum est illum prout supra art. 2: relatus est; non civilem, sed Religiosum esse.

IV. Propositio: *Liber quem Sinæ Yeking appellant, summa est optimæ doctrinæ Physicæ & moralis.*

In libro illo multa habentur de fato & Astrologia judiciaria; atque eo Sinæ vulgò utuntur ad divinationes & sortilegia, ut testantur Patres Semedo, & Martinus Martinius Societatis Jesu: En verba Patris Semedi: *Relatione della China part.* 1. *cap.* 10. *pag.* 64. *Il primo* (libro) *si chiama Yeking e tratta della sua Filosofia naturale, generatione e corruttione delle cose: del fato ò prognostici judiciarii di quelle.*

Martinus vero Martinius Sinicæ Historiæ libro 1. pag. 16. sic ait, *Habent Sinæ librum Yeking dictum . . . . multa sunt in eo libro de generatione & corruptione, de fato, de Astrologia judiciaria . . . . eo tamen, ut plurimum utantur hodiè ad divinationes & sortilegia.* Hinc patet meritò damnatam esse præfatam propositionem.

Notandum quod auctoritates Patrum Jesuitarum & aliorum tum hîc, tum in scripto cui titulus: *Veritas facti*, allatæ, examinatæ & recognitæ fuerunt in ipsis libris ab Illustrissimo Assessore ejusque Auditore die 21. & 23. Septembris 1697.

TY-

TYPOGRAPHUS.

Cum in hujus collectionis editione multum jam processissent operæ typographicæ, mihi opportunè tradita sunt aliquot scripta Patrum Jesuitarum, duo videlicet libelli supplices Procuratoris generalis Societatis Jesu, nec non epistola Præpositi generalis ejusdem Societatis ad Assessorem Sancti Officii; ac denique libellus supplex ab eodem Præposito generali Innocentio XII. Pontifici Max. oblatus, in quo tanquam in compendio collecta sunt, quæ in aliis jam scripturis ad defendendam Societatis causam allata fuerant. Nova hæc scripta, quò melius adhuc gravissimæ controversiæ status & momenta intelligantur, hîc coronidis loco adjungere placuit, & ea latinitate donari, ne cuiquam obesset Italicè non intelligere.

LIBEL-

LIBELLUS SUPPLEX

Reverendi admodum Patris Procuratoris Generalis

SOCIETATIS JESU,

SACRÆ

CONGREGATIONI,

SANCTI OFFICII.

Oblatus die 2. Maii 1697.

Eminentissimi e Reverendis. Signori.

IL Procuratore Generale della Compagnia di Giesù hà presentito, che si ansi portate alcun' istanze à cotesta S. Congregatione per risolvere qualche materie,

Eminentissimi & Reverendis. Domini.

PRæsentiit Procurator generalis Societatis Jesu à sanctissima hacce Congregatione de quibusdam controversiis olim disputatis & majori ex parte judicatis,

tie, che si pretendono controverse nella Christianità della Cina, le quali sono state altre volte dibattute, & anco in gran parte risolute, mà che à ben resolversi, come lo sperimento de' tempi andati hà fatto conoscere, è necessario chiarire la verità del fatto, sentite le parti che vi hanno interesse, e che hanno qualche distinta notitia, e lume particolare intorno gl' affari di quel paese; e perche pare, che le dette istanze tocchino i procedimenti de' soggetti della Compagnia, che colà dimorano, i quali è giusto, che sieno uditi, e difesi nel le cose convenevoli, perciò esso Procuratore supplica humilmente l'EE. VV. ad ordinare che prima d'ogni altra cosa le siano communicate tal' istanze, con

tis, tamquam magnas lites in Sina Christiana de die in diem moverent, denuo judicium efflagitari. Docuit superiorum temporum experientia, ne temere sententia feratur, prius rei veritatem indagandam esse, illosque audiendos quorum interest, & qui distinctam tenentes rerum notitiam non vulgaria lumina cognitioni inferre queunt. Porro cum hæc sit Jesuitarum qui in istis terris degunt causa, eos audiri, & pro æquo defendi jus postulat, idcircoque petit supradictus Procurator ut Eminentiis vestris primum placeat omnia adversariorum instrumenta, & quidquid ea in re scriptum fuit nobiscum communicari, sicque audita & altera parte, quæ feretur sententia nihil nisi justitia & san-

con tutte le scritture, che ne dipendono, affinche intesa la risposta, ne seguano le resolutioni, che pareranno alla somma rettitudine, e prudenza dell' EE. VV. Il che &c.

sanctissimæ Congregationis prudentia dignum sanciet.

AL-

ALTER LIBELLUS SUPPLEX

Procuratoris Generalis

SOCIETATIS JESU,

Oblatus die 12. *Septembris* 1697.

Alla S. Congregatione del S. Officio.

MEMORIALE

Con risposta del Procurator generale della Compagnia di Giesù, alle instanze fatte per Parte di Monsignor

CARLO MAIGROT,

Vicario Apostolico nella Provincia di Fokien nel Regno della Cina.

Eminentissimi e Reverendiss. Signori.

IL † Procurator generale della Compagnia di Giesu ha-

Eminentissimi & Reverendiss. Domini.

LEctis duobus ultimis Nicolai Charmot de controversiis

† *Huic scripto responsum habes supra.*

havendo lette le due ultime scritture prodotte dal Signor Nicolo Charmot intorno gli affari della Cina, rappresenta umilmente alle EE. VV. che la dilatione in risponde-re alla sua scrittura prima, che contiene l'istanza d'approvare l'Editto di Monsigr. Carlo Maigrot Vicario Apostolico nella Provincia di Fokien, de gli 26. Marzo 1693. non è, come suppone detto Signor Charmot, con fine di tirare in longo, e sfuggire la discussione delle questioni proposte; mà è stata chiesta semplicemente per poter havere le douute notitie, e potere in consequenza dare una risposta più soda, e piu acertata, sovra di cui possa questa sagra Congregatione fermare più sicuramente le sue auvedutissime determinationi.

siis Sinæ Christianæ instrumentis, cum omni animi submissione Eminentias Vestras certas facit generalis Societatis Jesu Procurator non eo fine dilatum esse respondere ejus scripto quo urget Edicti Domini Caroli Maigrot in Provincia Fokiensi Vicarii Apostolici die vigesima sextâ Martii anni 1693. dati approbationem, ut quemadmodum supponit lis in longum trahatur & suo judicio tandem careat. Ea duntaxat de causa retardata fuit hæcce defensio ut debita rerum acquireretur notitia, quò certiora fierent argumenta, taliaque ut in his fundari posset acceptabile Eminentiarum vestrarum judicium.

Ed in effetto, essendosi saputo, che un Religioso Missionario, che dimora oggidi attualmente nella Cina, ed è molto accreditato e prattico assai più che Monsigr. Maigrot, delle cose Cinesi, havea dettata una ben intesa scrittura, in cui rimostrava alcuni abbagli, inconvenienti, & assurdi contenuti nel sudetto Editto, e che tal scrittura era stata mandata à Macao per trasmetterla in Portogallo, si è speditamente scritto colà per haverne copia, supponendosi che à quest' ora sij giunta, ò poco possa tardare à giungere in Lisbona, di che se ne attendono i riscontri.

In oltre si è scritto in Francia, ove sono alcuni Padri venuti dalla Cina, per ricavare da essi qualche piu precisa notitia, che pure s'attende in breve;

Et revera cum resciissemus quemdam religiosum virum non parvi nominis qui etiam nunc in Provincia Fokiensi Christo laborat, & rerum Sinicarum ultra sortem Domini Maigrot peritum, eleganti scripto multa absurda esse & inconcinna in ejus edicto demonstrasse, illudque scriptum Macao mandatum ut Lusitaniam usque penetraret, promptissimas ex tempore dedimus litteras. ut nobis illius copia fieret. Jam Ulissiponem intrasse hocce scriptum credimus, vel prope diem fiet, & statim authentica illius descriptio nobis mittetur.

Præterea in Gallias ubi degunt quidam ex nostris qui recens ex his tractibus commearunt, litteras misimus, postulantes ut de iis rebus nos certio-

breve; ne si vuole omettere diligenza alcuna, per chiarire, se sarà possibile, un fatto di si alta importanza.

Frà tanto non si lascia di accennare, che il Signor Charmot non è altrimente Procurator generale de' Vescovi, e Vicarii Apostolici, ed altri Missionarii del l'Asia Orientale, come egli si qualifica nelle sue scritture, mà solo de' Missionarii Francesi, che dipendono dal seminario delle Missioni straniere di Francia (salvo esibisca le sue commissioni particolari), il che si dice non perche importi molto che sij, ò non sij tale, potendo ogni dubio proporsi da chiunque si voglia, come qualcunque altra attione popolare; mà

tiores faciant, illudque futurum prope diem speramus. Si quidem nihil intentatum relinquere cordi habemus, ut quantum fieri potest res tanti momenti in lucem adducatur.

Verum nonnulli obmurmurant Dominum Charmot titulo Procuratoris generalis Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum aliorumque qui in Oriente Christum prædicant, gaudere non debere, licet illum gestiat suis instrumentis præfigere: merus Gallorum quos misit Seminarium gentium docendarum Parisiis fundatum, donec sua diplomata exhibuerit, legatus: non quod multum causæ intersit illud dictum fuisse existimandum est, nec refert quis ille sit, cum procul dubio omni viro liceat quidquid Rei-

mà è solo perche si sappia, chi sono quelli à nome de' quali si forma l'istanza, per potere la Compagnia regolare più aggiustamente le sue risposte.

Reipublicæ Christianæ interesse credat Eminentiis Vestris proponere, sed ea duntaxat mente fit hac de re mentio ut cognoscat Societas quos habeat adversarios in suam defensionem appositius inde dictura.

Ne si è potuto leggere il sudetto Editto senza far riflesso, che non era lecito à detto Monsigr. Maigrot arrischiare le mani, e tingere la penna in una materia, ove già la Sta. Sede Apostolica ne haveva attirata à se la conoscenza con lunghe discussioni, e dupplicati Decreti della S. Congregatione de Propaganda Fide nell' anno 1645. è di questa del S. Offizio nell' anno 1656. senza ottenerne la permissione.

Porro supra laudatum edictum legi non potuit quin illa cogitatio scrupulum injiceret? Quo jure Dominus Maigrot inconsulta sancta Sede Apostolica huic liti judicandæ se se aplicuisset de qua illa prius cognoverat, multas habendo in eam quæstiones, bisque sententiam dicendo in Decretis sanctissimæ Congregationis de Propaganda Fide anni 1645. & Sancti Officii anni 1656.

E per dar saggio della qualità di tal Editto, pare à proposito di ritoccare brevemente,

Verum ut istius Edicti natura magis introspiciatur haud alienum à causa fecerimus si sum-

mente, sino che si dii più ampia risposta, i capi, che lo compongono.

Il primo, che proibisce la parola *Xanty*, è cosa del tutto soverchia; atteso che già sessant'anni sono fù expressamente stabilito da' Religiosi della Compagnia, di non valersi in alcun conto di tal vocabolo, per significare il nome di Dio, come poi si è sempre pratticato anco dà gl' altri Religiosi, e dà tutti i Catholici, che si servono solo del nome di *Tien chu*, come ammette lo stesso Monsigr. Maigrot, affermando che tal nome è ricevuto per longo uso; onde non si vede ragione di parlare di una cosa che è senza difficoltà, salvo meramente trà i Gentili, à quali non s'estende l'Editto.

Il secondo Capo concerne il precetto di

summa ejus capita hîc exponamus, fusius in illud pro adversariorum responsis dicturi.

In primo, voce Sina *Xanty* uti prohibet ad Dei nomen significandum, quod omnino superfluum existimandum sit. A sexaginta enim annis & amplius à Societatis Jesu Presbyteris stabilitum est hanc vocem nullatenus esse talem in usum adhibendam. Huic steterunt semper sententiæ omnes Catholici qui sola voce *Tien chu* in eo utuntur, quod admittit Dom. Maigrot affirmans longo usu eam expressionem invaluisse. Ejus igitur rei mentio redundat quæ inter gentiles duntaxat controvertitur extra jus dicentis autoritatem, viventes.

In secundo, Mandat ex Ecclesiis tolli quasdam

di togliere dalle Chiese alcune tabelle nelle quali stà scritto, *King Tien*, cioe, *Cælum colito*: quasi che ogn' uno che và colà adorare, intenda per cielo il materiale creato, e non il creatore del cielo. Questo precetto è di niun peso, anzi molto pericoloso ad eseguirsi: è di niun peso, perche non vi è persona sia Catholica, sia Gentile, che entri nelle Chiese, la quale habbia intentione di adorare il cielo materiale. E parlando de' Cattolici, è cosa certissima, che vanno ad adorare Dio, la Beatissima Vergine, & i Santi, l'imagini e figure de quali sono dipinte in esse chiese, e non il cielo, di cui ne pure si vede minima cosa, che l'adombri, come sarebbe se vi fosse dipinto il sole, la luna, le stelle, ò altra cosa con-

dam tabulas, *King Tien* id est *Cælum colito* inscriptas, tamquam his vocibus non cœlorum creator, sed creati cœli adorandi proponerentur: cui præcepto & inutile est periculosum obsequi. Nullus nec Christianus nec Gentilis Ecclesias intrat adorandorum cœlorum materialium mente. Certo certius est Christianos qui huc veniunt, intrare Deum adoraturos, Virginem & Sanctos quorum hîc videntur effigies precaturos, cum ibi nullæ sint cœlorum, nec solis aut lunæ vel aliarum rerum quæ eos adumbrare possent repræsentationes. Ab iis sicut & à nobis per cœlum, cœlorum conditor intelligitur juxta multa Sanctæ Scripturæ loca, in quibus cœli nihil aliud quam Deum ipsiusque thronum significant. Verum

consimile ; onde per la parola *Cœlum colito* non si può intendere altro che Dio, come s'intende da noi, essendo nella sacra Scrittura frequentemente nominato il Cielo, che non ammette altra intelligenza salvo del Creatore, ò, del suo trono. E poi anco pericoloso tal precetto ; perche tali tabelle vi stanno affisse in gratia dell' Imperatore *Cam-hi*, oggidi regnante, tanto benemerito della nostra santa fede, benche non la professi, come quello, che ne permette l'esercitio publico, il quale die una di tali tabelle, scritta di mano propria, e dichiarò con più segni, che intendeva per il nome di *King Tien*, Dio Creatore del cielo, e non il cielo materiale, valendosi secondo, il costu-

rum etiam periculosum foret huic Mandato obsequi, quia in gratiam Imperatoris *Cambi* de religione Christiana, quam palam exerceri permittit, licet eam non profiteatur, tam bene meriti, fixæ sunt hæ tabellæ. Quin ipse unam dedit manu propria exaratam multis signis testificans, per vocem *King Tien* Deum creatorem, non creatos cœlos intelligere, dum more paterno in tropis & figuris loquens, dicit contentum pro contento. Demum si refigi eas tabellas oporteret cum multa prudentia refigendæ forent, explorato prius quid de ea re Princeps sentiret, ne imprudenti zelo ejus ira excitetur, eoque conatu religio Christiana evertatur qui in illius ædifi-

costume Cinese delle figure e tropi, come questo, che dimostra il contenuto per il continente: in ogni caso, quando si stimasse di torre dalle Chiese tali tabelle, converrebbe farlo molto circospettivamente, & esplorare prima d'ogn' altra cosa il sentimento di esso Imperatore, per non eccitare il suo sdegno, dovendo il zelo essere accompagnato dalla prudenza; altrimente si corre rischio di distrugger la fede, in vece di propagarla.

dificationem tentatus fuisset.

Nel terzo capo Monsigr. Maigrot sormonta di gran longa la sua autorità, & auvedimento, mentre dichiara da se medesimo, senza cognitione di causa, senza saper bene ogni cosa, senza distinguerne la particolarità, senza haver riguardo alla fama altrui,

In tertio capite suam providentiam autoritatemque longe excedit Dominus Maigrot, dum absque prævia causæ cognitione, vix aliqua rerum notitia imbutus, sed alienæ famæ non parcus & momenta nec discernens nec ponderans, falsidicas eas esse quæstio-

trui, per non veridichi in molte cose i quesiti proposti alla Santità di Alessandro VII. Questo è un toccare con la lingua il cielo; mà à suo tempo si darà più conveniente risposta.

Il quarto, e quinto capo feriscono le cerimonie, che si costumano farsi al Filosofo Confusio, & à Progenitori defonti, di che già se n'è parlato, e dibattuto per longo tempo: ne è affare da risolversi con precipitio, come preme il Signor Charmot. In questo ancora l'Editto, e le sue dichiarationi sono confuse & intricate. Peroche qui non si tratta di ammettere cerimonie superstitiose che ben si sà, che devono essere prohibite, ne verun huomo di buon giudizio potrà mai persuadersi, che i Religiosi della Compagnia, quali van-

stiones pronuntiat olim sanctissimo Patri Alexandro VII. oblatas, de qua, licitum sit dicere, audacia; fusius in posterum disseremus.

Quartum quintumque caput eos spectant ritus quibus Confucii Philosophi parentumque defunctorum à Sinis memoria celebratur. De iis multæ longioresque jampridem motæ sunt controversiæ: lis admodum intricata nec tali judicio, quale est, obscurum & intricatum Domini Maigrot edictum enodanda. Quid enim opus est superstitiosorum rituum promulgato edicto usum vetare, à quibus omnes noverunt esse abstinendum, & quis vir sanæ mentis adduci poterit ut credat Jesuitas qui tam longe dissitas terras eo animo petunt, du-

vanno colà à sacrificare per la gloria divina le loro fatiche, e la loro vita, vogliono poi, per quanto è in poter loro, permettere cose illecite, e con ciò peccare essi, & esser complici de' peccati altrui. Ma la questione si riduce al fatto, cioè se tali ceremonie siano superstitiose, ò puramente civili; e per bene esaminare, e poi risolvere tal quæstione, sono necessarie più diligenze.

Primo, di distinguere le cerimonie solenni dalle private.

Secundo, Quelle che sono assolutamente superstitiose, dall' altre civili.

Terzo, Quali siano chiaramente le controverze, atteso che l'accusa ferisce i Religiosi della Compagnia, anco per alcune, che essi in niun con-

durissimos labores, quin & ipsam mortem ad majorem Dei gloriam ut subeant, velle quantum in ipsis sit, superstitiosos ritus permittere, sicque alienæ abominationis fautores fieri. Verum in eo consistit omnis quæstio, utrum certi ritus sint duntaxat urbanitatis testificationes vel superstitiosæ ceremoniæ, quod ut acuratè judicetur sententiam præcedat necesse est sedula cognitio.

I. Distinguendum inter publicas & privatas ceremonias.

II. Superstitiosas & impias segregare oportet ab iis in quibus nihil est præter meram urbanitatem.

III. Illæ designandæ de quarum natura ambigitur, cum edictum quarumdam ceremoniarum permissarum nomine Jesuitas respergat, quas ipsi suis

conto permettono, permettendo ſolo le pure civili, e che nulla hanno del ſuperſtitioſo; ed il male è che gl' Accuſatori confondono l'une con l'altre.

Quarto, Convien ſapere la ragione, perche eſſendo communi tali cerimonie non ſolo alla Cina, mà anco al Tonchino, ove dimorano parimente Vicarii Apoſtolici zelanti, non facciano queſti alcuna iſtanza ne prohibitione; ſe forſe non è il motivo, perche in effetto le cerimonie tolerate non ſono ſuperſtitioſe, mà ſolamente civili.

Quinto, Eſſendovi un conflitto conſiderabile d'opinioni, e di teſtimonii, pare giuſto di ſeguire le maſſime de' ſacri canoni, e delle leggi, che preferiſcono il parere, & il detto de' to-

ſuis Neophytis vetant, iis quas permittunt nihil ineſſe ſuperſtitionis affirmantes. Quas omnes non diſcrevit edictum, ſed miſcuit.

IV. Edicti motivum cognitum eſſe debet, cum enim illæ communes ſint Sinenſibus & Tonchinenſibus ceremoniæ, eorumque uſus à Vicariis Apoſtolicis zelatoribus qui ibi vivunt permittantur, non alia eorum tolerantiæ poteſt cogitari cauſa quam quod exulet à toleratis ceremoniis omnis ſuperſtitio.

Quoad quintum edicti caput cum hoc in negotio multorum foret teſtimoniorum & opinionum conflictus, juxta ſacros canones & leges oportuit eorum ſententiæ adhærere qui integritate, numero,

più dotti, de più sperimentati, di quelle di miglior fama, e che sono in maggior numero. Ora è certo, che tali sono quelli che affermano, come le ceremonie tolerate sono civili, non tolerandosi l'altre che sono superstitiose.

E vaglia per tutti Monsigr. Gregorio Lopez Vescovo di Basilea dell' Ordine de' Predicatori, Vicario Apostolico, mentre visse nella Cina, che era natural Cinese, e fù ivi Missionario per lo spatio di più di quarant' anni, informatissimo di quei riti, che si trovò presente à varie dispute fatte sopra l'affare controverso di dette cerimonie, il quale scrisse una sua longa lettera alla Sacra Congregatione de Propaganda Fide in data gl' 11. Giugno 1684. in cui

ro, doctrina, & experientia pollent.

Porro iis non displicet eos tolerari ritus qui nihil nisi urbanitatis habent dum illos repudiant quibus inest aliqua superstitio. Sed præ ceteris, maximi momenti esse debuerat Domini Gregorii Lopez Ordinis Predicatorum, Basileæ Episcopi, Patria Sini, & in Sinensi regno in quo per quadraginta anno Christo militavit Vicarii Apostolici, Laudatus Præsul Patriorum rituum doctissimus habitis coram ipso variis his de rebus disputationibus litteras dedit Sacræ de Pro-

cui ſi può vedere il ſuo ſentimento.

Qui però la Compagnia non intende di mantenere niuna opinione, che non ſij più che giuſta, e canonica; poco importandoli, che l'une ò l'altre cerimonie ſieno dichiarate ò ſuperſtitioſe, ò civili, ò che ſi proisbiſcano, ò ſi laſcino tolerare; Benſi gl'importa molto, che l'eſame ſi faccia con maturità, ed attentione, che ſi prendano le notizie più ſincere, che non ſi facciano paſſi, de' quali s'habbi poi da pentire, e che altri con zelo non aſſai circoſpetto gettino à terra un edificio, che alla medeſima coſta tantiſudori, come è accaduto nel Giappone, ove ora ſtà chiu-

Propaganda Fide Congregationi, undecimo Junii 1684. ſcriptas, in quibus abundè ſuam aſſenſionem ſignificat.

Ea eſt Societatis noſtræ mens, nullam opinionem tueri quæ non ſit evidenter juſta & canonica; parum intereſt quoſdam ritus urbanos, vel ſuperſtitioſos declarari, eoſque vel prohiberi vel defendi; verum cordi habet ut cum maturitate & attentione fiat rerum judicandarum ponderatio, ut ſincerioribus teſtimoniis fides præſtetur, ne procedatur unde ſit cum pœnitentia revertendum, & ne alii zelo prudentiæ habenis non moderato abrepti illud ædificium affligant quod tantis laboribus erexit. In Japonenſibus inſulis illud accidit, in quibus ſatis notæ cauſæ omnem religioni Chriſtianæ a-

ſia ogni apertura all' entrata della ſanƈta Fede per le cagioni che ſono note, non oſtante che vi foſſe propagata in numero, & in fervore tale, che pareva non doveſſe mai più allentare; da che tutto ſi vuol inferire, che le premure del Signor Charmot ſono aſſai ſoſpette, ſe non ſi permette il tempo convenevole per diſcernere il falſo dal vero.

ditum clauſerunt; cum olim ibi tam florens fuerit Eccleſia ut nunquam illam deficere poſſe foret ſperandum. Ex his facile intelligitur quæ fides Domini Charmot petitionibus preſtanda, niſi tempus ipſe petat in quo de iis conveniens quæſtio haberi poſſit.

Il ſeſto, & ſettimo capo comprende alcune eſortationi, e monitioni di minor rilievo, intorno à quali ſi attendono più diſtinte notizie.

Sextum caput, ſicut & ſeptimum, exhortationes & minoris momenti conſilia continet, circa quæ amplior expeƈtanda eſt informatio.

Reſtringe ora il detto Procurator Generale le ſue umiliſſime iſtanze à queſti capi.

Quibus poſitis generalis Societatis Jeſu Procurator cum omni animi ſubmiſſione, ſua his capitibus poſtulata includit.

Primo, che avanti d'ogni altra coſa, ſi circonſcriva il ſudetto Edit-

Primo, ut priuſquam judicium incipiat, ſupradiƈtum ediƈtum

Editto, come contenente materia, in cui già vi haveva poste le mani la Santa Sede, come se mai fusse seguito, ò promulgato.

Secondo, che per essere le questioni assai confuse, & intricate nel fatto, debba il Signor Charmot, ò chiunque altro si voglia proporre i dubii, quesiti, e punti tutti distinti, separati, e chiari come è seguito altre volte, acciò anco possano darsi risposte chiare, e prendere sovra quelle dall' EE. VV. le risolutioni ancor più chiare, e cò quali si rimova ogni controversia.

Terzo, che fatta la propositione, distinta di tali dubii, si dii alla Compagnia tempo congruo per le risposte e massimamente per havere le notizie

ctum refigatur & pro non promulgato habeatur, tamquam iis de rebus latum de quibus jam cognitionem Sancta Sedes Apostolica inchoarat.

Cum litis capita admodum intricata sint, petit secundo, ut juxta observatum morem teneatur Dominus Charmot & quisquis ipsi veniet advocatus, singulas propositiones, distinctas, & verbis apertis scriptas offerre, quo ipsis possimus enucleatè respondere & apertissimum fiat Eminentiarum Vestrarum judicium.

III. Ut communicatis nobiscum adversariorum instrumentis, tempus congruum Societati concedatur, ad digerendas responsiones, & convenientia commentaria ex

zie opportune donde s'aſpettano.

Rappreſentandoſi parimente con ogni riverenza il più ſicuro ſpediente per intendere con maggior ſicurezza la verità del tutto; che ſi ſcriveſſe da queſta Sacra Congregatione à Veſcovi, e Vicarii Apoſtolici tutti della Cina, e del Tonchino per la loro informatione, e parere. Che ſe ciò ſi prattica quotidianamente dalle Sacre Congregationi in ogni affare, benche di lieve momento, tanto più pare pratticabile in queſto caſo di aſſai maggiore importanza; poco rilevando il tempo di due, ò più anni ad haver la riſpoſta, mentre già ſono più d'ottanta che pende la controverſia, ſenz' alcun pregiudizio all' incremento di quella Chri-

convenientibus locis arceſſenda.

Demum cum omni reverentia exhibet ſupradictus Procurator nihil magis veritati illuſtrandæ & erroribus vitandis prodeſſe poſſe quam Sacræ Congregationis placitum, litterarum dandarum Epiſcopis & omnibus in Sina & Tonquino Vicariis Apoſtolicis ut de rebus controverſis Eminentias Veſtras certas faciant, quod cum in rebus vel leviſſimis intentatum non omittat Sacra Congregatio, tanto magis in re tanti momenti faciendum videtur. Nec huic propoſito tempus duorum aut trium annorum per quod expectanda reſponſio obeſſe debet, cum amplius octoginta annis jam lis ſit coram judice, nec minus inde Sina Chriſtiana amplietur. Imo

Christianità, mà almeno si potrà procedere con maggior cautela, e minor pericolo; il che &c.

mo ipsi proderit hæc dilatio quæ omne periculum erroris a prudenti judicio avertet.

EPISTOLA
THYRSI
GONZALES,
Præpositi Generalis
SOCIETATIS JESU,
SCRIPTA
Ad Illustriss. & Reverendiss. Dominum
BERNINUM,
Assessorem Sancti Officii, die vigesima octava Junii 1697.

Illustrissimo Reverendissimo Signore Padrone Colendissimo.

HAvendomi giorni sono il Signore Auditore Piscitel-

Illustrissime nec non Colendissime Domine.

A Domino Piscitelli Auditore, mihi à Vestra Do-

Huic epistolæ responsum habes supra.

citelli mandato da V. S. Illustrissima, fatto premura per parte della S. Congregatione del S. Offizio di dare qualche risposta alla scrittura presentata a S. Congregatione dal Signore Nicolò Charmot, in nome de' Vicarii Apostolici della Cina antecedentemente communicatami, ne hò commessa l'incombenza ad alcuni PP. quali doppo haverla essaminata mi rappresentano la difficoltà loro in respondere a tal scrittura, come conviene, e ne adducono le raggioni seguenti.

Premieramente, che l'Editto ò sij dichiaratione di Monsigr. Carlo Maigrot Vicario Apostolico nella Provincia di Fokien de gli 26. Marzo 1693. (sopra cui s'appoggia tutta la forza di detta scrittura) contiene sette capi principali, e frà

Dominatione missò, nomine Sacræ Sancti Officii Congregationis rogatus, scriptis quibusdam à Domino Nicolao Charmot Vicariorum Apostolicorum in Sina legato, sancto tribunali oblatis & mecum jam communicatis respondere, illud mandavi fieri à quibusdam ex nostris qui præmisso serio examine mihi representarunt gravissimis de causis ingentem esse in justa responsione scribenda difficultatem.

I. Domini Maigrot in Fokiensi Provincia Vicarii Apostolici edictum vigesimo sexto Martii, anno post natum Christum millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio datum, in quo totaquanta est lis suum fundamentum habet, septem capitibus

 con-

frà gl' altri se ne leggono due; la materia de' quali è stata altre volte agitata nella S. Congregatione di Propaganda Fide, & indi in quella del S. Offizio, colle resolutioni seguite ne gli anni 1645. 1656. e 1669. onde è necessario ripigliare la visione, & esame delle scritture fatte in detti tempi, & altre antecedenti, e susseguenti, che sono molto voluminose, e ricchiegono più mesi di otto; massimamente per essere soggetti, che hannoimpieghi, ne quali sono indispensabilmente occupati gran parte del giorno.

Secundo, vertendo per detti due capi la controversia in fatto, cioè se alcune cerimonie e riti verso il Filosofo Confucio, e Progenitori defonti sieno superstitiose, ò meramente civili; certo

constat, inter quæ duo reperiuntur quorum jampridem materia coram Sanctissimis Congregationibus à Propaganda Fide & à Sancto Officio dictis agitata fuit: quam verò agitationem cum secutæ sint sententiæ annis 1645. 1656. & 1669. latæ, necessarium fit eorum quæ iis & aliis temporibus scripta sunt cognitionem resumere. Immensa igitur terenda erunt volumina & ab iis ex nostris qui majore diei parte gravissimis curis detinentur, ita ut nisi octo mensibus absolvi queat iste labor.

II Cum eo omnis lis revocetur utrum quidam Sinensium ritus queis Confucium & majores venerantur, sint superstitiosi vel urbani duntaxat, majori luce illustranda videtur hæcce contro-

ver-

to è che ha bisogno di maggiori giustificationi nel fatto medesimo di quelle che si adducono in detta scrittura, non essendo forse chi l'ha composta ben informato di tutte le circostanze dell' affare.

Tertio, Viene in essa scrittura il Padre Martino Martini della nostra Compagnia imputato di havere nell' anno 1656. rappresentato alla Santità di Alessandro VII. & à detta Sacra Congregatione del S. Offizio cose non vere, onde ne sieno seguite risolutioni fondate sopra suppositi falsi, e degne perciò di ritrattatione, e perche si tratta di un soggetto di non conosciuta probità, oltre che d'un sapere, & esperimento assai probabilmente maggiore di chi hà composto tal scrittura, per havere in lunga serie d'anni tolerate grandi fatiche per

sia, ea quam attulit vir illarum consuetudinum non ita peritus.

III. Cum Martinius Jesuita accusetur falsi nomine tanquam Alexandro VII. Summo Pontifici & Sacræ Congregationi Sancti Officii res aliter quam essent exposuerit, quam expositionem secuta sit sententia digna quæ refigatur; æquissimum mihi videtur ne aliquid detrimenti veritas & justitia inde accipiant, hanc accusationem seriò subjicere examini. Ea siquidem luto aspergitur vir non minoris sanctitatis & majoris uti multis videbitur experientiæ quam objurgator; Martinius etenim per multos annos Christo in Oriente, sudans & algens la-

per la propagatione della santa fede in Oriente, e date alle stampe molte opere, e frà esse l'Atlante Cinese, la storia della Cina, e la guerra Tartarica; perciò pare convenevole di riconoscere maturamente il fondamento d'una si fatta imputatione, accioche non si faccia torto alla verità, e non si pregiudichi alla giustitia.

laboravit, libros edidit non pœnitendi nominis, inter quos Atlantem Sinicum, commentaria de bello Tartarico, & historiam regni Sinæ apellabo.

Quarto, Facendosi in detto Editto mentione di alcuni vocaboli Cinesi, de' quali non vi è quì trà nostri chi ne habbia la dovuta intelligenza, si stima à proposito di aspettare la venuta di qualche Padre da qualle parti, il quale possa sciorre colle notitie più confacevoli la dubietà di detti vocaboli.

IV. Cum in laudato edicto quarumdam vocum Sinensium fiat mentio, nemoque ex nostris sufficientem eorum intelligentiam habeat, eos videtur arcessendos esse quibus supersit perfecta difficillimæ istius linguæ notitia.

Quinto, l'Editto proibisce alcune tabelle in Chiesa, nelle quali stà scritto *Cœlum colito*, intorno à che vi sono molti riflessi da fare

V. Prohibet edictum in ecclesiis appendi quasdam tabulas *Cœlum colito* inscriptas, in quam prohibitionem

farę di qualche importanza, che si diranno à suo tempo.

Finalmente l'Editto è sostenuto dall' opinione di pochi, e non approvato da tutt' i Vicarii Apostolici di quel Regno; potendosi dare il caso, che in una Provincia non si voglia da chi la regge, osservare ciò che si osserva nell' altra; onde sarebbe pericoloso fare una legge universale, senz' ascoltare il parere de gl' altri Vicarii Apostolici; e però essendone stati ultimamente eletti nove, oltre i tre Vescovi che sono dodeci Amministratori di quella Chiesa Cinese, parebbe opportuno il valersi dello spediente preso nel 1673. quando da detta Sacra Congregatione si scrisse all' Arcivescovo di Manila, al Vescovo di Berito, & Vescovo d'Eliopoli, che informassero qual fosse il vero fatto delle cose controverse; peroche sù l'infor-

nem multa tempore congruo dicenda sun

Quod demum edictum à paucis Vicariis Apostolicis horumce tractuum propugnatur nec à reliquis omnibus aprobatur, fierique possit unius Provinciæ rectori displicere quod alterius rectori videtur permittendum, non absque periculo erit aliquid ubique observandum sancire inconsultis Vicariis Apostolicis. Igitur cum præter Episcopos novem Vicarii Apostoliçi electi sint qui duodecim Apostolorum Sinæ, numerum compleant, oportunum videtur illud iter ingredi quod tenuit anno 1678. Sacra Congregatio. Siquidem litteras dedit Manilæ Archiepiscopo & Episcopis Berithæ & Heliopolis ut ipsam certam facerent quid esset de rebus controversis. Luminibus quæ illi

formatione di detti 12. Prelati sarebbe più agevole il separare e distinguere le cerimonie e riti superstitiosi, da meramente civili; ed accertare meglio le prudentissime risoluzioni di detta S. Congregatione; ne à ciò pregiudica la dilatione del tempo in havere la risposta, mentre già sono scorsi tanti anni ne' quali si debattono molti de' casi proposti, senza che tralasci di crescere quella Christianità. Supplico dunque V. S. Illustrissima à compiacersi di riferire i sudetti motivi a detta S.Congregatione, affinche si degni di permettermi tempo congruo per istendere le risposte che saranno convenienti; le fò humilissima riverenza. Da questa casa 28. Giugno 1697.

De V. S. Illustrissima e Reverendissima

Devotiss. Obligatiss. Servitore

THYRSO GONZALES.

illi ministrabunt melius igitur distinguentur urbani ritus à superstitiosis, firmiusque sortietur Sacræ Congregationis prudentissima sententia fundamentum. Nec est quod tam prudenti proposito obsit aliquà dilatio, cum tantis ab hinc annis sub judice sit hæc lis, absque ullo Sinæ Christianæ, quæ de die in diem crescit, detrimento. Quæ omnia precor velit dominatio Vestra Sacræ Congregationi referre, ut ad responsiones adornandas tempus legitimum tribuat.

Vestræ Dominationi

Addictissimus

THYRSUS GONZALES.

LIBEL-

LIBELLUS
SUPPLEX,
A
SOCIETATE JESU,
SANCTISSIMO
OBLATUS

Menſe Maio anni 1698.

Super rebus & controverſiis Sinenſibus, velut compendiolum grandioris voluminis Sacræ Congregationi Sancti Officii antea exhibiti.

INNO-

INNOCENTIO XII.

SS. PP.

Sanctissime Pater.

PRovoluta * ad pedes Sanctitatis Vestræ Societas Jesu humillime supplicat, suorum ut gemitus querelasque sibi liceat ab ultimis orbis finibus Romam usque missas ad Apostolicam Sedem deferre, & in Sanctitatis Vestræ sinum effundere. Ad quam enim Sedem confugiet, nisi ad eam, cui totum quod ipsa est & debet & reddit continuo, ipsi specialiter devota & ex hoc capite multis odiosa? Ad quem nisi ad communem omnium Parentem, & Judicem, nisi ad Innocentium innocentiæ vindicem ac Patronum? Et quidem talis est hæc causa, quæ nos sistit ad Tribunal Sanctitatis Vestræ, ut Judicem confidenter audeamus prius adire quam Patrem, ut ipsius æquitatem prius imploremus quam clementiam, ut jus strictum postulemus priusquam gratiam.

Multa quidem passa est hactenus, patiturque quotidie Societas ubique terrarum ab hostibus

* *Huic scripto responsum habes supra.*

ſtibus Eccleſiæ tam occultis, quam manifeſtis, ſed in hujuſmodi tribulationibus gloriatur. Suos vidit in Japonia vel cruci affixos vel mediis in flammis combuſtos vel capite in fœtentem foveam demiſſo palo alligatos pedibuſque ſuſpenſos, vel aquæ tormento, ut aiunt, pluribus menſibus excruciatos atque expirantes. Vidit ſtrangulatos in Anglia, devoratos à Barbaris in America, in mare demerſos ab hæreticis, occiſos à Mahometanis, omni cruciatuum genere vexatos, omnibus calumniarum telis impetitos.

Hæc quandiu à Chriſtiani Catholicique nominis hoſtibus ſuos iſta pati vidit Societas, non modo tulit patienter, ſed & cum gaudio vidit illos ire gaudentes à conſpectu conſilii malignantium, quoniam digni habiti erant pro nomine Jeſu contumeliam pati & ſuæ fidei teſtimonium reddere proprio cruore obſignatum.

At verò, Pater Sanctiſſime, quanto Societas Romanæ fidei ſtudet ardentius, quanto Apoſtolicæ petræ firmius adhæret, tanto illi durius eſt ea pati, quæ videri poſſent fidem ejus reddere ſuſpectam. Hoc quippe tormenti genus Sancto ipſi Ignatio, tam multa alias tamque fortiter paſſo, viſum eſt tamen non ferendum, ne ex hoc capite maculata Societas ad Dei gloriam inter Gentes dilatandam, ad propagandam longe lateque Catholicam fidem, ad ſalutem fidelium procurandam fiat prorſus inutilis.

Quanquam Deo ita diſponente, ſic notus

eſt

est ubique Jesuitarum zelus erga Sanctam Sedem, ardens illorum studium pro Romana Ecclesia, continua sollicitudo pro tuenda, conservanda, augendaque, quantum in ipsis est, Catholica fide, ut, quod tribuimus divino numini, sæpe contigerit, silentibus etiam Jesuitis, in variis Regnis ac Provinciis male omnino audiisse illos in fide, quos plebs Christiana videret in iis quæ ad fidem spectant, contrarios esse Jesuitis atque negotium ipsis facescere.

Unde multi pridem convenerunt in id consilii, ut in Europa & præsertim Romæ, non tam Romanos Jesuitas vel Europæos de perversa fide accusarent, quam Americanos, Japonenses, & maxime omnium Sinenses, quippe qui tam procul hinc degentes prius essent, privatis saltem multorum judiciis, damnati, quam se scirent accusatos.

Nemo est qui nesciat quanto cum scandalo per totam Europam jampridem sparsum sit Jesum crucifixum à Jesuitis Sinensibus non prædicari: sed ubique etiam jam constat non sine speciali cura divinæ providentiæ contigisse ut ab hoste Christianorum infensissimo *Yam Ki an sim* dicto, Patres illi in conspectu solis purgarentur, dum conjectos in vincula, ferreisque catenis onustos eo maximè titulo Infidelis iste postularet illos ad necem, quod Joannes Adamus cum sociis maleficum hominem (sic impius Christum nominabat) propter innumera scelera à suis contribulibus crucifixum Deum esse affirmarent, deciperentque

Sinen-

Sinenses populos adhortando, ut crucifixum hunc tanquam Deum venerarentur. Fuit illud præcipuum vulgatæ toto Imperio accusationis caput.

Quod divina benignitas per inimicum hominem tam mirè solemniterque præstitit, permittendo ut eorum innocentiam, accusatio, carcer, ipsa eorum vincula prædicarent: Quanto magis sperat Societas, inspirante atque protegente Deo, se Innocentii XII. communis Christianorum Parentis Supremique omnium in terra Judicis, ad cujus Tribunal hodie sistitur, æquitate ac sapientia obtenturam?

Sic enim existimamus, Sanctissime Pater, à nemine unquam nec gravius nec injustius accusatam esse Societatem quam à Reverendissimo Domino Maigrot: non gravius; hanc enim in Sina suosque omnes Christianos non solum idololatriæ accusat, sed & damnat, edito propterea solemni Mandato, scriptis ad Sanctitatem Vestram hoc de argumento literis, facta publici juris, saltem Romæ injuriosa prorsus expositione. Nemo igitur unquam gravius Societatem affecit.

Sed * nemo unquam injustius. Nam ut omittam involvi ab eo in eadem damnatione multos pios, doctos, ac graves ex sacro Prædicatorum Ordine viros, qui de rebus controversis idem omnino senserunt cum Jesuitis; Sacram ipsam Congregationem, quæ suo Decreto circa ritus illos quos Reverendissimus Do-

* *In exordio Responsi generalis.*

Dominus Maigrot reprobat; Jesuitarum praxim approbavit, Apostolicam ipsam Sedem; quæ sub Alexandro VII. dictum S. Congregationis Decretum ea de re confirmavit; ut hæc, inquam tam odiosa tamque audacia nunc omittam; ostensum est, Pater Sanctissime, * in prima parte Observationum, sive Responsi Eminentissimis Sancti Officii Cardinalibus oblati, tot reperiri in hoc Reverendissimi Domini Maigrot Mandato adjunctaque Expositione defectus juris, reverentiæ erga Sanctam Sedem, æquitatis, prudentiæ, totque humani affectus indicia patere, ut vi illius Decreti nihil possit juridicè definiri circa septem puncta quæ continet, etsi aliunde constaret ista remedio indigere.

In secunda verò parte probatum est, hæc tam parum indigere tali remedio, ut licet istud Mandatum extrinsecis nævis ac defectibus careret, videatur tamen quoad ea quæ benè præscribit, esse inutile; quoad ea quæ malè prohibet, non minus injustum quam periculosum.

Est pars illa duplex Responsi istius generalis. Humillimè supplicamus Sanctitati Vestræ placeat esse quoque hanc duplicem hujus Epistolæ partem, ut quæ in oblatis Sacræ Congregationi scriptis fusius explicata sunt, in hoc quasi compendio suos ob oculos proposita possit facilius intueri, digneturque propter rei gravitatem ponderare.

PRI-

* *Ibid.*

PRIMA PARS

Varii & graves defectus Mandati Maigrotiani.

ITa * quidem existimamus, Pater Sanctissime, fieri vix posse ut Sanctitas Vestra attendere tantisper dignetur ad communes Observationes in Mandatum Reverendissimi Domini Maigrot, quin defectus illi tot & tanti, quibus scatet se se prodant continuò.

Primò † enim quantum est istud, quod Vicarius Apostolicus Sacræ Congregationis Decretum post maturam diuturnamque inquisitionem anno 1656. circa Sinensium ritus constitutum, eodemque anno ab Apostolica Sede approbatum audeat, post annos quadraginta, inconsultâ S. Sede, ideoque propria auctoritate, reformare, rescindere, annulare; adeò ut definiat Missionarios Sinas non posse tutâ conscientiâ inniti datis in eo Decreto ab Apostolica Sede responsis, vertereque non dubitet Jesuitis vitio ac crimini, quod nullam in Ecclesia auctoritatem agnoscentes Apostolica auctoritate majorem, Apostolicum Decretum pergant observare? Hoc est grande omnino apud Reverendissimum Jesuitarum scelus: sperat Societas fore apud Sanctissimum non modicam Jesuitarum laudem.

Se-

* *In prima parte Responsi generalis.*

† *In Observ. 1.*

Secundò, ‡ putavit Reverendissimus se posse apud Sanctitatem Vestram excusari de auctoritate in Apostolicam Sedem usurpata, modo prius id definiret, eandem S. Sedem fuisse à Patre Martinio ante quadraginta annos malè informatam. Sed occurret continuò Sanctitati Vestræ levitas, nullitas, falsitas, & injustitia hujus accusationis.

Quia 1o. constabit infra suo loco tam veritas informationis Patris Martinii, quam Apostolici Decreti æquitas.

Quia 2o. Etsi suadere ipse sibi Reverendissimus placuisset fuisse à P. Martinio malè informatam S. Sedem, cum id omnino negarent & pernegarent longè pluresMissionarii non solum è Societate, sed ex Sacro quoque Dominicanorum Ordine, debuisset causa illa malæ informationis deferri ad S. Sedem, ut ea discussa, si censeret ita expedire, suum ipsa Decretum S. Sedes reformet.

Non debuit autem, inconsulta S. Sede, nec auditis audiendis, à Reverendissimo Domino Maigrot reformari: alioqui sub tali prætextu, si semel admitteretur, vana reddi possent & inutilia Apostolicæ Sedis Decreta tam olim edita, quam edenda in posterum circa fidem, & circa mores; unde gravissima pericula & perturbatio fidelium terribilis.

Quia * 3o. comperiet Sanctitas Vestra evidentissimè falsum esse quod asserit Dominus Charmot, ut demonstret informationis defectum. Quia nempe, inquit, Pater Martinius ita S. Sedi ritus ac ceremonias mortuo-rum

‡ *In Observ.* 2. * *Ibid.*

rum proposuit, ut ne umbra quidem superstitionis inesse illis videretur. Illud autem quam falsum sit, tum quæsita Patris Martinii, tum Responsa sive Sacræ Congregationis, sive Summi Pontificis manifestissimè demonstrant.

Quærit enim Pater Martinius, *Num cæremoniæ, quæ sunt ex Philosophorum placitis circa defunctos, Christianis permitti possint, prohibendo quidquid superstitiosum accessit.* Quærit iterum, *Num Christiani simul cum infidelibus consanguineis easdem licitas ceremonias facere possint.* Quærit denique, *Num adesse possint Christiani præcipuè facta fidei protestatione quando infideles etiam superstitiosa peragunt, non cooperando, non auctorisando, sed quia valdè notaretur, si consanguinei tunc abessent & essent inimicitiæ causa & odii* . . . . Ita Pater Martinius: unde manifestè constat, juxta illum supponi in cæremoniis illis posse plusquam umbram superstitionis inesse: sed non minus clarè id patet ex Responsis S. Congregationis ab Apostolica Sede approbatis.

„ S. Congregatio, inquit Decretum anni
„ 1656. juxta ea quæ superius proposita sunt
„ censuit posse tolerari Sinas conversos adhi-
„ bere dictas cæremonias erga suos defunctos
„ etiam cum gentilibus, sublatis superstitio-
„ sis. Posse etiam assistere tantum cum gen-
„ tilibus, quando agunt superstitiosa; præ-
„ sertim facta fidei protestatione, & cessante
„ periculo subversionis, & quando aliter o-
„ dia & inimicitiæ vitari non possunt.

Videt ergo Sanctitas Vestra quam falsò imponat Patri Martinio Dominus Charmot, dum

ait ita ab illo propositas esse Sinarum cæremonias erga Progenitores mortuos, ut ne umbra quidem superstitionis inesset, quamque proinde nulla sit hæc excusatio, quam ad reformandum Apostolicæ Sedis Decretum Reverendissimus prætexuit.

* Tertiò, id maximè arguunt Patris Martinii accusatores quòd asseruerit nullam à Sinis divinitatem concedi animabus defunctorum. † Volunt enim illi Confucium Progenitoresque esse apud Sinas totidem idola. Unde Reverendissimus concludit ritus illos solemnes quibus semel ac iterum singulis annis coluntur, esse idololatricos & superstitione imbutos. Hinc sumit occasionem, Beatissime Pater, infamandi apud Sanctitatem Vestram tum Evangelii Ministros, tum Christianos Sinenses, quasi essent idololatræ: ‡ *Ut dubitari vix*, inquit, *merito possit, an qui sunt in China Christiani iidem fere omnes non sint idololatræ.*

Sed quanta sit hæc calumnia, ipsi accusatores nostri, ut reliqua nunc taceam, satis superque demonstrant.

Quia ** Reverendissimus Dominus Maigrot in suâ ad Sanctitatem Vestram Epistola sic loquitur: *Neque cum idololatriam dico, id ita velim intelligi, quasi ulli sint in China*

* *Dominus Charmot in memoriali quatuor facta continente.*

† *In secundo facto de Progenitoribus defunctis.*

‡ *Reverendissimus Dominus Maigrot in Epist. ad Innocentium* XII. *SS. PP.*

** *Ibid.*

na Missionarii, qui in crassam turpemque idololatriam impingant, aut alios impingere permittant, quod sine ingenti calumnia dici non potest . . . . Ita ille.

Sed * hinc manifestè infertur Confucium Philosophum & Progenitores mortuos non esse idola apud Sinas, ut benè notavit Pater Martinius: si enim essent idola, qui illos colerent quocumque tandem cultu, dici deberent crassi turpesque idololatræ: atqui juxta S. Congregationis Decretum licitum est Christianis cultu civili Confucium colere ut Imperii Magistrum à quo doctrinam, colere Progenitores mortuos, à quibus vitam acceperunt: imo Reverendissimus ipse non prohibet omnem cultum Confucio à Graduandis, Progenitoribus autem ab amicis filiisque ubi primum mortui sunt, haberi solitum, sed tantum prohibet solemniores ritus qui iisdem bis in anno exhibentur: ergo cum ex eodem Reverendissimo Christiani Sinæ non possint dici absque gravi calumnia in gravem turpemque idololatriam impingere, necesse est ex eodem Reverendissimo Confucium Progenitoresque non posse quoque nec debere dici idola, ut verè Pater Martinius affirmavit. Ergo juxta Reverendissimum erunt idola simul & non erunt. Ergo juxta eundem vera simul erit & falsa Patris Martinii quoad punctum illud informatio. Ergo apud Reverendissimum amicè inter se conveniunt duo contradictoria quæ apud alios omnes se destruunt.

Quartò

* *In Observ. 5. primæ partis.*

Quartò * idem Reverendissimus sæpius repetit in adjuncta Mandato suo Expositione, Sinas omnes Literatos, tam antiquos, quam hodiernos, esse Atheos, hoc est nullum numen agnoscere, ac proinde nec spiritum, nec animam immortalem. † In eadem tamen Expositione non modo vult Confucium & Progenitores coli ut idola à Literatis, sed etiam juxta illos, tam spiritum Confucii etsi ante bis mille annos mortui, quam Progenitorum spiritus residere realiter in tabellis, quæ per totum Imperium, & in omnibus omnino Urbibus conservantur. Ergo juxta Reverendissimum Sinæ Literati sunt simul Athei & non sunt: nullum agnoscunt numen & infinita simul agnoscunt numina: non credunt spiritus, & simul spiritus credunt in multis locis millies replicatos. Vix putamus fingi posse majus falsitatis argumentum contradictione tali.

Quinto ‡ in Mandato suo affirmat Reverendissimus, *Quod culpare eos non intendat qui aliter antea censuerunt, aliamve praxim sequuti sunt ab ea quam inposterum sequendam esse statuit.* Et tamen affirmat, Sanctissime Pater, in sua ad Vestram Sanctitatem epistola; *dubitari merito posse an qui sunt in China Christiani, idem fere omnes non sint idololatræ.*

Quam parum ista congruant clarè constat. Culpare Reverendissimus eos non intendit qui Confucium Philosophum Progenitoresque mor-

* *Dum explicat secundi sui Mandati caput.*

† *Dum explicat* 3. *caput. Item D. Charmot in Memoriali* 10. *dum explicat idem* 3. *Cap.*

‡ *Sub finem Mandati.*

mortuos civili hactenus observantia coluerunt. Illos tamen apud Sanctissimum traducit ut idololatras. Ergo intendit culpare simul & non culpare.

Addit * in Mandato suo mirum videri non debere, si in rebus hujusmodi Missionarii omnes unius ejusdemque sententiæ non fuerint, ut & unusquisque praxim amplexus sit, quæ sibi in Domino magis consona veritati videbatur. Ergo juxta Reverendissimum res illæ de quibus agitur, sunt obscuræ atque in utramque partem controversæ: alioqui in re clara & manifesta mirum videri deberet Missionarios omnes non esse unius ejusdemque sententiæ: atqui nihil potest fieri religiosius, nihil prudentius, quam in rebus hujusmodi controversis hanc partem amplecti, quæ probabilior nobis videtur magisque consona veritati: id factum à Christianis Missionariisque in China ipse fatetur Reverendissimus; conqueritur tamen apud Sanctissimum omnes ferè Christianos esse in China idololatras. Prudenter ergo egerunt simul & imprudenter, religiosè simul & impiè; sunt ergo culpandi simul & non culpandi; dici ergo simul possunt & non possunt idololatræ. Debuerat saltem convenire secum Reverendissimus, antequam Sanctissimo significaret se non posse convenire cum aliis.

Sextò † id Reverendissimus in sua ad V. Sanctitatem Epistola ingenuè confitetur propterea

* *Ibid.*

† *In Observ.* 5. *Partis primæ.*

rea nuncupari à se idololatras Evangelii in China Ministros, quia certos ritus Christianis permittunt, & nonnihil ipsi in usum adhibent, quos ipsi quidem probabiliter sibi videri dicunt licitos, & merè politicos, aliis ritus eosdem illicitos asserentibus.

Sed si propterea licitum est Missionarios Sinenses vocare idololatras, potiori jure D. Thomas, omnesque Thomistæ vocari poterunt homicidæ, quia docent Judices posse & debere condemnare eum, quem privata cognitione sciunt esse innocentem, quando in foro externo juxta leges est sufficienter convictus, contra hujusmodi sententiam reclamantibus Scoto Scotistisque qui affirmant istud non licere. Potiori jure innumeri Theologi, etiam Angelici & Seraphici, vocari poterunt non solum homicidæ, sed etiam usurarii, Simoniaci, superstitiosi, idololatræ, quia licitos docent esse aliquos contractus vel actus, quos alii Theologi putant esse illicitos; qui sic discurrit, si Dominus Charmot ejus Procurator hunc Doctorem esse Sorbonicum non diceret, vix crederent Theologi esse Theologum.

Dixi potiori jure: nam immensum abest, Pater Sanctissime, ut clarè patebit inferius, quod tanta sit Domini Maigrot suorumque auctoritas contra sententiam de ritibus Confucii Progenitorumque merè politicis S. Congregationis & Sedis Apostolicæ Decreto munitam, quanta est Scoti Scotistarumque auctoritas contra modo expositam D. Thomæ Thomistarumque doctrinam.

Septi-

Septimò, cæterum humillimè deprecamur Sanctitatem Vestram, ut dignetur advertere, nostros in China Missionarios eorumque Christianos, ipso Reverendissimo teste, plus fecisse quam jusserint hactenus Summi Pontifices à Theologis doceri & à Christianis fieri, tum in Regnis Catholicis, tum etiam Romæ. Norunt qui sunt Theologi, esse plusquam tria opinionum millia in Theologia Morali de quibus in utramque partem disputatur, docentibus aliis licere, quod illicitum alii affirmant. Nondum ab Apostolica Sede universaliter præscriptum est, ex duabus hujusmodi opinionibus eam esse necessario sequendam, quæ videtur probabilior. Non est prohibitum illam sequi quæ est certò probabilis, licet aliquanto minus probabilis. Nostros tamen Missionarios eorumque Christianos fatetur D. Maigrot ex duabus circa cæremonias Sinenses sententiis eam fuisse secutos, quæ probabilior sibi videbatur, & magis consona veritati; ergo sine causa illos insequitur Reverendissimus ille; in agro Domini laborantes turbat immeritò.

Octavò, * at unum est, Pater Sanctissimè, quod Sanctitas Vestra non feret, nempe Reverendissimum in Apostolica Sedis jura involare. Fatetur quidem, ut vidimus, Missionarios in quæstionibus circa mortuorum ritus controversis hanc partem esse amplexos, quæ magis consona veritati sibi videbatur.

Sed hoc ipsum fieri deinceps prohibet sub pœna gravis & crassæ idololatriæ: necesse est ergo

* *Ibid.*

ergo ut ſibi arroget alterutrum ex illis juribus, nempe vel jus prohibendi ne in rebus controverſis probabiliora ſequamur, vel jus auctoritate propria opinioni etiam probabiliori ſuam tollendi probabilitatem. Et verò qui ante Mandatum Reverendiſſimi obſervabant ritus Sinenſes, non erant culpandi quia probabiliora ſequebantur: erunt autem, ſi poſt Mandatum eos iterum obſervent. Cur iſta? Niſi quia poſt Mandatum vel non ſunt amplius probabiliora, vel non eſt amplius licitum probabiliora ſequi. Utrumque verò illud jus pertinet ad S. Sedem, à qua certò poteſt affirmari nunquam eſſe definiendum, quod in rebus controverſis non ſit licitum id ſequi quod erit probabilius. Involavit ergo Reverendiſſimus in jura Romanæ Sedis.

Nonò, tanto autem injuſtius in iſtiuſmodi jura involavit, quod de juris quæſtione ſive de licito aut illicito in præſenti caſu non agatur, ſed de mera facti quæſtione, nimirùm an ex communi Sinarum perſuaſione vel auctoritate aliqua publica Confucius Philoſophus, & Progenitores mortui habeantur apud Sinas, ut numina. Eo enim ipſo quod ſint graves id negandi rationes, (videbit Sanctitas Veſtra eſſe graviſſimas), certò conſtat poſſe Chriſtianos obſervantiam civilem exhibere Confucio ob doctrinam, Progenitoribus verò ob vitam ab illis acceptam, ut probatur inferius ſuo loco. Quare hæc quæſtio eſt omnino independens à celebri diſputatione de ſequenda vel non ſequenda probabiliori parte: ac proinde nec Reverendiſſimus Dominus

Mai-

Maigrot, nec Dominus Charmot videntur satis attigisse statum quæstionis, dum occasionem inde carpunt contra Probabilitatem declamandi, & suas Jesuitis exprobrandi sententias.

Erit supremi omnium Judicis definire, utrum de impacta nostris Missionariis eorumque Christianis idololatriæ calumnia, probabilitatis alicujus ope ambo illi accusatores possint excusari, quod nobis videtur difficile. Erit summi ejus in terra Vicarii Innocentii XII. æquitatis, pietatis, ac religionis redimere tantam innocentium turmam à calumniis hominum, ut mandata Dei fideliter & tranquillè in extremis Orbis Christiani finibus pergant custodire.

Decimò, * id à Sanctitate Vestra & à S. Congregatione tanto confidentius speramus, quanto solidius nos infra putamus ostensuros sententiam de ritibus Sinensium merè politicis, non modo esse valdè probabilem, non modo probabiliorem opposita & quidem evidenter probabiliorem, ut evicit Pater Dominicus Sarpetri Dominicanus triginta & amplius in China annorum Missionarius, sed etiam esse tutiorem vel fortassis unicè tutam, cum nullum sit in ea sequenda periculum idololatriæ nec formalis nec materialis, & maximum appareat in sequenda opposita Reverendissimi sententia periculum violandæ in re gravissima charitatis erga Deum & proximum, transgrediendique præcepti de prædicando Gen-

* *In Obs. ad 4. cap. Mand. Maigrot. in 2. parte Responsi generalis.*

Gentibus Evangelio, non Petro solum & Apostolis, sed & Petri Successoribus atque toti Ecclesiæ Catholicæ à Christo Domino impositi; cum aliunde certum sit per rituum hujusmodi prohibitionem claudendam esse januam salutis & fidei innumeris prope hominibus sine causa sufficienti: nihil amplius jam dicamus.

* Undecimò, Istud verò, Pater Sanctissime, non possumus satis mirari, quod cum Reverendissimus ille superstitionem tanto zelo abolere velle videatur, idololatriam constituat, vel saltem permittat.

Hinc enim contendit Confucium Philosophum & Progenitores mortuos apud Sinas esse idola, ideoque solemniores ritus prohibet, quibus bis in anno vult sacrificari verè istis numinibus: non prohibet tamen cultum, qui recens defunctis exhibetur, quemque videre potuit aut scire nuper exhibitum à Missionariis non Jesuitis per profundas ad terram usque inclinationes, per accensos coram illorum imagine cereos odoresque. Non prohibet ritus, quibus Graduandi coram Confucii imagine, juxta morem patriæ, honoris causa procumbunt. Quasi verò potuerit olim esse Christianis prohibitum Jovi vel Neptuno sacrificium offerre, sed licitum tamen coram statua Jovis vel Neptuni honoris causa procumbere, accendere cereos & odores comburere.

Placeretne † Sanctitati Vestræ advertere quodnam sit discrimen circa ritus illos, inter Jesui-

* *In* 1. *Part. Obs.* 3.
† *Ibid.*

ſuitatum moralem, moralemque Reverendiſſimi? Illi poſt longum, accuratum, ac ſæpè repetitum examen, poſt diligentiam adhibitam qua major excogitari vix poteſt, ut infra ſuo loco videbitur, perſuaſum habuerunt nihil omnino numinis nec in Confucio, nec in Majoribus Sinas agnoſcere, omneſque ceremonias quibus ex Philoſophorum inſtituto honorantur, eſſe merè politicas ac civiles. Quia tamen vix fieri poterat quin ſucceſſu temporis, & poſt invectam maximè in Sinas idololatriam, his ritibus politicis ſuperſtitioſa quædam interdum immiſcerentur, poſt conſultam ea de re S. Sedem, acceptaque ejus reſponſa, rejectis ſuperſtitioſis, vel publica contra immiſcentes talia proteſtatione improbatis, permiſerunt ſuis Neophytis politicos illos ritus, quos videbant ſe non poſſe in China prohibere ſine gravi jactura fidei, ſine certa infinitorum propè hominum damnatione, ſine continuis familiarum jurgiis & querelis: eos autem prohibuerunt; quos etſi non crederent illicitos, non videbant tamen propagandæ inter Sinas Eccleſiæ aut vitandis modo dictis incommodis eſſe planè neceſſarios: de cætero omnem cultum erga Confucium Progenitoreſque graviſſimè prohibituri, tam privatum, quam ſolemniorem, ſi crederent, ut Reverendiſſimo Domino Maigrot credere placuit ſine cauſa ſufficienti, adorari eos à Sinis ut numina, quemadmodum hujuſmodi ritus ſub pœna damnationis æternæ prohibitos palam omnibus declarant, erga Pagodas, quos jubent

bent confringi & comburi, cum certum sit hæc esse idola. Hæc est Jesuitarum doctrina & praxis.

Reverendissimus autem D. Maigrot & Dominus Charmot, etsi persuasum sibi esse significent, quod verè sacrificetur à Sinis Confucio tanquam Deo, Majoribus tanquam numinibus, prohibent quidem hæc ipsis offerri sacrificia, sed non prohibent hos à Christianis multiplici alio cultu honorari: cumque fieri non posset quin sua illis conscientia inauditam Christianis istiusmodi Moralem exprobraret, huic ut facerent satis, quærendum definierunt ab Apostolica Sede, an liceret Graduandis Christianis, solitos in graduum collatione honores reverentiasque ac profundas inclinationes exhibere Confucio, illiusque imagini, quam eidem S. Sedi repræsentant ut idolum.

Indignam omnino, Sanctissime Pater, Sorbonicis Doctoribus quæstionem, quam mirum est potuisse seriò fieri, nec convincens argumentum profundæ illorum circa mores scientiæ. Ab istiusmodi tamen hominibus reformantur Apostolicæ Sedis Decreta: ab iisdem definitur, non posse Missionarios Apostolicis responsis tuta conscientia inniti. Exterminandi sunt Jesuitæ qui Sanctæ Sedis Decreta observant ejusque responsis ut regulis non fallentibus innituntur.

* Duodecimò, mirabuntur procul dubio plu-

* 1. *Part. Obj. 6. per totum. Explicantur variæ causæ quæ suspectum reddunt hoc Mandatum.*

plurimi, cur Mandatum sibi tam parum cohærens, tot contradictionibus plenum, tam injuriosum S. Sedis auctoritati, tam levibus innixum fundamentis, Christianæ sapientiæ legibus tam oppositum, inconsulta Sacra Congregatione, inconsulta Apostolica Sede Reverendissimus Dominus Maigrot parum ipse in eo consultus promulgavit.

Mirari desinent, Sanctissime Pater, qui legerint adjunctam huic contra Jesuitas Mandato Expositionem Reverendissimi Domini Maigrot; in ea enim advertent tot infensi in Jesuitas animi signa, tam affectatum contemptum viri, ea omnia in Reverendis, ut ait, Patribus, studiosè dedignantis, quæ cæteri fere omnes, quæ Romani ipsi Pontifices putaverunt non adeò contemnenda, tam amaras de Patribus illis querelas occasione præsertim suæ revocationis, quam fert ægerrimè ab uno ex illis esse sibi significatam, quem Archiepiscopus Goanus Vicarium Generalem nominavit in Provincia Reverendissimi, post compositum Sanctæ Sedis auctoritate negotium Lusitanicum circa jurisdictionem Ordinariorum. Hæc, inquam, & alia hujusmodi tam multa detegent, ut non sint jam miraturi constitutum illud Mandatum fuisse post admodum fortè duodecim à significata ista revocatione dies, & in hujusmodi Mandato Reverendissimum nihil horum advertisse, quæ alios statim offendunt. Ubi enim intercedunt humani affectus, necesse est multa intervenire & latere, quæ zelus verè Apostolicus, & secundum scientiam detegeret. Unde etsi ta-

les sibi adulentur, quasi non aliam habeant intentionem, quam præstandi Deo obsequium, hos non esse propterea coram Deo excusandos Christus pronuntiat, & quos ex tali intentione accusant, non esse quoque propterea à se damnandos: alioqui væ Martyribus.

Decimotertiò, * nemo Sanctitate Vestra melius novit quanta prudentia Evangelii Ministris opus sit ad prædicandum gentibus Evangelium, quantumque nocere possit propagationi fidei indiscretus & imprudens illorum zelus. Unde Christus: *Estote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut columbæ.* Conqueritur alibi, *Filios tenebrarum prudentiores esse filiis lucis.* Neque dubium est quin ab iis gravissimè peccari possit, nisi involuntaria inadvertentia illos excuset, qui sinentes se abripi indiscreto fervore, persecutioni fidelium dant occasionem, vel à fide Gentes removent, ex eo quod in iis tolerare nolint, quæ juxta suave Evangelii jugum tolerari verè ac Christianè possunt. Id ne fiat in detrimentum fidei, jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ graviter cautum est.

Breviter exposuimus, Pater Sanctissime, in Observatione 7a. quas adhibuerint cautiones, qua usi sint erga Gentes vel Judæos indulgentia primi Ecclesiæ Fundatores in variis Orbis Provinciis. Quid egerit Gregorius cognomento Thaumaturgus, quid præscripserit Gregorius Magnus Sanctitatis Vestræ Decessor, & An-

* *In Obs. 7. Multa ibi de Apostolis, de Patribus, de Sanctiss. Pontif. observatione digna.*

Anglorum dictus Apostolus, quid hac de re docuerit Ambrosius, quid persuaserit Augustinus, quid suadentibus Jacobo & Senioribus Paulus ipse Doctor Gentium Hierosolymis ex indulgentia in gratiam Judæorum præstiterit. Si vixissent tunc Jesuitæ & talia suasissent aut fecissent; quos non excitassent clamores Reverendissimus Dominus Maigrot & Dominus Charmot? Quot Mandata non promulgassent? Quantum jus habere se non credidissent istiusmodi Jesuitas deferendi ad Apostolicam Sedem, atque arguendi illos mendacii, dissimulationis, erroris, Judaismi, idololatriæ? Habuissent tamen tunc Jesuitæ pro se stantes Paulum, Jacobum, Seniores Hierosolymitanos, Augustinum, Ambrosium, Gregorium Magnum, Thaumaturgum, sicut habent in casu præsenti Alexandrum VII. S. Congregationis Decretum circa Sinensium ritus approbantem. Sed sicuti nunc auctoritate propria Alexandri Decretum reformant; reformassent quoque forsan Sanctos Patres & Apostolos.

Prævidere * hæc omnia videbatur S. Congregatio cum ante triginta annos in Indias mittens Vicarios Apostolicos, *nullum*, sic eos monebat, *studium ponite nullaque ratione suadete illis populis, ut ritus suos, consuetudines & mores mutent, modo ne sint apertissimè religioni & bonis moribus contraria. Quid enim absurdius quam Galliam, Hispaniam aut Italiam, vel aliam Europæ partem in Sinas invehere? Non hæc,*

* *Ibid.*

hæc, sed fidem importate, quæ nullius gentis ritus aut consuetudines, quæ modo prava non sunt, aut respuit, aut lædit; imo verò sarta tecta esse vult.

Si tam prudens consilium sequi potuisset Reverendissimus, omnino abstinuisset à reformando per suum Mandatum Apostolicæ Sedis Decreto circa ritus Sinensium: tantum enim abest, ut hi sint apertissimè contrarii vel religioni vel bonis moribus, ut ipsemet Reverendissimus fateatur, *Mirum videri non debere si in rebus hujusmodi Missionarii omnes unius ejusdemque sententiæ non fuerint, ut eam unusquisque partem amplexus sit quæ sibi in Domino magis veritati consona videbatur.* Unde declarat, quod Mandato suo hos culpare non intendat, *qui aliter antea censuerunt, aliamve praxim sequuti sunt ab ea quam imposterum sequendam esse statuit.* Quasi verò per suum illud Mandatum ritus illi jam fiant apertissimè contrarii vel Religioni vel bonis moribus.

Sanè, Pater Sanctissime, putamus omnino probatum à nobis in eadem Observatione 7a. quod in istiusmodi Mandato Reverendissimi, vel nihil vel parum reluceat hujus prudentiæ quam ad prædicandum Gentibus Evangelium in Evangelii Ministris requirunt Apostoli, Sancti Patres, Summi Pontifices, S. Congregationes, speramusque Sanctitati Vestræ persuasum iri nos amplificasse nihil, cum diximus tot reperiri in eodem Reverendissimi Domini Maigrot Mandato adjunctaque illi Expositione defectus juris, reverentiæ erga S. Sedem, æquitatis, prudentiæ, totque humani affectus indicia

indicia apparere, ut vi illius Mandati nihil possit juridicè definiri circa septem puncta quæ continet, etsi aliunde ista remedio indigerent.

Humillimè supplicamus Sanctitati Vestræ nobis ut liceat in secunda hujus Epistolæ parte adjungere septem illa puncta tam parum hujusmodi remedio indigere, ut licet Mandatum illud extrinsecis nævis ac defectibus careret, videatur tamen quoad ea quæ benè præscribit esse inutile, quoad plura quæ malè prohibet, non minus injustum quam periculosum.

SECUNDA PARS

Examinantur singula Mandati Maigrotiani capita quæ sunt septem.

CAPUT I.

MANDATI MAIGROTIANI.

Quomodo sit nuncupandus Deus apud Sinas.

PRimum * illud Mandati caput quatuor puncta continet. Nam I. Deum apud Sinas Reverendissimus prohibet Europæis vocibus nuncupari. II. Jubet Deum appellari *Tien chu*, cœli Dominum. III. Prohibet vocari *Xangty*, Supremum Imperatorem, & *Tien*, cœlum. IV. Prohibet affirmari id quod Sinæ per duas illas ultimas voces intelligunt, esse Deum illum Opt. Max. quem Christiani colimus.

Quoad duo prima puncta, Mandatum videri poterat prorsus inutile. Nam per centum annos

* *In 2. Parte Responsi generalis. Observationes in cap. 1. Mandati.*

annos ante adventum Reverendissimi in Chinam exclusæ sunt voces Europææ à Dei Opt. Max. nuncupatione; vocatus est quoque Deus *Tien chu*, cœli Dominus à Societatis Missionariis, inprimisque à Patre Riccio Maceratensi Missionis Fundatore.

Quoad 3.um & 4.um punctum de non appellando unquam Deo neque *Xangti*, neque *Tien* apud Sinas, dubitare non possumus quin V. Sanctitati videri illud debeat à Reverendissimo præscriptum imprudenter & periculosè.

Hoc audemus affirmare, Pater Sanctissime, circa voces quibus nostri compellarunt Deum in China, ea illos observasse quæ constanter observárunt Apostoli, dum Romæ, & in Imperio Romano Christum prædicarent.

* Nam I. post longum & accuratum examen decreverunt jam inde ab initio non Europæis vocibus compellandum esse Deum in China, sed ut dictum est, Sinicis, in hoc imitati Apostolos, qui cum Romæ Evangelium annunciarent supremum Cœli numen non Hebraïcis, ut Jehova, Adonai, vel Elohim, vocibus, sed Latinis, nempe Deum compellarunt. Inter alias hæc ratio fuit, quod sicut Hebrææ voces apud Latinos ita Latinæ apud Sinas nihil planè significarent.

† Secundò, sicut Apostoli non una voce Latina Deum, sed pluribus, nempe Regem Regum, Dominum Dominantium, Deum exer-

* *Ibid. in Obs.* 1.
† *Ibid. in Obs.* 2.

ercituum in Imperio Romano vocabant, ita nostri in China Missionarii non una voce Sinica, *Tien chu*, cœli Dominum, etsi longè frequentius aliis omnibus usurpata nuncuparunt, sed pluribus, nempe *Xangti* Supremum Imperatorem, *Tien*, Cœlum, non quidem materiale illud quod videmus, sed invisibile cœlum atque intelligens. Hujus Apostolorum nostrorumque consilii rationes in responso generali Eminentissimis Patribus oblato fusè explicantur.

* Tertiò, licet Latini & Græci plerique omnes Apostolorum tempore per vocem Deus, aut Θεὸς idolum aliquod intelligerent, nempe vel Jovem, vel Martem, vel Apollinem, non sunt propterea per vanos metus aut scrupulos deterriti Apostoli à summo veroque numine per easdem illas voces appellando. Ita Missionarii Sinenses, etsi viderint voce *Tien chu* compellari apud Sinas multa idola ab idololatris, sicut vocibus *Xangti* & *Tien*, cœlum materiale à multis Atheis inter Literatos, non putarunt hanc esse sufficientem causam pro non compellando Sinicis illis vocabulis Deo.

† Quartò, eò minus ab hoc deterreri debuerunt Missionarii Sinenses, quò majorem & urgentiorem, quam Apostoli, habebant causam per voces *Xangti* & *Tien* Deum nuncupandi.

Nam iisdem Missionariis persuasum erat antiquos Sinas per longam sæculorum plurium se-

* *In add. Obs.*
† *Ibid.*

ſeriem his nominibus invocaſſe Deum vivum ac verum, & ita hodiè adhuc nuncupari ab omnibus illis qui rejecto Atheiſmo veteres ſequuntur, Imperatoris ipſius exemplo. Ita fuſe, Sanctiſſime Pater, ſuo loco probata ſunt maximè in appendice cum cæteris noſtris Reſponſis S. Congregationi oblata. Hanc autem cauſam verum numen appellandi Deum vel Θεὸς non habebant Apoſtoli, cum ex Annalibus Gentium conſtet non procul à diluvio incœpiſſe idololatriam, Græcoſque deinceps, & Latinos ferè omnes infeciſſe. Quod non poteſt ſic affirmari de Sinis, apud quos certum videtur nonniſi poſt Chriſtum natum invectam eſſe idololatriam.

* Quintò, ſicut ergo Apoſtolorum tempore infideles, qui Chriſtianos noverant, probè ſciebant per vocem (Deus aut Θεὸς) non intelligi ab illis neque Jovem neque Martem nec aliud iſtiuſmodi idolum, ſed ſolum terræ cœlique conditorem; ita hodie in China palam ubique notum eſt per voces ſive *Tien chu* ſive *Xangti*, ſive *Tien* non intelligi à Chriſtianis vel idolum vel materiale cœlum, ſed unum Cœli materialis Terræque Dominum vivum ac verum.

† Sextò, etſi igitur per accidens contingere poſſit in China ut vel Gentilis idololatra, vel inter Literatos Atheus nondum de Evangelio inſtructi, cum audiunt ſuum à Chriſtianis numen nuncupari *Tien chu* aut *Xangti* aut *Tien*, per

* *Ibid.*

† *Ibid.*

per errorem sibi fingant his vocibus vel idolum aliquod suis simile significari, vel cœlum materiale, sicut Apostolorum tempore dum Paulus Athenis Christum prædicaret, dictus est à Græcis nondum instructis; *Novorum Dæmoniorum annuntiator*; quia tamen Paganorum istiusmodi errores, qui per accidens contingunt, nec vitari moraliter possunt, nec nisi per instructionem & cum tempore paulatim destrui, nihil Apostolos moverunt, quin pergerent verum numen apud Latinos Deum, apud Græcos Θεὸς nuncupare, ita nec debent prohibere in China, quin dicatur à Missionariis, ut plurimum quidem *Tien chu* juxta usum à Reverendo Pater Riccio introductum, sed etiam cum opus est *Xangti* & *Tien*, declarando ubique palam, ut fit continuò, in concionibus, in colloquiis ac libris scriptis, per istiusmodi voces solum à se intelligi Supremum entium, verumque ac vivum cœlorum & terræ conditorem ac Dominum.

Septimò, nihil ergo circa ista exprobrari hodie potest Sinensibus Missionariis, quod non potuisset exprobrari olim Apostolis, & quidem ob allatam supra rationem potiori jure. Erant enim longè plures Romæ & in toto Imperio, qui cum Deum colendum esse dicerent, vel Jovem intelligebant, vel Martem, quam sint in China qui cum docent venerandum esse *Xangti* & *Tien*, de Cœlo materiali id intelligant. Vult ergo, Sanctissime Pater, Reverendissimus D. Maigrot Apostolis ipsis videri vel prudentior vel scrupulosior, dum ex tam vano prætextu, quem nempe

flocci

flocci fecerunt Apostoli, prohibet in China Deum nuncupari vel *Xangty* vel *Tien*.

* Octavò, sed mirari nemo debet quod neque cum Apostolis, neque cum Missionariis Sinensibus Reverendissimus ille conveniat, siquidem nec in eo ipso secum possit convenire. Constat enim esse in variis Chinæ Provinciis plura quam triginta idola, quæ ab Sinis idololatris *Tien Chu* nuncupantur. Jubet tamen Reverendissimus in suo Mandato hanc à Christianis vocem retineri ad significandum Deum. Ergo licet inter Literatos sint Athei qui vocibus *Xangty* & *Tien* abutantur ad significandum cœlum materiale, contra sensum veterum Sinarum, qui hanc illis significationem nunquam tribuerunt, quando agebatur vel de cultu veri numinis, vel de ejus invocatione, non sunt propterea voces illæ duæ repellendæ ab ejusdem veri numinis nuncupatione. Vel igitur omnes illæ Sinicæ voces propter rationem istam omnibus communem sunt rejiciendæ, ut volebat Longobardus, contra Reverendissimi Mandatum, quo vox *Tien chu* retinetur, vel sunt omnes admittendæ, ita tamen ut juxta usum à Reverendo Patre Riccio aliisque Missionariis introductum, vox *Tien chu* frequentius usurpetur.

Nonò, & quod spectat quidem ad vocem *Xangty* quæ dici potest respondere nostris his vocibus (Rex Regum, Dominus Dominantium), tam multæ sunt, Pater Sanctissime, tamque graves causæ hujus apud Sinas non reji-

* *In Obs. 3. fusè explicantur rationes cur vox* Xangty *Supremus Imperator non sit rejicienda.*

rejiciendæ, ut nisi aliter usus, de quo mox, consuetudoque statuissent in gratiam vocis *Tien chu*, vocem *Xangti* putaremus præ cæteris esse usurpandam ad significandum Deum Opt. Max: Rationes illas in responso generali proponimus, nec audemus eas Sanctitati Vestræ repetere in hac Epistola, ne plus nimio excrescat. At quæ pro voce *Tien* militant, tanti in hac causa sunt momenti; ut absque gravi Christianorum Sinensium injuria ea Sanctitati Vestræ non possimus reticere.

† Decimò, illud primum circa vocem (*Tien*) affirmare licet, dato semel quod non Europæas, sed Sinicas voces ad significandum Deum adhibere oporteat, ut ipsemet Reverendissimus præscribit, affirmare, inquam, licet in hoc convenisse non modo Societatis, sed & aliorum quoque Sacrorum Ordinum Missionarios, ut pro nata occasione Deum *Tien* liberrimè nuncuparent. Id probare prætermitto auctoritate eorum, qui ex Sacro Dominicanorum Ordine tam multi tamque graves viri idem cum Missionariis nostris senserunt circa Sinensium ritus: hos appello solum quos Jesuitis tam sæpè opponit Reverendissimus, nempe Reverendum Patrem Joannem Bapt. de Morales Dominicanum, & Reverendum Patrem Antonium à Sancta Maria Franciscanum.

‡ Primus is ipse est qui contra Jesuitas ex China Romam pervenit anno 1645. In libello

† *In Obs. 4. de retinenda voce* Tien.

‡ *Pater Le Tellier item cap. 4. à 3. Item P. Philippucius in suo Præludio.*

lo post suum reditum Sinicè scripto de obsequio filiorum erga Parentes, sic habet. *Tien sive cœlum assumpsit Confucium ut esset ligneum crepitaculum ad homines jamdiu ex Lege educendos: ideo illum Legati munere fungentem misit ad surdos excitandos & cæcos expergiscendos, ac si esset Dei præcursor.* Ita ille; ubi videt Sanctitas Vestra vocari à Patre de Morales Deum *Tien* sive *Cœlum* in libro typis edito apud Sinas, Confuciumque quem Atheum fuisse affirmat Reverendissimus & Atheorum principem, appellari ab eodem Patre Dei Præcursorem & missum à Deo ad surdos &c.

Alter nempe Pater Antonius à Sancta Maria in ipso titulo sui libri Sinicè scripti Deum vocat *Tien*; talis autem est titulus, *Conformitas sectæ Sinensium Literariæ cum Lege Cæli Tien, sive Dei.* Librum illum proscripsisset Reverendissimus vel ob solum hunc titulum, si fuisset à Jesuita compositus. In pagina autem 16. sic legitur. *Cœlum Tien assumpsit Confucium ad hoc ut esset ligneum crepitaculum. Hinc simul intelligitur Confucium præsidere doctrinæ ejusque promulgationi à superioris cæli mandato gubernari.* In paucis ergo lineis Deum Opt. Max. bis *Tien* cœlum appellavit, ex cujus mandato docet præsidere Confucium doctrinæ.

Quod verò tam Jesuitæ quam alii Religiosi, non modo ii qui cum Jesuitis sentiunt, sed & qui illis adversantur, in id tamen simul conveniant ut in Sina Deum Opt. Max. liberrimè & sine ullo scrupulo *Tien* seu cœlum palam & passim appellare non dubitent, manifestum est indicium, Pater Sanctissime, multas

tas esse & graves sic vocandi in Sina numinis rationes, ac proinde graviter erraſſe Reverendiſſimum hanc vocem damnando. Paucas hîc propono.

* Prima ratio eſt, quod Sacræ Scripturæ hanc vocem cœlum, paſſim quoque uſurpent pro Deo Cœli, tam in veteri quam in Novo vo Teſtamento. (*a*) *De Cœlo fortitudo eſt.* (*b*) *Nunc clamemus in cœlum*, inquiebat Judas. (*c*) *Nunc ergo clamate in cœlum ut liberemini* &c. ſic Jonathas. (*d*) *E cœlo iſta poſſideo*, ita Machabæorum tertius.

In his, & aliis hujuſmodi locis accipitur cœlum pro Deo cœli. Rurſum, (*e*) *Baptiſmus Joannis*, inquiebat Chriſtus ad Judæos, *unde erat? E cœlo an ex hominibus?* Hoc eſt an ex Deo an ex hominibus? Filius prodigus apud Lucam. (*f*) *Peccavi in cœlum*, hoc eſt in Deum cœli. Item Joannes Baptiſta; (*g*) *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de Cœlo*, hoc eſt à Deo.

Si toties in ſcripturis noſtris cœlum uſurpatur pro Deo cœli, quid mirum ſi in libris Sinarum claſſicis, & in annalibus antiquæ gentis illius hic modus loquendi eſt in uſu.

* Se-

* *In Obſ.* 4. *circa* 1. *cap.*
(*a*) 1. *Macab.* 3. 19.
(*b*) 1. *Macab.* 4. 10.
(*c*) 1. *Machab.* 9. 46.
(*d*) 2. *Machab.* 7. 11.
(*e*) *Matt.* 21. 25. *Luc.* 20. 4.
(*f*) *Lucæ* 15. 18. 21.
(*g*) *Joan.* 3. 27.

* Secunda ratio illa eſt, quod reipſa antiqui Sinæ adhibuerint frequenter vocem illam *Tien* cœlum ad ſignificandum Deum cœli, quippe cui intelligentiam, ſapientiam, providentiam, voluntatem, juſtitiam & alia hujuſmodi attributa entis ſummè intelligentis ac Dei propria concedebant. Innumeri ſunt in libris eorum claſſicis textus ea de re manifeſti: multos in locis ad marginem citatis ipſi retulimus, quos cœlo materiali convenire non poſſe clarum eſt.

† Tertia ratio eſt, quod hæc loquendi ratio ſit communis apud omnes Gentes, ſed apud Sinas omnium maximè uſitata. Sic nempe quotidiè loquimur; Roma Pelagium condemnavit, Aula ita juſſit: Curia hunc abſolvit. Si cœlum fuerit mihi propitium; confugiamus ad cœlum &c. non intelliguntur iſta de Roma materiali, ſed de Pontifice Romano, nec de Aula materiali, ſed de Rege; nec de materiali Curia, ſed de Præſide ac Judice; nec de cœlo materiali, ſed de cœli Deo ac Domino. Quia cœlum Deo Sedes eſt, ut Roma Pontifici, Aula Regi, Curia Judici. *Eſt autem*, inquit, Philippus Couplet Sinenſis Miſſionarius Romæ benè notus, *Eſt*, inquit, *ab omni ævo uſitatiſſimum in Sina præ aliis nationibus, ut aſſiduè palatium pro Rege, Urbem pro Urbis Præfecto, Curiam pro Magiſtratu, & pro Patrefamilias Domum ipſam nominare conſueverint.* Unde non mirum ſi cælum aut *Tien* pro Deo cœli uſurpent.

Quar-

** In ead. Obſ. 4. Sed longè fuſius in Appendice integra S. Congregationi oblata ubi iſta demonſtrantur.*

† In Obſ. 4.

Quarta ratio est, quod in utroque Lexico majore Sinico, ubi vocis *Tien* multiplex usus atque acceptio exponitur, legimus reipsa per hanc vocem significari cœli Dominum ac Imperatorem. Sicut ergo quæ vocibus illis, Roma, Aula, Curia & aliis hujusmodi tribuuntur, determinant sensum quem habent, nempe an de Roma, Aula & Curia materialibus intelligi illa debeant, an verò de Romano Pontifice, Rege & Præside, ita quæ voci *Tien* adjunguntur, notificant an pro cœlo materiali, an pro invisibili seu Domino cœli sumi hæc debeat. Cum quis describit amplitudinem Romæ, templa, palatia, fontes, statuas, picturas, & alia hujusmodi quæ continet, nemo dubitat quin de Roma materiali is loquitur: cum autem ait Romam proscripsisse aliquas hæreses, constituisse Decretum aliquod, Bullam aliquam promulgasse, non vult ista intelligi de Roma materiali, sed de Pontifice Romano, seu de Vicario Christi atque Petri Successore Romæ sedente.

Pari modo si quis descripserit pulchritudinem cœli, ejus amplitudinem, dixeritque stellis ornari, continuo motu rotari & circumvolvi, suaque celsitudine superare omnia, manifestè indicat se de cœlo materiali loqui. At si audiamus *Tien* seu cœlum sua sapientia regere omnia, invigilare Imperiis, leges præscribere hominibus, punire impios, compensare probos, summa veneratione esse colendum, votis & precibus exorandum, sapienter intelligi hæc non possunt nisi de Cœlo intelligente & invisibili, hoc est de supremo cœli Imperatore ac Domino. Atqui, Pater

Sanctissime, in libris Sinarum classicis vel editis ante Confucium vel ab eo explicatis continuo hæc naturæ solius intelligentis attributa *Tien* seu Cœlo tribuuntur, ut videre est in Appendice Sacræ Congregationi oblata. Non mirum ergo si Missionarii Sinenses ac Christiani hunc loquendi modum religiosè putant esse retinendum & usurpandum. Illam igitur Christianitatem immeritò perturbat graviterque scandalisat suo hoc Mandato vocem istam *Tien* proscribente Reverendissimus Dominus Maigrot.

* At, inquit, Athei qui sunt in China frequentes, per vocem *Tien* solum intelligunt materiale cœlum, non autem invisibilem cœli Dominum, quem scilicet non agnoscunt; utpote Athei; ergo nec Missionarii, nec Christiani in Sina adhibere illam vocem debent ad significandum Deum.

Verum, Pater Sanctissime; non advertit Reverendissimus isto discurrendi modo graviter impeti à se Apostolos: nam Apostolorum tempore plures erant Romæ, & in Imperio Romano idololatræ, quam sint in China Athei, qui per vocem (Deus) nihil intelligebant nisi Jovem vel Neptunum vel istiusmodi aliud idolum: ergo juxta Reverendissimi discursum, neque Apostoli, neque Christiani tunc debebant adhibere vocem (Deus) ad significandum verum numen, omniumque entium supremum. Hanc consequentiam Apostoli tunc contempserunt. Illam ergo non debent nunc Missionarii Sinenses admittere.

* *Ibid.*

Præterea non advertit Reverendissimus se ipsum à se graviter impeti. Nam sunt hodie in variis Chinæ Provinciis plura quam triginta idola, quæ ab Sinis idololatris *Tien chu* appellantur, sub illaque voce coluntur. Ergo juxta Reverendissimum nec Missionarii, nec Christiani in China debent adhibere vocem *Tien chu* ad significandum Deum. Præcipit tamen idem Reverendissimus ad hoc adhiberi hanc à Christianis vocem *Tien chu*. Ergo juxta ipsum vel id non præcipit sapienter, vel falsò ratiocinatur; sic itaque pergit sibi ipsi contradicere.

Et verò, Pater Sanctissime, tam falsus est reipsa hic Reverendissimi discursus, ut ex principio quod supponit, sequatur omnino oppositum ejus quod inde colligit, nascaturque palmaris ratio pro voce *Tien* apud Sinas retinenda ad significandum Deum. Sit ergo,

Quinta ratio: contra Atheos qui sunt in China plurimi disputant non modo Sinæ Christiani, sed etiam Sinæ Literati non Athei, inter quos primum locum obtinet Imperator, quidquid contra illum Sanctitati Vestræ Reverendissimus Dominus Maigrot imprudentissimè scripserit. Sicut autem urgemus hæreticos auctoritate Patrum, quos probamus nobiscum sensisse; ita Sinæ urgent Atheos auctoritate Majorum suorum, qui sub vocibus *Xangti* & *Tien* per duo & amplius annorum millia supremum se numen agnoscere ac colere professi sunt, non cœlum materiale.

Quia 1o. huic numini, ut dictum est, tribuerunt summam intelligentiam, sapientiam, pro-

providentiam, justitiam, sive in bonis compensandis, sive in puniendis improbis. Hæc autem non possunt nisi stultè affirmari de cœlo materiali, cui nihil horum convenit.

* Quia 20. huic *Xangti* seu *Tien*, statis temporibus obtulerunt sacrificia, illum invocarunt &c. Patet verò cœlum materiale nullo prorsus cultu dignum esse, stultè invocari & frustra, cum nihil audiat nec intelligat. Duo tamen ista manifestè constant ex antiquissimis, & Classicis Sinarum libris. Unde innumeri Sinæ doctissimi extulere laudibus mirabilem illum Patris Matthæi Riccii librum contra Atheos scriptum, ubi primùm Sinicis typis editus prodiit, adeò ut duo tomi extent Elogiorum, quibus docti Sinæ etiam infideles librum illum & alios à P. Julio Aleno cæterisque hoc de argumento compositos commendarunt.

Quid ad hæc respondent Athei in China hodierni? Quod nobis quotidiè hæretici, nempe suos Majores idem secum omnino sensisse de *Xangti* & *Tien*, ideoque non esse explicandos ad literam textus, quibus videntur Deum agnovisse, sed allegoricè tantum & per figuram dictos, & intelligendos: cultum autem qui est exhibitus cœlo ab antiquis, ut exhibetur adhuc ab hodiernis Atheis, esse politicum ac merè exteriorem ad populos Religionis opinione continendos. Hanc Religionis simulationem egregiè confutant tam Christiani quam infideles Sinæ non Athei.

Quid

* *Ibid.*

Quid facit Reverendiſſimus Dominus Maigrot dum ſuo Mandato prohibet Deum vocari à Chriſtianis in China *Tien* & *Xangti*? Cauſam adjudicat hodiernis Atheis. Eoſdem non in China ſolum ſed etiam in Europa, quanquam præter intentionem, in Atheiſmo confirmat, enervato prorſus argumento quod ex communi nationum omnium ſenſu numen aliquod venerantium ductum eſt, non à Chriſtianis tantum, ſed & ab Ethnicis.

Quantum enim triumphabunt Athei, ſi Chriſtianis ipſis fatentibus, teſte Vicario Apoſtolico, gloriari poſſint in tam antiquo, tam erudito tot legibus, & tam benè conſtituto Imperio omnes per tot annorum millia vixiſſe Atheos & Atheos obiiſſe? Magnam infert præterea ſine cauſa ſufficienti injuriam omnibus antiquis Sinis, Evangelii Miniſtris eripit arma, quibus contra Atheorum inſaniam fortiter hactenus in Sina pugnarunt & fœliciter: abalienat à nobis ſine ulla utilitate & ratione Literatos quamplurimos benè de hoc primo principio ſentientes, maximeque Imperatorem, ut infra dicetur, in illiſque locis tantum nocet rei Chriſtianæ, quantum hîc rei Catholicæ qui docerent antiquos Patres Auguſtinumque inprimis idem cum Novatoribus ſentire de gratia & libero arbitrio.

Videtur ergo, Pater Sanctiſſime, non utile modo, ſed neceſſarium quoque eſſe ad Religionis Chriſtianæ incrementum, ad confuſionem & converſionem Atheorum, ad corroborandam Neophytorum fidem, ut Chriſtiani qui Deum in China *Tien chu*, ut plurimum nun-

nuncupant juxta usum veterem à Missionariis inductum, palam quoque ac publicè, occasione data, pergant ibidem *Tien* nuncupare, probareque contra Atheos *Tien* antiquorum & nostrorum *Tien chu* esse prorsus eundem Cœli Terræque Dominum ac Imperatorem.

* Cur itaque Reverendissimus Dominus Maigrot hanc in suo Mandato vocem proscripsit? Non videmus legitimam ullam hujus rei causam. Unum scimus, Pater Sanctissime, hanc vocis *Tien* proscriptionem fuisse necessariam ad tabellas in quibus *King Tien* inscriptum est idololatriæ damnandas, traducendosque Jesuitas, vel tanquam idololatras, vel tanquam idololatriæ fautores. Sed quam immeritò jam videt Sanctitas Vestra moxque ut speramus constabit adhuc clarius.

* *Obs. in 2. cap. Mand.*

CAPUT II.

MANDATI MAIGROTIANI.

De Tabellis King Tien, *Cœlum, hoc est cœli Dominum colito.*

OBstupuimus, Pater Sanctissime, non semel & exhorruimus cum occasione Mandati Reverendissimi Domini Maigrot, & Domini Charmot Romæ sparsum audivimus expositas esse à Jesuitis Sinensibus in suis templis tabulas, *quæ solemnem ex se Atheismi professionem continerent.* Non sufficiebat idololatriam nostris exprobrare; debuerunt adhuc istius insimulari criminis, quod unum idololatria majus est, & id quidem Romæ. Ita Reverendissimus Dominus Maigrot & Dominus Charmot, qui tamen ultimus vix ferre potest responderi à Jesuitis, quod non intelligat statum quæstionis, quod malè ratiocinetur, quod non satis bona fide Jesuitarum textus referat, mentemque interpretetur: usque adeo hujusmodi hominibus persuasum est licere sibi omnia contra Jesuitas, nihil Jesuitis licere

* *In Expositione Reverendissimi Domini Maigrot.*

cere contra alios, ne tueri quidem ſuam famam, quantumvis injuſtè violatam, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Verum, Pater Sanctiſſime, etſi nulla Jeſuitarum famæ ratio haberetur, quia tamen plurimi intereſt Eccleſiæ Romanæ ne putetur in ſinu ſuo fovere idololatriæ Magiſtros & Atheiſmi, humillimè Sanctitati Veſtræ ſupplicamus, ut dignetur ad ea tantiſper attendere, quæ demonſtrant tabellas illas non modo non favere idololatriæ neque Atheiſmo, ſed eſſe in China valdè idoneas ad monſtrum illud utrumque deſtruendum; è contra gravem eſſe metuendi cauſam, ne parum prudens Reverendiſſimi zelus, niſi quantum ſatis eſt, reprimatur, ſubminiſtret anſam hæreticis, Hollandis maximè, Catholicos reddendi tam odioſos Sinis, quam Japonibus, ac proïndè totam Chriſtianitatem in tam vaſto Imperio, ut olim in Japonia, jam adoleſcentem ſuffocandi.

* Hoc itaque primum dicimus, Pater Sanctiſſime, notorium eſſe in tota China per has voces (*King Tien*) non intelligi à Chriſtianis Cœlum materiale, ſed omnipotentem cœli Dominum eſſe colendum: ſicuti Apoſtolorum tempore notorium erat in iis Regnis, ubi promulgatum fuerat Evangelium, per has voces, Deum colito, non intelligi à Chriſtianis vel Jovem, vel Martem, vel aliud iſtiuſmodi idolum eſſe colendum, ſed unum ac Omnipotentem cœli terræque Regem ac Dominum.

Si-

* *In Obſ. 1. circa 2. Mand. Maigrot. caput.*

Sicut ergo Apostoli tunc non potuissent absque insania accusari vel idololatriæ vel Atheismi propter voces illas, Deum colito, vel pronunciatas vel scriptas, vel in tabellis palam expositas, licet hoc tempore innumeri essent idololatræ qui Jovem Deum appellarent, ita nec potest sine gravi injuria exprobrari Sinensibus Missionariis, quod idololatriæ faveant vel Atheismo per has voces *King Tien*, ob infideles Atheos, qui ex malitia falsum illis sensum affingunt.

* Id autem in tota Sina notorium esse demonstramus, Pater Sanctissime, in Responso S. Congregationi oblato, & quidem per decem rationes, quas ibi tam paucis verbis retulimus, ut paucioribus vix possint. Quare uti jacent illas Sanctitati Vestræ hîc exponimus. Unde consequitur sine calumnia dici non posse quod hæ voces vel in ore Christianorum, vel in eorum libris, domibus aut templis idololatriam contineant. Dicimus ergo in tota Sina notorium esse, per has voces, *Cœlum colito*, non intelligi à Christianis Cœlum materiale, sed omnipotentem cœli Dominum.

Quia 1o. in tota Sina notorium est unum à Christianis Deum coli, & illum esse Dominum cœli, non verò Cœlum materiale, ergo cum auditur à Christianis, vel in eorum templis legitur cœlum esse colendum, notorium est id ab illis intelligi de Domino Cœli, non de Cœlo materiali.

Quia 2.do in tota Sina notorium est Christia-

* *In Obs. 2. circa 2. Mandati Cap.*

ſtianorum Deum appellari, ut plurimum Dominum cœli, ac proinde Chriſtianorum *Xangti* & *Tien* non alium eſſe, quam ipſum cœli Dominum *Tien chu*.

Quia 3o. In variis Sinæ Provinciis numerantur plures quam ducentæ Chriſtianorum Eccleſiæ præter Oratoria. Notorium eſt autem illas eſſe uni cœli Domino dedicatas & conſecratas, ut appoſitæ grandioribus literis præ foribus templorum inſcriptiones demonſtrant. Sive ergo *Xangti* ſive *Tien*, ſive *Tien chu* colendum eſſe doceant voce vel ſcripto Chriſtiani, notum eſt de uno cœli Domino id ab illis prædicari.

Quia IV. A centum annis & amplius in tota Sina prædicant Evangelii Miniſtri nulli licitum eſſe ſacrificia offerre præterquam cœli Domino, non Cœlo materiali, non terræ, non ſoli, non aſtris, non idolis. Non poteſt ergo non eſſe notum in Sina vocem *Tien*, cum eſt quæſtio de invocatione vel cultu, idem ſonare apud Chriſtianos, atque vocem *Tien chu*.

Quia V. A centum annis Miſſionarii contendunt, idque probarunt Sinicè editis libris pluribus, antiquos Sinas ſub voce *Xangty* & *Tien* agnoviſſe, invocaſſe, coluiſſe ſupremum cœli Imperatorem ac Dominum, quem ſapientem, potentem, juſtum, piis amabilem, terribilem impiis eſſe publicarunt. Ergo apud omnes Sinas, ſive de antiquis idem ſentiant ac Miſſionarii, ſive non ſentiant, notum eſt ſaltem Chriſtianos ita ſentire, ac proinde juxta

ta illos per *Tien*, vel per *Tien chu*, eundem cœli Dominum significari.

Quia VI. In tota Sina notorium est continuò nominari Aulam pro Rege, Urbem pro Urbis Præfecto, Curiam pro Magistratu, & pro Patrefamilias Domum; ergo cum Sinæ audiunt à Christianis Tien, Cœlum, esse colendum, facillimè intelligunt illos non de Cœlo materiali, sed de cœli Domino loqui, ut supra dictum est.

Quia VII. ipsa Imperatorum Edicta in gratiam Christianæ legis per omnes Imperii Provincias promulgata palam anuntiant illam esse legem cœlorum Domini. Ideoque notum faciunt juxta Christianos non Cœlum materiale, sed cœli Dominum esse colendum.

Quia VIII. Persecutiones, quas ubique Christiani sustinuerunt pro tuenda & annuncianda cœlorum Domini lege magis adhuc in tota Sina manifestarunt unum à se coli cœlorum Dominum.

Quia IX. Ipsæmet tabellæ in ducentis fere Christianorum Ecclesiis vel Oratoriis expositæ à viginti & duobus annis ita confirmaverunt usum jam alias introductum Tien appellandi cœli Dominum, exemplo veterum Sinarum, per familiarem etiam Scripturis Sacris figuram, ut cœli terræque conditorem facillimè Sinæ intelligant, cum à Christianis audiunt sive Tien, sive Tien chu esse colendum.

Quia X. Eò manifestiora sunt ista, quò plura sunt dispersa per varias Imperii Provincias Christianorum millia; hoc autem inter cæte-

cætera audierunt illi centies à Ministris Evangelii antiquos Sinas sub vocibus Tien, Xangti, non Cœlum materiale, sed supremum cœli Dominum agnovisse, & coluisse, eundemque nunc à Christianis coli, quamquam sæpius Tien chu appellatum. Id ergo non potest ignorari, neque ab infidelibus, neque à Christianis.

Hæc omnia manifestè demonstrant in tota Sina notorium esse per has voces Cœlum colito, aut King Tien intelligi à Christianis non materiale cœlum, sed Omnipotentem cœli Dominum, sicut notorium erat Apostolorum tempore per has voces, Deum colito, intelligi à Christianis non Jovem, aut Martem, aut Apollinem, sed supremum cœli terræque Imperatorem.

Cum igitur Christiani in China jus habeant Deum Tien appellandi veterum Sinarum more, & etiam moderniorum qui Athei non sunt, habeantque omnino jus illud fundatum in caussis gravissimis supra expositis, cum aliunde notum sit ipsismet infidelibus etiam Atheis, quod per istam vocem, dum est invocationi conjuncta vel cultui, Christiani vivum ac verum cœli Regem intelligant non Cœlum materiale, certò constat ne umbram quidem esse scandali saltem dati aut accepti in vocibus illis (cœlum colito), ac proinde totam immeritò Ecclesiam scandalisat Reverendissimus, immerito vult Romam terrere & contra Missionarios Sinenses commovere: immerito subministrat hæreticorum Libellis materiam, promulgato hoc suo Mandato, quod ab illis summo

mo plausu excipietur, licet videatur Christianos Sinas redigere ab absurdissimas angustias.

Nam si voces illæ duæ (King Tien) ideo exterminandæ sunt, quia multi sunt inter Sinas Athei qui materiale cœlum colunt, ac proinde possent voces illas interpretari de materialis cœli cultu; neque Missionariis deinceps, neque Christianis licebit oculos vel manus in cœlum, præsertim orando attollere, psalmos decantare, scripturam legere quæ clamandum esse ad cœlum docet, auxilium de cœlo expectandum, Possent enim iidem Athei, qui dicuntur voces illas (*King Tien*) de materiali cœlo interpretari, sentire quoque pariter Christianos recurrere ad Cœlum materiale, dum in cœlum occulos attollunt vel manus. Oportebit ergo Christianos Missionariosque oculis semper in terram demissis incedere, non ex modestia, sed ne dent Atheis occasionem scandali, quasi manus & oculos attollendo in cœlum, videantur Cœlum materiale colere. Quæ quam sint absurda & vanis scrupulis plena quis non videt? Quanquam & sic non vitarent suspicionem omnem. Cum autem in China sit templum terræ, & templum cœli, videbuntur terram adorare dum oculos à cœlo avertent. Imo novi interpretes, dum spiritus, quos antiqui Sinæ agnoverunt & coluerunt, mutant influentias aërias, si nec cœlum intuentur Christiani, nec terram, putabuntur aërem colere. Illis ergo nec cœlum nec terram, nec aerem orando licebit intueri, quo quid absurdius fingi potest?

Ita-

Itaque ſicut Apoſtoli vocem (Deus) liberè adhibuerunt pro ſuo jure ad ſignificandum ſupremum numen, etſi probè noſſent adhiberi quoque eam à Paganis ad ſignificandum Jovem vel Martem, non nimium inquirentes, quid per accidens ac præter intentionem ſuam ex errore vel malitia Ethnicorum poſſet inde contingere: ita Chriſtiani apud Sinas debent uti jure quod habent à Sacris Scripturis, ab uſu communi & antiquo, & veteri etiam Sinarum conſuetudine, clamandi ad cœlum, in cœlum oculos & manus attollendi, recurrendi ad cœlum, cœlum invocandi & colendi, apud Sinas, inquam, à centum annis ſufficienter inſtructos per hanc vocem non ſignificari in his locis Cœlum materiale à Chriſtianis, ſed ſupremum cœli Dominum ac Regem. Quod ſint autem ea de re ſufficienter edocti demonſtrant rationes decem in Reſponſo generali expoſitæ; ex quibus omnibus Sanctitati, ut ſperamus, Veſtræ conſtabit, quod ab initio propoſitum eſt à nobis, nempe circa voces, quibus noſtri compellarunt Deum in China, ea illos obſervaſſe quæ conſtanter obſervarunt Apoſtoli, dum Romæ & in Imperio Romano Chriſtum prædicarent.

* Diximus ſecundò, Pater Sanctiſſime, voces illas King Tien ſeu à Chriſtianis pronuntiatas, ſeu ſcriptas in eorum libris, ſeu in eorumdem domibus aut templis, & maximè quidem Imperatoris manu exaratas, plurimum valere ad deſtructionem Atheiſmi atque idololatriæ.

Ratio

* *In Obſ. 3. circa 2. Mand. cap.*

Ratio prima est, quando voces illæ in Christianorum ore, libris, domibus aut templis sint invitatio continua ad colendum verum ac vivum cœli Regem ac Dominum; uti probatum est.

Ratio secunda est, quod immensum prodesse queat Sinarum conversioni, si persuadeant sibi Majores suos hunc cœli Dominum ac Regem coluisse sub vocibus *Xangti* & *Tien*; uti noceret plurimum si contra sentirent. Quam sit autem leve Atheorum argumentum ex voce *Tien*, pro cultu materialis cœli deductum demonstrant appensæ in Christianorum templis hæ voces (*King Tien*): dum enim Sinæ infideles vident ita loqui cum novo suo & antiquo testamento Christianos; quos aliunde juxta scripturas easdem sciunt non materiali cœlo, sed uni cœli Domino cultum exhibere, desinunt mirari quod Sinæ veteres hunc cœli Dominum juxta figuram alias apud se usitatam sæpè *Tien* vocarint.

Ratio tertia est, quod hæ voces Imperatoris manu exaratæ, & in templis Christianorum expositæ, præterquam quod significant illa esse sub Imperatoris tutela, contineant adhuc ejusdem quasi professionem circa primum illum fidei divinæ & humanæ rationis articulum. Cum ibi non possint habere alium sensum, quam quem ipse Imperator toties declaravit esse suum, coli nimirum oportere supremum cœli Imperatorem ac Dominum.

Quantum autem vulnus hæc Imperatoris professio Atheismo inflixerit à 25. annis norunt, non modo qui sciunt quo sit apud Sinas

loco

loco suus Imperator, sed etiam qui ab hoc tempore adverterunt longè frequentiores Mandarinorum Magnatumque ad Ecclesias nostras concursus, atque cultum Christi Salvatoris imagini ab illis majori reverentia exhibitum, nec non & longè quoque plures quam antea conversiones omnis generis hominum ad Christianorum fidem.

Sanè autenticum & solemne hujus rei argumentum est mirabile hoc Edictum quo à paucis annis idem Imperator nondum hactenus concessam, sæpè denegatam tandem largitus est suis omnibus subditis amplectendæ Christianorum fidei libertatem. Quem eventum Innocentii XII. Pontificis Maximi temporibus à divina providentia reservatum ne Reverendissimus quidem negare potest, Deo Opt. Max. ita disponente ad sæpius iteratas Jesuitarum instantias, preces & lacrymas contigisse.

Porrò cum illo Imperatoris Edicto per omnes jam Imperii Provincias solemniter promulgato magnifica mentio fiat legis cœlorum Domini, quam ipse permittit subditos suos amplecti, dubitare vel levissimè quis potest quin eundem cœlorum Dominum per voces illas (*King Tien*) esse colendum pronuntiaverit.

* Dixi 30. Pater Sanctissime, per Mandatum Reverendissimi aliaque similia posse facillimè spem Religionis propagandæ tam benè fundatam, ni Deus hoc malum avertat, brevi

* *In eadem Obs.* 3.

vi evanescere. Id duplici ex capite contingere potest. Quia nempe 1o. hac voce (*Tien*) proscripta, abolitisque tabellis ob allatas à se rationes, arma Christianis eripit Reverendissimus contra Atheos, Atheis verò contra Christianos subministrat. Quia 2do. cum hinc pessimè scribat & loquatur Reverendissimus de Sinarum Imperatore, hunc in Europa & maximè Romæ traducens Atheum & Atheismi Magistrum, quod Hollandi hæretici non ignorabunt, cumque inde non possint illæ tabellæ Imperatoris manu exaratæ ex omnibus Christianorum domibus, libris ac templis in toto Imperio absque magno tam infidelium quam Christianorum strepitu aboleri; est omnino impossibile quin istiusmodi novitatis causâ requisitâ Imperator, ac Tribunalia resciant, quid de se scriptum fuerit in Europam, quid contra tabellas Romæ postulatum, quid in China injunctum. Solus Deus novit quæ consequi inde damna queant in Gente de externis non admittendis hactenus tam sollicita, ad suspiciones tam propensa, alienæ dominationis umbram reverita. Hæc quantum satis est videmus exposuisse in Responso generali ad prævenienda mala; quæ si semel contingant, vix poterunt invenire remedia.

Hæc avertet Sanctitas Vestra, si dignetur auctoritate sua confirmare quod est pridem in China, exemplo Apostolorum, ab Evangelii Ministris constitutum, ita nempe, ut plurimum adhibendam esse vocem (*Tien chu*) ad significandum Deum in instructione, Catechis-

chiſmo aliiſque ejuſmodi, ut vox quoque *Tien* retineatur, nec rejiciatur vox *Xangti*, ſive ex libris ubi reperitur, ſive ex colloquiis, aut concionibus ubi erunt Sinæ hodierni convincendi antiquos Sinas, verum numen agnoviſſe.

CAPUT III.

MANDATI MAIGROTIANI.

De informatione Sanctæ Sedis

PER PATREM MARTINUM MARTINIUM.

QUæ hactenus circa Sinicas ad ſignificandum Deum voces improbavit Reverendiſſimus, non fuerant neque improbata neque approbata ab Apoſtolica Sede. Nemo enim ea Romam detulerat, vel ſi fortè ab aliquo delata ſint, nullo viſa erant digna

examine. At quæ tangit in ſequentibus eá ſolemniter reprobando, hæc ad S. Sedem non modo delata jam fuerant; ſed & ſolemni Decreto Alexandri VII. Summi Pontificis approbata. Et veró non dubitat in hoc tertio capite definire Miſſionarios Sinas non poſſe tuta conſcientia inniti datis ea de re ab Apoſtolica Sede reſponſis, & in capite quarto graviſſimè prohibere quæ Romana Sedes permittenda cenſuerat.

Fuit illud ſimul præcipitis atque tardioris conſilii, attentare in S. Sedem, ejuſque Decreta auctoritate propria reformare. Dixi præcipitis: cum ex ipſa Reverendiſſimi Expoſitione conſtet ipſum ad ſignificatam ſibi nomine Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Goani revocationem ſubiratum Patri Joſepho de Monteiro, feſtinaſſe ſui Mandati promulgationem. Dixi tardioris: etſi enim debeat nemo talia unquam tentare, ſi tamen contra jus & fas id vellet Reverendiſſimus, hunc oportuiſſet iſtiuſmodi Mandatum promulgare ante revocationem, cum novus ille titulus nullitatis, dum cæteris adjungitur, parum juvet ejus conſilia, nec ſubditos ad obediendum moveat.

Negari vix poteſt, Pater Sanctiſſime, quin ita ſenſerit Reverendiſſimus, atque eſſe improbanda Romæ præviderit vel timuerit: ſed in hac animi perturbatione, quod non ſemel à privatis fortè quibuſdam ſat parum inſtructis, vel Jeſuitarum æmulis audierat, Sanctam Sedem à Patre Martinio fuiſſe olim malè informatam, id ſi in ſuo Mandato præmitteret, legitimam fore ſibi perſuaſit excuſationem

nem de auctoritate in Apostolicam Sedem usurpata. Ut igitur in Mandato Reverendissimi, quantumcumque aliunde nullo, aliqua umbra æquitatis appareret, oportuit Patrem Martinium juridicè infamare, ac post quadraginta annos de crimine falsæ apud S. Sedem informationis condemnare.

Humillimè Sanctitati Vestræ supplicamus, ut apud Innocentium Summum Pontificem, & Judicem æquissimum liceat nobis tueri Martinii innocentiam; cujus morum integritati visus est Deus ipse attestari per integritatem corporis, * quod sepultum in loco valdè humido post annos 20. repertum est prorsus incorruptum, illæsis etiam ipsius vestibus, cum magno stupore tam Christianorum quam infidelium. Eundem ipsum, Pater Sanctissime, non privato solum judicio, quod temerarium esset, sed publica ac solemni sententia falsi condemnavit Reverendissimus, quam validis, etsi nixam oporteret esse fundamentis, ut injusta hæc non esset, probasse credimus in responso generali non inniti nisi levibus atque falsis conjecturis.

† Nam 1o. Supponit Reverendissimus ea tantum fuisse à Martinio S. Congregationi simpliciter proposita, quæ continet Alexandri VII. Decretum. At constat falsitas hujus suppositionis. Pater enim Martinius detulit secum

* *Id testatur Pater Intorcetta 30. ann. Missionarius ut testis oculatus in suis libris.*

Idem testatus est Pater Bouvet in suis.

† *In Obs. circa 3. Mand. Maig. cap.*

cum ex China tractatus aliquot; & inter alios grande volumen in quo fideliter, simpliciter, & accuratè expositæ erant Sinarum consuetudines: tractatus illi traditi sunt jussu S. Congregationis tribus Qualificatoribus; volumen verò Reverendissimo Magistro Sacri Palatii. Hæc omnia idem Martinius in compendium redegit quod Eminentissimis Cardinalibus offerret.

* Id testatur vivens adhuc Pater Intorcetta antiquus Missionarius qui tunc Romæ comes erat Martinii, dum pro isto negotio Eminentissimos adiret. Id jam ante 28. annos testabatur Pater Dominicus Sarpetri Dominicanus, se à Patre ipso Intorcetta audivisse. Idem affirmarunt Pater Gabiani, Pater Brancati, Pater Jacobus Faure, Pater Stephanus Couplet Missionarii Sinenses, qui de his scripsere, fuitque semper constans sententia cæterorum non modo è Societate sed etiam ex sacro Sancti Dominici Ordine Missionariorum, qui Decreto Alexandri, & constanter paruerunt & obediri à suis graviter præceperunt.

† II. Quod supponit Reverendissimus valdè injuriosum est non solum Patri Martinio, sed etiam S. Congregationi & Apostolicæ Sedi. Nam S. Congregatio dum adesset Romæ Martinius, præ oculis manibusque habebat Decretum anni 1645. obtentum à Reverendo Patre Joanne Baptista de Morales Dominicano, & ita habebat ut illud inseruerit Decreto anni 1656. in gratiam Martinii constituto. In primo

* *Ibid.*

† *Ibid.*

mo autem illo Decreto legebat omnia, quæ Pater de Morales contra Sinensium ritus antea proposuerat; priusquam ergo hæc constitueret Decretum alterum in nonnullis primo derogans, quis fingere potest Sacram Congregationem noluisse informari?

Id verò tanto plus voluit, quod fateri sponte dignata est tempore primi Decreti, *non fuisse Romæ auditos Sinenses Missionarios è Societate Jesu.* Est igitur extra dubium fuisse ab illa auditum patienter Patrem Martinium de Sinicis illis ritibus fusè differentem, cum è China Romam venisset ad hunc tantum finem. Non igitur minus constat S. Congregationis jussu censores examinasse hos Martinii tractatus & grande volumen de quo prius, cumque non silerent qui Jesuitis sunt contrarii debuisse Martinium objecta solvere toto hoc tempore quo Romæ commoratus est, ac eidem tandem Congregationi satisfecisse, cum Decretum favens, & à Sancta Sede confirmatum acceperit. Sanè gravissimam facit injuriam Sacræ Congregationi, quisquis vel sine sufficienti examine constitutum ab ea hoc Decretum, vel post sufficiens examen audet asserere id fuisse ab eadem approbatum, quod fuisset audita utraque parte improbandum. Si verò sufficiens fuit examen, si justa fuit post sufficiens examen sententia, malè Reverendissimus supposuit fuisse à Martinio absque ulla responsione prætermissa quæ à Patre Joanne de Morales prius objecta S. Congregatio noverat ex priori Decreto, quod posteriori ipsa inseruit. Stare ergo non potest sine gravi in-

juria S. Congregationis judicium Reverendissimi Martinium publicè infamans, utpote fundatum in tam falsa suppositione.

* III. Hinc etiam constat quam vana sint quæ Reverendissimus supponit à Martinio omissa, quia in Decreto Alexandri non sunt contenta. Auditus enim est circa hæc omnia Martinius, dum solidè refutaret quæ Reverendus P. Joannes Bapt. de Morales de rebus Sinicis nondum tunc benè instructus objecerat: non est tamen hæc consuetudo ut Decretis inserantur ista omnia. Decreta nimirum pro rerum circumstantiarumque ratione paucis verbis comprehendunt, ideoque ea tantum in illis quæsita solent enunciari, quibus S. Congregatio præcisè respondet. Sic in omni judicio postquam utraque pars oravit, & fusius quidem aliquando, paucis Judex pronuntiat. Non potuit ergo Reverendissimus, salvis conscientiæ legibus, solemni Mandato maculare famam Patris Martinii ex hac falsa suppositione, quod is ea prætermiserit, quæ in S. Congregationis Decreto non leguntur.

† IV. Multo adhuc minus pronuntiare potuit in Martinium ob rationem in Expositione supra allatam atque à Domino Charmot odiosè repetitam, nempe quod quæ spectant ad Progenitores defunctos ea Martinius sic proposuerit, ut *ne umbra quidem superstitionis videretur iis inesse.* Jam enim Sanctitas Vestra ‡ superius vidit id manifestè refelli per ipsa quæsita Patris Martinii, & Apostoli-

* *Ibid.*

† *In 3. Observ.*

‡ *Sup. in 1a. part. art. 2.*

ſtolicæ Sedis reſponſa in Decreto comprehenſa. Nam utrobique ſit mentio ſuperſtitionum, quæ ritibus alioqui merè politicis potuiſſent decurſu temporis acceſſiſſe præſcribente Sancta Sede, quid in his caſibus licitum eſſet Chriſtianis, quidvé illicitum.

* V. Dubitare non poſſumus, Pater Sanctiſſime, quin Sanctitas Veſtra ſit plurimum improbatura novam ſententiæ contra Martinium latæ cauſam, ex eo quod nempe S. Congregationi ea ſimpliciter propoſuerit, quæ de Sinicis ritibus vera eſſe exiſtimaret. Nam ſic proponere juxta Reverendiſſimum eſt dare pro certis quæ putantur ſolum probabiliora, ac proinde S. Congregationem decipere. Mirum eſt omnino quod non adverterit Reverendiſſimus Patrem Martinium ſua S. Congregationi non propoſuiſſe, niſi poſtquam circa Sinenſium ritus auditus fuiſſet Reverendus Pater Joannes de Morales Dominicanus, ac proinde S. Congregationem ignorare non potuiſſe quin contradicentes haberet Pater Martinius. Fuit ergo utriuſque partis ſua proponere, Sacræ verò Congregationi his auditis definire quid cenſeret, utra nimirum ex duabus ſententiis vel probabilior eſſet vel certior vel tutior. Si quis ex illo capite dici poſſet S. Congregationem decepiſſe, id cadere in eum non deberet qui ſecundo tantum loco ſua propoſuit, ſed qui primo maximè, cum eodem modo, hoc eſt ſimpliciter, uti conſtat ex Decretis, ſua uterque propoſuerit, nulla facta eorum probabilitatis vel certitudinis men-

* *Ibid.*

mentione. Quo itaque jure potuit Reverendissimus talem virum toto orbe Catholico infamare ex tam levi, tam nullo, tam injusto fundamento?

Profitetur tamen Reverendissimus ille se rigidiora sequi. Est quidem hæc ipsius sententia contra Martinium innocentem rigidior, sed est argumentum in iis quæ Jesuitas spectant laxissimæ Reverendissimi conscientiæ. Id constabit brevi adhuc certius cum in 4. Mandati Maigrotiani caput sententia Martinii de ritibus Sinensium merè politicis videbitur non modo probabilior opposita opinione, sed etiam evidenter probabilior, imo tutior & fortassis unicè tuta.

* VI. Quo plures exponit causas Reverendissimus sui contra Martinium judicii, hoc manifestius, Pater Sanctissime, videtur injustum. Ait Reverendos Patres Dominicanos id sentire, quod à Patre Martinio informata malè fuerit S. Sedes; sed negamus inde sequi propterea Reverendissimum habere jus palam condemnandi Patrem Martinium. Et verò non numerat quot sint Reverendi Patres illi: erant solum in tota China quatuor ex sacro illo Ordine cum inde discessit ante paucos annos Pater Le Comte. An sunt omnes in Reverendissimi Domini Maigrot Provincia? Præterea num fieri potest paucos illos tam novos esse in China tamque parum de Sinensium ritibus instructos, quam Reverendissimum Dominum? Addo paucis illis opponi à nobis posse multos atque eruditos ex eodem Sacro Do-

* *Ibid.*

Dominicanorum Ordine Missionarios ac Theologos, qui secundum informationem Patris Martinii de ritibus merè politicis nobiscum sentiunt. Talis est Illustrissimus Gregorius Lopez Episcopus primùm Basilitanus & postea Pekinensis, ipse Sina: talis Reverendus Pater Dominicus Sarpetri ambo 40. annorum Missionarii, ambo Dominicani, jussi ambo à suis moderatoribus controversos Sinensium ritus examinare atque de iis scribere, ut verè scripserunt, juxta mentem Martinii ad Tribunal S. Congregationis. Tales Reverendi Patres Coronado, Franciscus à Paula, à Sancto Antonino, de Alcala, Garcias, Philippus Pardo, multique alii de quibus infra: sed instar omnium potest esse Doctor ac Magister cæterorum Reverendus Pater Joannes de Paz. Hi omnes quorum integri textus benè multi citantur à nobis, standum semper judicarunt circa ritus Sinensium Alexandri VII. Decreto, sequendamque Jesuitarum praxim.

Sanctitatis Vestræ æquitatem hîc imploramus. Etsi Martinii Jesuitæ sortem decidere oporteret sola Dominicanorum auctoritate, quo jure posset Reverendissimus doctiorum & longè plurium auctoritatem postponere auctoritati paucorum pro damnando Martinio, & paucorum quidem, quos Illustrissimus Gregorius Lopez in sua ad Sacram Congregationem epistola, *tyrones vocavit in libris literisque Sinensibus*, affirmans eos in *multis torquere, exterminare sensus Characterum sapientiæ Sinicæ, se ipsos*, inquit, *& alios inaniter seducentes, & in abyssum lubricarum ambagum se implicantes.*

Ita Lopez Sina 40. annorum, ut dixi, Miſſionarius ipſe Dominicanus, de paucis illis Dominicanis loquens, quorum auctoritate ſubnixus Reverendiſſimus Martinium juridicè condemnavit.

Sed quidni pro Martinio cum tot tamque doctis Dominicanis pugnantes prodibunt quoque plures quam ſexaginta Jeſuitæ, quorum multi vixerunt in China 20. 30. 40. atque 50. annos? Iſti omnes ſimul juncti, num apud virum prudentem paucis iſtis præponderant? Sanè niſi novum jus condatur, niſi inſtituantur novi Canones juxta quos impunè liceat per fas & nefas imponere Jeſuitis quidlibet, eos damnare etiam innocentes, non videtur ſtare poſſe judicium Reverendiſſimi contra Patrem Martinium. Propterea, Sanctiſſime Pater, in hac cauſa ad Apoſtolicam Sedem & ad Sanctitatem Veſtram delata formidare nihil poſſumus, ſolutiſque in Reſponſo generali paucis aliis minoris adhuc momenti à Reverendiſſimo objectis, humillimè audemus ſupplicare, ut injuſtè læſam ſolemni Mandato in re graviſſima Patris Martinii, & in eo Societatis univerſæ famam pro ſumma ſua æquitate dignetur Sanctitas Veſtra vindicare ac reſtituere.

CA-

CAPUT IV.

MANDATI MAIGROTIANI.

De Ritibus Sinensium erga Confucium Philosophum ac Progenitores mortuos merè civilibus ac politicis.

QUæ in hoc quarto capite dicenda à nobis erunt, Beatissime Pater, adhuc plenius evidentiusque purgant Martinium, & ita vindicant Apostolicæ Sedis Decretum anni 1656. circa Sinensium ritus, ut speremus fore omnino perspectum Sanctitati Vestræ, nihil potuisse ad Dei gloriam, ad fidei incrementum, ad Sinarum conversionem juxta Evangelii ac prudentiæ Christianæ leges sapientius præscribi, quam quæ hoc Alexandri VII. Decreto præscripta sunt & constituta.

Id in isto negotio perjucundum nobis accidit, Pater Sanctissime, quod Societatis causa non possit ab Apostolicæ Sedis causa sejungi, ita ut Societatem vincere necesse sit, si probemus non modo non errasse S. Sedem; sed nec potuisse à Reverendissimo sine errore reformari quod est ea in re à S. Sede sapientissimè constitutum.

Ut

Ut autem hæc clare pateant, eſt origo mali ſive hallucinationis circa ritus Sinenſium detegenda: multiplex autem occurrit. I. Eſt mens aſſueta Europæis moribus ac cæremoniis atque obſtinatè determinata ad judicium per illas ferendum de Sinarum ritibus conſuetudinibuſque. Hinc enim fit ut quod in Græcorum Romanorumque Annalibus pertinuiſſe legimus ad cultum religioſum divinumque, id velint qui ſic affecti ſunt, nonniſi religioſè obſervari poſſe apud Sinas. Quaſi verò quæ ex hominum inſtituto pendent, non ſit moraliter neceſſe variari apud Gentes, & quod à Romanis infidelibus fiebat ex religioſo fine, habere non potuerit apud Sinas finem politicum. Sic thus adolere, accendere cereos, odores comburere & alia hujuſmodi, quæ religioſi cultus pars erant olim Romæ apud Paganos, ſpectant in China ad cultum merè civilem. Hoſpiti enim, amico, Gubernatori, Mandarino, Domum, in Urbem, in Provinciam, advenienti thus adoletur, accenduntur cerei, odores comburuntur &c. Hæc autem honoris merè politici cauſâ fiunt, nempe erga illos, in quibus aliquid eſſe numinis ne ſomniant quidem Sinæ dormiendo.

Porrò cum ex ſubordinatione maximè pendere bonum Imperii regimen ac pacem exiſtiment, mirum eſt quantam præſcribant leges gratitudinem diſcipulis erga Magiſtros, filiis erga Parentes, adeò ut eam extendant etiam ad mortuos, quibus ex gratitudine ob doctrinam

nam aut vitam ab illis acceptam, ita obsequendum esse ac si viverent, est commune & frequens apud illos axioma. Unde sicut vivis, ita mortuis thus adolent, & accendunt cereos, & odores comburunt, non plus numinis agnoscentes in mortuis quam in viventibus, imo minus potestatis: unde nec ab illis juxta leges quidquam petunt vel sperant. Quod autem mortuis in Gallia Regibus per multos dies fieri solet, ut nempe solito more iis quasi adhuc viventibus convivium quotidie apparetur; adstantibus iis, qui in mensa ministrare solebant, Præfectis, id in China per multos annos; & singulis quidem annis semel & iterum filii præstant Parentibus, Discipuli Magistris, sed maximè Confucio Philosopho Imperii Magistro, plus nihil numinis reveriti, ut certò infra constabit, quam Galli in suis Regibus; ne inquirentes quidem an fuerint probi vel improbi, cum satis illis sit quod sui fuerint Progenitores.

II. Erroris origo est ignorantia linguæ Sinicæ, quæ est valdè difficilis, cum quinquaginta habeat characterum seu literarum millia, & uni sæpè literæ multæ conveniant significationes & admodum quidem inter se diversæ. Unde fit ut facilè possit contingere Europæum per aliquot annos versari in China, & esse tamen in Sinensium literis valdè indoctum & neotericum, ac proinde classicos Sinarum libros consulere per se omnino non posse. Quare qui in Chinam adveniunt, aut non ita pridem advenerunt, si vel ex præsumptione, vel ex æmulatione, vel ex contemptu, vel ex odio,

dio, vel ex falsis præjudiciis audire renuant antiquiores & in Sinicis literis Doctiores Evangelii Ministros, necesse est ut ad singula hærentes magno sibi ipsis oneri sint & aliis; perturbentur ipsi continuò, &, si auctoritate polleant, totam perturbent Christianitatem.

III. Origo ignorantiæ circa ritus controversos petitur ex diversitate Sectarum quæ reperiuntur in China. Nam alii sunt Literati; & hi dividuntur in Atheos & Deïstas: alii idololatræ, & quidem diversi pro diversitate idolorum quæ colunt. Alii Mahometani; alii Judæi, ut jam nihil dicam de Christianis qui in toto Imperio vivere nunc incipiunt pacificè, & longè latèque propagari. In omnibus autem Sectis sunt docti & indocti, probi in suo genere & improbi.

Plurimi verò interest quos consulant qui volunt instrui de ritibus, an sint nempe religiosi, an merè civiles juxta mentem Literatorum. Aliter enim respondebunt idololatræ, & aliter Literati. Inter Literatos aliter fortè Atheus, aliter non Atheus, prout erit majus vel minus in sua Secta versatus. Inter ipsos Christianos quis dubitet in China, sicut in Europa, reperiri alios rudes, alios benè instructos? Nisi consulantur idonei testes, periculum erit erroris: de idoneitate verò testium vix poterunt certò judicare, qui non erunt in literis Sinensibus ita versati, ut simul cum viventibus mortuos quoque possint testes consulere, hoc est libros Sinarum classicos, Annalesque tam legere quam intelligere. Unde apparet non potuisse tam citò nec uno momento

quæ-

quæstionem illam decidi, certoque discerni politicos ritus in China à religiosis.

Propterea oportuit primos Evangelii Ministros diu multumque insudare, ac pertinaci studio per annos plurimos incumbere in cognitionem characterum Sinicorum, in lectionem ac meditationem Librorum, Legum, Statutorum, & consuetudinum. Neque enim, Pater Sanctissime, res est nullius momenti hæc quæstio, cum hinc maximè pendeat propagatio Evangelii; constetque apud Missionarios prohiberi non posse Christianis ritus illos erga Confucium Philosophum & Progenitores, quin claudatur janua salutis & fidei innumeris planè hominibus. Ut ergo certum est ritus illos prohibendos esse si sunt idololatrici, non obstante tot animarum ruina, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ita videtur omnino indubitatum non posse sine gravissimo scelere prohiberi, si fuerint solum politici ac civiles, foreque in hoc casu reos æternæ tot millium hominum damnationis qui sine sufficienti causa hos prohibuerint. Non igitur frustra insudarunt Missionarii per triginta & quadraginta annos, ut fierent idonei ad hanc facti quæstionem sapienter decidendam. Porrò ut cunctis pateat quam sit difficile Europæis quæstionem illam decidere, nisi plurima habeant adjumenta quæ non nisi post multos annos & longum pertinaxque ac fœlix studium nemo potest acquirere, rem exemplo explicamus.

* Veniant in Europam duo Sinenſes vel externi idololatræ. Vident ſacras imagines ſtatuaſque Chriſti Domini, Beatæ Virginis & Sanctorum in Catholicorum templis expoſitas, & eas vident oculis idololatriæ aſſuetis. Primo intuitu non dubitant quin ſint tot idola, in quibus credatur à Catholicis ineſſe aliqua divinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ illæ imagines. Non dubitant quin multa ab iis petant Catholici & petenda credant; quin figant in illis imaginibus ſuam fiduciam.

Ad ſic judicandum inducuntur ex eo quod vident Catholicos procumbere in genua coram illis, diuque ac multum orare, reverenter illas oſculari, vident eas in Altaribus collocatas, cereis ac lampadibus circumquaque accenſis, thus iiſdem adoleri; offerrique ante illas quotidie cum multis ritibus ſacrificium &c. Dum ex ſe metiuntur Catholicos, duo illi idololatræ & à cultu externo ad internum tranſeunt, prudenter agere ſe putant dum ſentiunt illas imagines eſſe Catholicorum idola; quod eſt tamen longè falſiſſimum: adeò verum eſt oculum non ſufficere ad diſcernendum quid ſint, vel quid non ſint ritus externi, quantumvis illi pateant ad oculum.

Quod ſi duo illi Sinæ forte primum ſibi obvios de ſacris imaginibus interrogent vel Hollandos, vel Anglos, quos quidem ſciunt Chriſtianos, hæreticos verò neſciunt? Reſpondebunt iſti ſeriò imagines illas eſſe Catholicorum idola,

* *In Proœmio ad Obſer. circa 4. cap. Mand. Maig.*

idola, quæ hi venerantur ut olim Ethnici ſtatuam Jovis: dumque incipiunt Sinæ linguas Europæas intelligere; multos ſcripturarum textus dant illis legendos hæretici, quibus videtur in ſpeciem indoctis imaginum cultus prohiberi, adduntque ſe propterea receſſiſſe à Catholicis. Hæc videntes, legentes, audientes Sinæ dubitare ſe prudenter non poſſe putant, quin ſint Catholici imaginum idololatræ. Hæc ſunt tamen falſiſſima; ſed invictè probant quam facilè ſicut Sina in Europa, ita Europæus in Sina, qualis eſt fortè Reverendiſſimus Dominus Maigrot, ex ritibus præciſè externis & ex mala informatione poſſent in errorem induci.

Pergunt ulterius noſtri Sinæ: Catholicos de imaginibus interrogant: ſi parum pios, vel ſi pios, at indoctos repererint, contingere facilè poteſt ita illos reſpondere, ut in ſuo errore Sinas confirment; ſi doctos & pios, fieri quoque poterit per diſtinctionem cultuum multiplicem, nec non & diverſitatem ſententiarum de cultus objecto & termino, de cultu abſoluto & relativo miſeros Sinas ab his ita fatigari, ut clarè non percipiant quid ſit necne Catholica fide credendum. Cumque Catholici pro licito imaginum cultu libros multos ediderint, multos contra hæretici, ſi hos placet Sinis jam Doctoribus evolvere pro & contra, ut certè tandem aſſequantur quæſtionem facti quæ eſt propoſita, quantum temporis, laboris, ſtudii, ingenii, doctrinæ, induſtriæ requiratur ad hanc dirimendam, nemo eſt qui non videat.

Tandem post multa interrogata, audita, visa, dicta, diu multumque examinata, ut exploretur quænam sit fides, & intentio Catholicorum in externo illo imaginum cultu, standum erit declarationi libri alicujus symbolici v. g. Concilii Tridentini ubi expressè docetur: *Imagines Christi, B. Virginis & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas esse, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas & virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentilibus qui in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant.*

Si sapiunt duo illi Sinæ, judicare non debent de verò imaginum cultu apud Catholicos, neque ex ritibus præcisè externis, quos pariter adhibuerunt ad colenda Sinarum idola, neque ex hæreticorum assertis, neque ex responsis Catholicorum quos aut parum pios, aut parum doctos diximus, neque ex superstitiosa praxi aut credulitate privatorum fortè plurium, sed ex prima institutione & fine istiusmodi rituum, quam explicant verba Concilii, & quam sequuntur benè instructi communiter omnes Catholici. Si enim aliter de cultu illo judicent, scribent in Chinam falsissima, nempe tot esse idola apud Catholicos quot sunt sacræ imagines.

Ex his intelligi debet 1º. non esse quod quis Romæ conturbetur si quæstio facti de ritibus Sinensium erga Confucium Philosophum

&

& Progenitores Europæis hominibus videatur ſtatim difficilis, hoſque primo intuitu inquietet.

II. Definiri illam non debere, neque ex ſola apparentia exteriori neque ex indoctorum aut ſuperſtitioſorum hominum relatione.

III. Conſulendos eſſe propterea libros Claſſicos, qui de rituum illorum inſtitutione agunt, quid pro illis adhibendis leges præſcribant: quid prohibeant: quis ſit finis horum rituum, qua intentione illos obſervent viri ſapientes & docti inter Sinas Literatos: quid illi ſentiant de Deo rebuſque divinis &c.

Hæc porrò cum magnam in Sinenſibus literis eruditionem requirant, longumque & accuratum examen, librorum Claſſicorum lectionem, explicationem interpretum, doctorum hominum conſuetudinem, diuturnam experientiam & uſum, præter ſcientias Europæas, maximèque Theologiam & Philoſophiam, inde conſtat, Pater Sanctiſſime, quam parum fidei mereantur hîc Romæ qui tales non ſunt, utpote novi in China & in Sinenſium literis plus adhuc neoterici, etſi aliunde nulla æmulatione, nullo affectu minus rectè ducerentur.

Quod verò Sanctitatem Veſtram in hoc gravi negotio mirè debet conſolari, S. Congregationis anxietatem levare, jam conſtituti ab Apoſtolica Sede Decreti æquitatem, ſapientiam, ac neceſſitatem demonſtrare, illud eſt, Pater Sanctiſſime, quod in rebus humanis ac quæſtionibus facti de quibus eſſe poteſt controverſia, reperiri vix poſſint graviora, fir-

miora, clariora fundamenta, quam sint eæ quæ Societatis praxim atque sententiam circa ritus illos, hinc prudentem, tutam, innocentem, inde verò propagandæ inter Sinas Christianæ fidei non solum idoneam esse probant, sed etiam necessariam.

Paucis exponimus fundamenta illa, quæ fusius exposita legi possunt in responso generali.

Dicimus igitur I. illam facti quæstionem fuisse diu ac frequenter examinatam. II. Examinatam ab iis qui diu vixerant in China, nempe 20. 30. 40. & 50. annos. III. Examinatores illos in literis Sinensibus fuisse apprimè versatos, ut ex libris constat quampluriinis, quos idiomate Sinico eleganter scripserunt & solidè. IV. Doctos aliundè in Theologia & Philosophia. V. Viros magnæ pietatis, Christi Confessores, & aliquos donis extraordinariis insignes. VI. Non paucos esse istiusmodi homines, unum aut alterum, qui re examinata sententiam illam amplexi sint, sed multos omnino ac plures quam octoginta. VII. Illos non fuisse solum è Societate viros, sed ex aliis quoque Sacris Ordinibus, maximèque Sancti Dominici & Sancti Francisci, nonnullosque Episcopos & in dignitate constitutos. VIII. In primis viginti tres Christi Confessores pro Christo exules, relegatos simul Cantonem, sæpeque in exilio simul pro rebus Sinicis & præsenti negotio congregatos. IX. Doctos Sinenses tam Christianos quam infideles ea de re sæpius interrogatos juxta sententiam Societatis respondisse. X. Haberi

ri adhuc præ manibus libros Sinensium his de ritibus tractantes & probantes nihil illos in sua institutione nisi politicum ac civile habuisse. XI. Levem admodum multas ob causas & quidem graves auctoritatem esse illorum qui pro opposita opinione citantur à Reverendissimo Domino Maigrot & Domino Charmot. XII. Denique S. Congregationem & Apostolicam Sedem benè informatam auctoritate sua confirmasse ea quæ potuissent in dubium super ea quæstione revocari.

Sanè quod post tam frequens tamque diuturnum examen à tot & tantis viris variorum ordinum & nationum, maximèque Sinensibus definitum sit non coli in Sina Confucium Philosophum, ut idolum, non coli ut idola Progenitores mortuos, ideoque nec veris sacrificiis coli, nec in veris Altaribus, sed ritus quibus coluntur esse merè civiles ac politicos: ac proinde debere omnino hos permitti Neophytis, ne gratis & sine causa sufficienti janua salutis & fidei claudatur innumeris planè hominibus, quod, inquam, id ita definitum sit, hoc demum videtur esse in Europa moraliter certum veritatis argumentum.

* Diximus 10. illam facti quæstionem fuisse sæpè ac diu examinatam. Testabatur anno 1670. R. P. Dominicus Sarpetri Dominicanus, qui per 40. annos vixit in Sina, enumeratas sibi fuisse à Patre Dominico Gabiani Jesuita Consultationes 74. jam inde ab initio nascentis Missionis habitas, tum à Superioribus, tum à

* *In Obs. 1. circa cap. 4.*

à Miſſionariis in unum collectis, ut hanc diſcuterent facti quæſtionem, ac ſemper in illis fuiſſe concluſum non aliis quam civilibus politicisque ritibus Confucium Progenitoreſque apud Sinas honorari.

Pater Philippus Couplet ex China redux in brevi relatione S. Congregationi oblata anno 1688. explicuit quam ſæpè, quam diu, & quanta diligentia hæc quæſtio facti diſcuſſa ſit, tum à Patre Matthæo Riccio Miſſionis Fundatore, tum à Patre Hieronymo Rodriguez aliiſque Viſitatoribus & Miſſionariis ſimul ad hunc finem congregatis, vel ſeorſim de eadem quæſtione ſcribentibus.

* Diximus II. Inſtitutum illud examen fuiſſe à viris, qui diu multumque vixerant in China.

Ibi in vinea Domini laborarunt Riccius annos 27. Faber 29. Gabiani 30. D. Acoſta 32. Brancati 33. Vagnoni & Canevarri 35. Aleni & Ribero 36. Magallanes 37. Diaz ſenior & Trigautius 38. Intorcetta adhuc vivens 40. Govea & Ferreira 41. Adamus Schaal 44. Buglius 45. Cataneus 46. Diaz junior & Alvarus Semedo annos 49. ut omittam multos alios qui vel 15. vel 20. vel 25. annos ibidem vixerunt. Quid Reverendiſſimus Dominus Maigrot qui vix 8. aut 9. annis in China fuerat quando ſuum Mandatum condidit, quid, inquam,* Reverendiſſimus ille præ tot tamque antiquis Miſſionariis in iis quæ ad Miſſionem ſpectant rituumque ſcientiam?

Di-

* *In Obſ.* 2.

* Diximus III. Examinatores illos hujus quæstionis non solum diu in China vixisse, sed in Sinensibus quoque literis ita fuisse versatos ut illorum plurimi idiomate Sinico libros multos composuerint non sine stupore Sinensium. De eo quem Riccius edidit pro lege divina contra Sinarum tam Literatorum, quam idololatrarum commenta, sic loquitur Pater Couplet; *Prodiit in lucem hoc opus successu fructuque prorsus admirabili, & secundum rationes humanas nunquam sperato. De hoc libro*, inquit Reverendus Pater Sarpetri Dominicanus, *quem sæpè attentè legi, testor mihi crebro venisse in mentem, quod dictus liber opus esset hujusmodi, ut sine revelatione divina, aut alio speciali Dei auxilio non potuerit ab Authore perfici.* Ita scribebat tum ad S. Congregationem tum ad suum Generalem anno 1667.

Pater Emanuel Diaz scripsit in Evangelia totius anni; Pater Julius Aleni typis vulgavit Christi vitam octo tomis divisam, tractatum unum de incarnatione, alium de sacrificio Missæ, tertium de pœnitentia, quartum de existentia Dei contra Atheos, pluresque alios de variis materiis; Pater Alphonsus Vagnoni 20. edidit volumina; Pater Adamus Schaal 150. libellos quos in 14. volumina compactos, & à Patre Intorcetta sibi oblatos Clemens X. jussit in Bibliotheca Vaticana reponi. Pater Jacobus Rho 40. Pater Buglius 80. tomos composuit. Pater Ferdinandus Verbiest 70.

* *In Obs.* 3.

70. alii alios plures vel pauciores, qui videri possunt in tabula Patris Couplet. Reverendus Pater Navarretta Dominicanus Jesuitis adeò infensus in literis tamen suis testatus est libros ab illis Sinicè scriptos ad instructionem Neophytorum optimos sibi videri, se laudare positum in iis scribendis laborem, mirari scientiam, agereque sincerissimè gratias pro se suisque tanto labore sublevatis per istiusmodi libros quibus utebantur fructuosè cum opus esset. Ita Navarretta à quo in hac Jesuitarum laude dissensit Reverendissimus Dominus Maigrot, semper paratus illum contra Jesuitas dicentem audire, & sequi. Sed cui prudenter circa Sinensium ritus potest adhiberi fides, an Reverendissimo Domino Maigrot vix fortè Sinicè balbutienti, an tot eruditis Scriptoribus, tamque antiquis Missionariis ?

Diximus IV. Eosdem rituum examinatores non modo Sinicis literis instructos fuisse, sed etiam Philosophicis ac Theologicis disciplinis excultos. Pater Alphonsus Vagnoni triennio Philosophiam docuit Mediolani, optimus ipse Theologus: Joannes de Monteiro non solum Philosophiam, sed & Theologiam; P. Jacobus Le Faure in Biturigensi Universitate Sanctum Thomam cum laude explicuit. P. Andreas Palmeiro Visitator in Academia Conimbricensi Primarius Doctor fuerat. Reverendus P. Sarpetri Dominicanus, de quo sæpè, docuit Panormi Philosophiam ibique approbatus est ad docendam Theologiam. Reverendus Pater de Paz à Missionariis tam sæpè consultus diu Manilæ Theologos interpretatus est in Collegio Sancti

cti Thomæ primarius ibi Professor atque studiorum Præses. Quam multi ex nostris alii Philosophiam, Theologiamque docuissent in Europa, Professionis gradum apud nos adepti, nisi ad Evangelium Gentibus prædicandum maturè oportuisset illos applicare Missionibus? Non erravit Roma, Pater Sanctissime, cum defensam à tot tamque doctis etiam Sinicè Theologis post 20. 30. 40. annos in China transactos de ritibus Sinensium merè politicis sententiam sub Alexandro VII. Sancta Sedes approbavit.

Diximus V. Hos rituum Examinatores non eruditos modo fuisse in Sinicis literis Theologicisque disciplinis, sed etiam pios multos ex illis Christi Confessores, & aliquos donis extraordinariis insignes. Hinc sapiens quisque inferet nec deceptos esse, qui tam docti erant ac prudentes, nec decipere voluisse qui tam pii.

Legi potest variis linguis conscripta vita Riccii omnium virtutum genere sic ornati, ut sit valdè gloriosum Italiæ peperisse talem virum. Alphonsus Vagnoni & Alvarus Semedo baculis pro Christo crudeliter cæsi, & caveis ferreis inclusi sunt in exilium deportati. Qui primus omnium pro Sinis Missionariis Apologiam conscripsit Didacus de Morales gloriosam mortem cum Patre Antonio Rubino, & tribus aliis pro Christo obiit in Japonia, post incredibiles cruciatus fortissimè toleratos.

Nemo nescit quid Pater Adamus Schaal jam senio prope confectus pro Christiana fide pas-

 sus

ſus ſit, prodigia quæ Patris Stephani Le Faure Avenionenſis prædicationem præceſſerunt vel ſequuta ſunt. Narrat Pater Le Comte in ſuis literis: narrat Pater Intorcetta quæ præſens inſpexit de incorrupto poſt 20. annos Patris Martinii corpore. In Conventu Cantonienſi qui aderant ritusque Sinenſes approbarunt anno 1667. erant omnes Chriſti Confeſſores pro Chriſto exules & captivi, numeroque viginti tres. De pleriſque omnibus aliis qui has Miſſiones petunt obtinentque, atque ibi in ſalute procuranda Sinenſium vitam conſumunt, non eſt cur pluribus dicam.

Diximus VI. Non unum aut alterum ex viris talibus politicos ac merè civiles judicaſſe Sinenſium ritus de quibus agitur, ſed magno illos numero id ſenſiſſe. Appellari jam poterant anno 1670. plures quam 60. è Societate præter eos qui è Sacro Dominicanorum Ordine in articulo ſequenti citabuntur.

Quantum autem in hoc facti quæſtione deferri debeat Jeſuitarum teſtimonio ita probaſſe ſe putat Reverendus Pater Sarpetri Dominicanus quinque à ſe rationibus adductis, affirmare ut non dubitet, nullam ex iis eſſe quæ ſeorſim ſumpta non det majorem auctoritatem ſententiæ Jeſuitarum quam habeat opinio contraria; ac proinde quinque ſimul ſumptas dare omnino maximam.

Et verò Jeſuitæ diutius habitarunt in China quam aliorum Ordinum Miſſionarii. Ibi enim fuerunt 50. primis annis ſoli. In longè pluribus Chinæ Provinciis habitarunt. Longè ma-

jorem

jorem Christianorum numerum habuerunt. Ipsi majori numero semper fuerunt, quam reliqui omnes simul. Inter Neophytos soli habuerunt Colaos, & magnæ auctoritatis & famæ Doctores. Constat ergo plus illos habere experientiæ, nosse melius, quid censeri debeat commune toti Imperio: plures potuisse circa ritus controversos ab illis interrogari, & maximè illos qui ut Mandarini ritus illos administrarunt.

Addi potest, Pater Sanctissime, non fuisse ductos æmulatione, odio, aut minus recto hujusmodi affectu in examinandis illis ritibus, cum essent soli. Non cæco modo sententiæ suæ adhæsisse, cum in tam serio tamque multiplici examine rem expenderint, nec in eam convenerint, nisi post contentiones multas ad detegendam certius veritatem his in principiis necessarias. Magnæ auctoritatis in præsenti casu videri, quæ ante excitatas à nonnullis Religiosis controversias scripta sunt à Patre Riccio Missionis Fundatore, & ab octoginta annis edita dicataque Paulo V. anno scilicet hujus sæculi 15°. sunt autem prorsus eadem, ac ea quæ Pater Martinus Martinius Sanctæ Sedi exposuit anno ejusdem sæculi 56°. Quam fuerint porro veritati hæc consonantia videtur omnino demonstrare Jesuitarum auctoritati adjuncta auctoritas Dominicanorum, & quidem plurium qui cum viderent unum ex suis contra Jesuitas vexillum extulisse & quidem omnium primum, non potuerunt nisi ex solo veritatis amore praxim sequi, & amplecti sententiam Jesuitarum.

Dixi-

Diximus ergo VII. Jesuitarum sententiæ circa politicos Sinensium ritus adhæsisse multos ex Sacro Dominicanorum Ordine doctos, pios, ac graves viros.

Primus à nobis in Responso generali citatus fuit Reverendus Pater Dominicus Sarpetri 40. annorum Missionarius, in Theologicis benè versatus & in Sinensium literis, virtute aliàs pietateque insignis, post impensum Superiorum jussu multorum annorum studium in examinandis ritibus controversis, duas epistolas scripsit, & postea tractatum integrum, ubi probat sententiam Jesuitarum de ritibus illis politicis non modo probabilem esse, non modo probabiliorem opposità sententià, sed tam ab intrinseco quam ab extrinseco sibi omnino videri evidenter probabiliorem, addens hanc ad aperiendam Ethnicis Evangelii januam maximè esse utilem, *ne dicam*, inquit, *necessariam*. Horum ipsius scriptorum compendium in Responso nostro generali continetur. Quanta sit multiplici ex capite talis auctoritas non est ignotum Sanctitati Vestræ.

Secundus fuit Reverendus Pater Joannes de Paz, qui suo tempore Manilæ existens, habitus est Orientis oraculum ob profunditatem doctrinæ, & virtutis præstantiam. Is non refert solum ut probabile, sed ut certò constans, Confucium Philosophum non coli in China nisi ut Magistrum Imperii, nullo autem modo ut habentem aliquid numinis & potestatem humanâ majorem. Id autem constare affirmat ex variis relationibus Religiosorum sui Ordinis. Unde testimonium illius

est

eſt pluribus æquivalens. Hinc verò fit ut Societatis praxim tam circa Confucium, quam circa Progenitores mortuos omnino approbet: fusè mens ipſius in Reſponſo generali explicatur.

Tertius eſt Reverendus Pater Joannes Garcias Vicarius Provincialis. Quartus Reverendus Pater Timotheus à Sancto Antonino. Quintus Reverendus Pater Dominicus Coronado Vicarius quoque Provincialis, Chriſti Confeſſor, ut ex incommodis mortuus quæ pro Chriſto incarceratus cum Patre Joanne Adamo generosè ſuſtinuit. Sextus Reverendus Pater Petrus de Alcala. Septimus Reverendus Pater Carolus Clemens Gant. Octavus Reverendus Pater Franciſcus de Paula. Nonus Reverendus Pater Philippus Pardo, tres ultimi Provinciales. Decimus Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Gregorius Lopez Epiſcopus Baſilitanus & poſtea Pekinenſis, præter majorem partem ejuſdem Ordinis Miſſionariorum, qui in cœtum Lankinenſem convenerant, ut teſtatur Reverendus Pater Sarpetri qui præſens aderat.

Quanta debeat eſſe in præſenti negotio Dominicanorum illorum auctoritas, palam conſtat, cum non poſſint adhæſiſſe Jeſuitarum ſententiæ contra ſuum de Morales vel Navarrettam, niſi ex amore veritatis, ut de ſe jurejurando teſtatur Reverendus Pater Sarpetri: ſed non minus conſtat, Pater Sanctiſſime, ex literis Illuſtriſſimi Domini Gregorii Lopez ad Apoſtolicam Sedem, & ad S. Congregatio-

nem

nem datis, quam levis aut nulla sit eorum auctoritas qui hanc sententiam nunc repudiant; tum quia satis indicat illos cogi ad repudiandam illam, malèque excipi, aut in exilium mitti qui huic adhærent; tum quia contendit alterius sententiæ Defensores ex suo Ordine *in Sinicis tyrones esse, torquere in multis & exterminare sensus Characterum sapientiæ Sinicæ sensu literali & translatione se ipsos & alios inaniter seducentes, & in abyssum lubricarum ambagum se implicantes.* Sic loquitur Summo Pontifici & S. Congregationi antiquus ille 40. annorum Missionarius, ipse Sina, ipse Episcopus, ipse Dominicanus. Sic inquam, loquitur de Missionariis illis sui Ordinis, quos in Sinensium literis Magistros habet Reverendissimus Dominus Maigrot.

Diximus VIII. Viginti tres in Conventu Cantoniensi Christi Confessores & Ministros Evangelii pro Christo exules ex variis Ordinibus, post longum examen, propositasque ac solutas aliquorum annorum spatio objectiones, in id convenisse quod omnino sequi oporteret Alexandri VII. responsa circa ritus quibus Sinæ Magistrum suum Confucium & mortuos venerantur, quodque prohiberi non possint ritus illi, quin claudatur sine causa innumeris hominibus janua salutis & fidei. In responso generali explicatur & vindicatur statutum 42. celebris illius conventus, cui tandem subscripsit post lectam Patris Brancati Apologiam ipse Pater Navarretta ex commissione Provincialis sui, ut narrat Pater Sarpetri qui aderat.

Di-

Diximus IX. Multos Siner
Christianos, quam infideles e
gatos respondisse ritus prædict
viles ac politicos:

Nam I. testatur Reverendu
Sinas non offendi, cum declar
stianis se non venerari Confu
sed colere ut Imperii Magistru
dem Sinas liberaliter effundi i
quis Christianus videtur cred
coli ab illis ut Deum, & in ta
firmasse, quod nihil supra hon
in Confucio.

II. Pater Emanuel Diaz
cum interrogaret ea de re
ctum, hoc ab eo responsum a
nos Sinas tam stolidos esse, qui
nem eum credamus, quem scimu
& abiisse? Addidit se ex gratit
ritus illos erga Confucium, cu
berent ob acceptam ab illo do

III. Linus Sina Christianu
sæpè conquestus est coram &
eos Missionarios qui ritus i
obicem ponere propagationi f
Sinas à susceptione baptismati
die judicii eos accusaturum
Christi Domini.

IV. Idem senserunt Doctor
Paulus, Colao Ye, Licentiat
alii de quibus suo loco dum a
ce *Xangti.* Item ducenti illi
gradibus, vel etiam Præfect

rum insignes quos Christo peperit Alphonsus Vagnonus. Item innumeri alii Literati ab aliis Evangelii è Societate Ministris, Deo adjuvante, conversi, præter tot millia Christianorum in plerisque Imperii Provinciis.

Diximus X. Apparere ex libris Sinensium Classicis prædictos ritus nihil in sua institutione nisi politicum ac civile habuisse. Id fusè probatur in Observatione decima contra quartum caput Mandati Maigrotiani:

Ibi I. Observatur vocem illam (*Ci*) habere magnam in significando latitudinem, & sumi vel pro sacrificiis Deo idoloque oblatis, vel pro muneribus politicis, quæ aut in conviviis, aut in nuptiis, aut in adventu Hospitum offeruntur, vel pro donis hujusmodi pluribus aliis in honorem viventium aut mortuorum collatis. Vox ergo (*Ci*) non donat sacrificium propriè dictum, nisi per circumstantias illi voci adjunctas ad hanc significationem restringatur.

Ibi II. Observatur ex quinque partibus quibus constat sacrificium, nullum convenire ritibus erga Confucium & Progenitores, quos certum est apud Sinas non esse idola nec haberi ut numina. Percurruntur illa quinque; nempe Minister sacrificii, materia, forma, locus, finis.

Ibi III. Observator sacrificium Chai, quod est summum, fuisse oblatum ab antiquis Sinis soli Deo seu spirituum supremo. Inferioris autem Ordinis oblationes inferioribus spiritibus Angelis.

Ibi

Ibi IV. Observatur cautum esse Imperatoriis Decretis ne reponeretur Confucius Philosophus; neque in numero spirituum, neque in numero idolorum; multo minus Progenitores mortuos, Confucio longè inferiores.

Ibi V. Observatur famosum apud Sinas axioma, obsequendum ita esse Defunctis Majoribus, ac si viverent.

Ibi VI. Observatur magnum esse inter oblationes illas discrimen. In sacrificio enim Chai, & in oblationibus spirituum imploratur auxilium, deprecantur calamitates. In oblationibus autem mortuorum nihil ab illis rogatur, nihil speratur. Sic libri classici, quibus mirè consentiunt quæ Pater Riccius docuit; & quæ Sanctæ Sedi postea Pater Martinius exposuit.

Ibi VII. Observatur maximè omnium apud Sinas plerosque ritus externos adhiberi modo ad cultum civilem, modo ad religiosum, uti & apud nos sæpè contigit. Eadem enim reverentia exterior Deo adhibita, erit cultus latriæ, B. Virgini cultus hyperduliæ, Sanctis, cultus duliæ; Regibus, Parentibus, Senibus, cultus observantiæ civilis & politicus. Objectum itaque & intentio ad hunc vel ad illum cultum hanc reverentiam determinat. Quare multa observant Sinæ erga Mandarinos, Prætores, Hospites, præsertim nobiles, quæ sunt merè civilia, ut patet, licet non sint in usu apud nos, & quæ proinde non possunt fieri religiosa, nisi vero vel putato numini ex intentione offerantur. Cum igitur nihil planè

agnoſcant numinis, nec in Confucio, nec in Majoribus; conſtat ritus in honorem Confucii Progenitorumque adhibitos, merè politicos eſſe ac civiles ex intentione & objecto.

Quæ omnia & alia etiam ejuſmodi plura cum ſæpè legerint, & attentè in claſſicis & antiquis libris Sinarum, non eſt mirum, Pater Sanctiſſime, tam multos tamque eruditos in ſtudiis Sinenſibus Theologiciſque Evangelii Miniſtros non modo è Societate; ſed ex Sacro quoque Dominicanorum Ordine firmiter ſtetiſſe pro ritibus merè politicis, proque janua ſalutis & fidei non claudenda innumeris Sinis ſine gravi cauſa, & ex variis prætextibus.

VIII. Unum autem hîc maximè advertendum, Pater Sanctiſſime, Sinicis literis atque ſcientiis opus eſſe Miſſionario non ſolum ad legendos & intelligendos Claſſicos Sinarum libros, ſed etiam ad diſcernendos eos à libris ſpuriis Atheorum ſubtilium. Sicut enim falſò judicaret magnamque injuriam faceret hodie Catholicis, qui fidem illorum circa ſacras imagines ex hæreticorum libris definiret; ita qui de mente veterum Sinarum, ut & modernorum circa cultum unius numinis ſolos Atheorum libros conſuleret, & ipſe erraret graviſſimè, & peſſimè mereretur de antiquis Sinis moderniſque, qui antiquos imitati ſupremum adhuc hodie colunt cœlorum Imperatorem ac Dominum. Atheorum ergo calumniæ non plùs nocere debent veteribus Sinis quos falſò affirmant fuiſſe Atheos, quam hæreticorum blaſphe-

blasphemiæ antiquis Patribus, quos tam manifestè jactant secum sensisse circa articulos divinæ fidei in quibus à nobis ipsi hæretici dissentiunt.

IX. Hinc constare certò videtur quanta debeat esse hic Romæ circa quæstionem illam facti de ritibus Sinensium politicis auctoritas Missionariorum, qui post 30. 40. & 50. annos in China transactos, & in addiscendis Sinensium literis omnino positos, tam ante quam post exortas iis de rebus contentiones, docuerunt constantissimè, neque in Confucio Philosopho, neque in Progenitoribus mortuis aliquid numinis Sinas agnoscere, merèque civiles esse illos ritus quibus suam erga Imperii Magistrum Majoresque suos gratitudinem exhibent ob doctrinam vitamque ab illis acceptam, ac proinde propter hujusmodi cæremonias innumeris Sinis claudi non debere januam salutis & fidei.

Unius hîc Patris Riccii, quem Sinæ Missionis fundatorem omnes agnoscunt, appono testimonium ex ipsius commentariis quos propria manu Italicè scriptos etiam hodie servamus, typisque Latinè editos publici juris fecit Pater Trigautius anno 1615. longè ante has controversias.

Nihil porrò, inquit, *in hac Secta celebrius est, quodque latius inter omnes, ab ipso scilicet Rege ad infimum quemque pertingit, quam justa funebria, quibus quotannis parentibus avisque parentatur, de quibus supra. In his observantiam suam statuunt, mortuis scilicet obsequentes*

Majoribus ut aiunt, ac si essent superstites. Nec tamen arbitrantur appositis mortuos vesci ferculis, aut iis etiam indigere, sed id genus officii ideo se exhibere asserunt, quod alia ratione nulla amorem in eos suum sibi testari posse videantur. Imo etiam asserunt non pauci, ritus hos fuisse institutos, magis in vivorum gratiam quam mortuorum, ut scilicet filii & alii rudiores doceantur qua ratione vivis Parentibus obsequendum, quos viderint etiam vita functos, à gravissimo & sapientissimo quoque tot officiis honestari: & quoniam in his nullam partem numinis agnoscunt, neque ab iis quidquam aut petunt aut sperant, id videtur ab omni sacrilegi cultus scelere alienum & etiam fortasse ab omni superstitionis labe purum. Ita Riccius de Progenitorum cultu.

De Confucio verò sic habet. *In hoc Confucii fanum novilunio aut plenilunio quolibet conveniunt Magistratus omnes urbani cum renuntiatis Baccalaureis, Magistrum solitis inclinationibus ac genuflexionibus, cereis etiam ac suffitu venerantur. Iidem natali ejus die quotannis recurrente, & aliis quibusdam temporibus ex more deputatis, fercula illi offerunt magno apparatu, gratiam se habere protestati doctrinæ quam in ejus libris repererunt, cujus maximè adminiculo doctrinæ gradus ipsi suos & opimos in republica Magistratus consequuntur. Nullas porrò ei preces recitant, nec ab eo quidquam petunt aut sperant, ad eum modum quo de vita functis jam est explicatum.* Sic Riccius.

Quam sint verò ista conformia librorum Classicorum textibus à nobis supra citatis, nemo est qui nòn videat.

Por-

Porrò quantum etiam differant ritus illi Progenitorum Confuciique à ritibus quibus colunt Literati Sinæ tutelares spiritus Urbium singularium, explicat quoque Riccius. *His etiam*, inquit, *spiritibus fercula offerunt & odores incendunt, sed non eodem quo supra cultu. Nam in his agnoscunt perjuros plectendi, probosque remunerandi divinam quandam inesse facultatem.*

Hæc Pater Matthæus Riccius anno hujus sæculi 10. quo obiit in opinione sanctitatis, post transactos in China annos 27. hæc & his non plura Pater Martinus Martinius, cujus corpus post 20. annos repertum est incorruptum Romæ proposuit anno 1656. Hæc & istis adhuc plura Reverendus Pater Dominicus Sarpetri 40. annorum Missionarius & Dominicanus anno 1667. de quo non ita pridem scriptum est adhuc è China, virum fuisse non solum Theologicis & Sinicis scientiis inprimis excultum, sed omni Christianarum & religiosarum virtutum genere ornatissimum. Hæc cum istis plures quam octoginta alii tam ex Sacro Dominicanorum Ordine, quam è Societate Evangelii in China Ministri.

* Diximus XI. multas gravesque ob causas non esse valdè gravem auctoritatem illorum, qui contra tot & tantos viros, tot & tam solida fundamenta citantur à Reverendissimo D. Maigrot & D. Charmot pro opinione contraria.

Longam

* *In Obs. XI.*

Longam suo Mandato adjunxerat Expositionem Reverendissimus Dominus Maigrot; sed cum in ea fere nullum citaret librum qui dictorum fidem faceret, quasi Roma teneretur ipsius verbis credere tanquam oraculis, suspicati sumus, Pater Sanctissime, jussum esse Dominum Charmot ipsius Procuratorem eadem quæ in sua Expositione Reverendissimus affirmabat, aliqua auctoritate firmare. Opportunè omnino ad detegendam clarè veritatem.

Apparuit enim ex primo Memoriali S. Congregationi oblato hos Accusatores non aliâ ferè, sive in citandis Auctoribus, sive in reprobandis ritibus inniti auctoritate quam Navarrettæ, testis multiplici ex capite secundum omnia jura à Jesuitis recusandi: cumque viris sagacibus id procul dubio visum fuisset tam mirum quam debile ac infirmum, tum ad infamandum palam Martinium, tum ad rescindendum Apostolicæ Sedis Decretum, rem arduam suscepit Dominus Charmot, nempe probanda Scriptorum Societatis auctoritate quatuor facta ex quibus penderet quæstionis decisio: fuit hoc secundum Memoriale S. Congregationi oblatum.

* Suum utrique dedimus speciale responsum, & putamus, Sanctissime Pater, sufficienter nos probasse tam levem esse tum ipsius Navarrettæ, tum citatorum ab illo Reverendi Patris Joannis Baptistæ de Morales Dominicani,

* *Secundum inscribitur Responsum Memoriali Domini Charmot quatuor facta continenti.*

ni, Reverendi Patris Antonii à Sancta Maria Franciscani, Patris Longobardi Jesuitæ, atque Patris Roboredo exJesuitæ, tam levem, inquam, esse illorum in præsenti negotio auctoritatem, ut si comparetur cum auctoritate contraria prorsus evanescat.

Cum hæc jam nimium excreverit epistola, non audemus, Pater Sanctissime, hæc sigillatim in ea referre quæ tamen humillimè supplicamus, ut jubeat Sanctitas Vestra in responsis nostris legi & examinari.

* Reperiet enim Navarrettæ opus contradictionibus scatere & injuriis: Reverendum ipsum P. Joannem de Morales agnovisse post suum Roma reditum, se fuisse, antequam iret, malè informatum: Reverendum P. Antonium à Sancta Maria virum quidem religiosum, sed in suo sensu tam abundantem, ut teste Reverendo P. Dominico Sarpetri Dominicano, qui illo familiariter usus est, opinioni semel conceptæ adhæserit quasi demonstrationi

* *In Obs. IX. Responsi generalis fusè ostenditur quam sit levis in hac quæstione Reverendi P. Navarrettæ auctoritas. Idem ibidem probatur de auctoritate Reverendi P. Joannis de Morales. Item quam levis sit Reverendi P. Antonii à Sancta Maria auctoritas sicut & Patris Longobardi &c. Præterea in Responso ad primum Memoriale Domini Charmot satis fusè agimus, tum de Patre Longobardo, tum de Bartholomæo Roboredo è Societate expulsò circa medium istius Responsi.*

ni aut articulo fidei, malueritque per multos annos Sacramenta non administrare fidelibus, quam cum aliis sentire quod & Neophyti possint tecto capite, quod est in China reverentiæ signum, Missæ sacrificio interesse, & Missionarii celebrare: De cætero utrumque tam Patrem Joannem Baptistam, quam Patrem Antonium à Sancta Maria Reverendissimo Vicario in multis fuisse oppositos; etiam in iis quæ ipse reputat capitalia; sicuti & Patrem Longobardum è Societate nostra, qui etsi fuerit insignis Missionarius, quia tamen non insignis Theologus, utpote ex hoc capite ne professi quidem gradum apud nos adeptus, parum habet ponderis ejus auctoritas in nonnullis in quibus visus est dissentire à plurimis & eximiis in Theologia tam è Societate quam ex Sacro Dominicanorum Ordine Missionariis: Patrem autem Roboredo qui inventus est minus habens, & à Societate nostra expulsus, præterquam quod in Chinam nunquam ingressus est, nec Sinicè quidquam novit, in præsenti casu non potuisse citari nisi à rerum ignaris tanquam testem idoneum.

* Quod spectat ad paucos illos quorum epistolas refert ut ipsi hodie faventes, jam supra diximus, Pater Sanctissime, quid de suis sentiret Illustrissimus Episcopus Pekinensis Gregorius Lopez, nempe esse planè tyrones in Sini-

* *Compendium hujus Epistolæ refertur in Obs. 7. supra cap. 4. Mandati Maigrotiani in Responso generali. Item in Obs. 3. supra caput 3. ejusdem Mandati.*

Sinicis & alia duriora. De reliquis constat Reverendissimum non ponderare suffragia, sed numerare, etsi aliunde pauca habeat: nam unum citat Reverendum P. Lucam Thomas, qui fatetur se tam rudem in Sinicis, ut dum audit Confessiones, certus non sit nec an confitentes intelligat, nec an intelligatur ab illis, nisi in tabella in qua varia peccata descripta sunt, digito demonstrarent, quænam admiserint necne. Idoneum omnino testem, qui de quæstione illa aliis quam Sinis aut Sinicè doctis tam difficili tamque intricata pronuntiet. Hunc tamen, Pater Sanctissime, in Memoriali S. Congregationi oblato non dubitat D. Charmot reponere inter eos *quorum auctoritas & fides conspicuis virtutibus & scientia sustinetur.* Cujus ergo auctoritatis esse potest apud Sanctissimum, ejusdem Domini Maigrot, testimonium? Quæ fides ejus verbis adhiberi? Meritò itaque potuimus affirmare levem prorsus esse auctoritatem illorum qui contra tot & tantos viros, tot & tam solida fundamenta citantur à Reverendissimo Domino Maigrot & Domino Charmot pro opinione contraria.

* Diximus XII. Sinenses Missionarios etsi tot & tam solidis fundamentis niterentur pro amplectenda de ritibus merè politicis sententia, quia tamen fieri moraliter vix poterat quin lapsu temporis, maximèque post inductam apud Sinas idololatriam, his cæremoniis civili-

* *In Obs. 12. Responsi generalis.*

civilibus aliqui ſaltem alicubi ſuperſtitioſa immiſcerent, diximus, inquam, Miſſionarios ut tutò incederent, confugiſſe ad Sanctam Sedem, id ipſum expoſuiſſe, petiiſſeque regulam quam in his caſibus ſequerentur. Quid ſapientius? Quid ſimul religioſius?

Addidimus reſpondiſſe Sanctam Sedem, & regulas præſcripſiſſe, quibus planè innoteſceret, quid in illis circumſtantiis liceret, aut quid non liceret Chriſtianis, conſtituto ea ipſa de re à S. Congregatione Decreto quod Apoſtolica Sedes approbavit. Concluſimus, Pater Sanctiſſime, poſt hujuſmodi quæſita & Sanctæ Sedis reſponſa circa ritus, quos tot tamque graves cauſæ probant eſſe merè civiles; concluſimus, inquam, nullum remanere poſſe prudentem ſcrupulum Miſſionariis qui ſunt ſanæ mentis & ſolidæ, qui zelum habent animarum, ſed ſecundum ſcientiam, qui contentiones non amant & jurgia, qui privatis non ducuntur affectibus, qui in ſuo ſenſu non nimis abundant, qui nihil aliud quærunt quam ſalutem proximorum & gloriam Dei, juxta leges prudentiæ atque charitatis Chriſtianæ.

Hæc ſunt, Pater Sanctiſſime, duodecim fundamenta ſententiæ de ritibus Sinenſium erga Confucium Philoſophum & Progenitores merè politicis, quæ viſa ſunt tam ſolida tot Evangelii Miniſtris non è Societate tantum, ſed etiam ex aliis Sacris Ordinibus, ut hanc ſententiam Reverendus Pater Sarpetri Dominicanus in tractatu integro probet eſſe

tam

tam ab intrinſeco quam ab extrinſeco, hoc eſt tam ratione, quam auctoritate, evidenter probabiliorem contrariâ opinione, ideoque admitti poſſe tam Phyſicè quam moraliter ac prudenter ut unicè veram, repudiari autem alteram ut falſam.

Non putamus exceſſiſſe in Reſponſo generali ulterius progrediendo, & docendo ſententiam illam videri poſſe moraliter certam. Multa enim hìc occurrunt, Pater Sanctiſſime, moraliter certa, quæ etſi bis aut ter in Reſponſis explicata, neceſſe eſt in hoc loco repetere.

Certò enim conſtat I. per ſe licitum eſſe cultu civili, juxta conſuetos locorum ritus, colere parentes mortuos & imperii Magiſtrum.

II. Certò conſtat ritus illos qui per ſe mihi liciti ſunt, non poſſe fieri mihi illicitos & idololatricos, niſi vel ex mea, vel ex aliorum intentione perverſa & idololatrica, quâ vel ego vel alii intendamus aliquid v. g. numinis in Confucio colere vel in parentibus.

III. Certò conſtat Chriſtianos Sinas nihil agnoſcere numinis nec in Confucio, nec in Majoribus ſuis: ergo ritus illi per ſe Chriſtianis liciti, jam non fiunt ex perverſa illorum intentione idololatrici.

IV. Certò conſtat ritus eoſdem per ſe licitos non poſſe fieri reſpectu Chriſtianorum idololatricos ex occulta tantum & interna Sinarum idololatria. Hæc enim eo ipſo quod interna ſolum eſt, nocere non poteſt niſi ipſis

ido-

idololatris, nec mutare exteriùs ſtatum Confucii & Progenitorum, nec Phyſicè, nec materialiter.

V. Certò conſtat per externam etiam ac paucorum idololatriam non poſſe aliquem palam conſtitui reſpectu omnium in ratione idoli; nec proinde vitiari & infici licitos per ſe mihi ritus erga Confucium & Progenitores.

Inventi ſunt v. g. qui colerent B. Virginem tanquam numen. Non potuit hæc illorum malitia vel ignorantia vitiare cultum per ſe legitimum, quo fideles B. Virginem venerantur.

Eſt indubitatum reperiri aliquando Catholicos rudes, qui aliter quam præſcribat Concilium Trid. ſacras imagines colunt; quis illorum ſuperſtitione putet verum infici cultum imaginum? Pari modo etſi inter Sinas invenirentur nonnulli qui in Confucio vel in Majoribus ex ignorantia vel ex malitia divinum aliquid colerent, quandiu conſtabit, ut certò conſtare docet Pater Joannes de Paz Dominicanus cum innumeris aliis, nullam in Sina tribui Confucio numinis partem, juxta communem Sinenſium fidem maximèque Literatorum, tamdiu poterunt Sinæ Chriſtiani cultu civili & politico honorare Confucium ut Imperii Magiſtrum, ſine ullo periculo vel proximo vel remoto idololatriæ, ne materialis quidem. Quod dicitur de Confucio; potiori jure dici debet de Majoribus, quorum nullus eſt juxta Sinas huic Philoſopho conferendus.

VI. Ut fierent ergo mihi illiciti ritus illi, de-

deberet quasi publica auctoritate constare Sinas aliquid numinis communiter jam agnoscere in Confucio & in Majoribus suis. Quandiu igitur id non constat, tamdiu possum uti jure meo: tandiu respectu mei, ritus illi remanent civiles ac politici, ideoque per se liciti, ac proinde neque formaliter, neque materialiter idololatrici.

Jam verò manifestum est, non constare quod in vasto illo imperio, juxta communem Sinarum fidem ac persuasionem, numen habetur Confucius, multoque minus Progenitores mortui.

Nam I. Constat potius, ut expressè docet & probat Reverendus Pater de Paz Dominicanus ex relatione multiplici Dominicanorum, Confucium in Sina communiter non haberi numen. II. Idem affirmant Illustrissimus & Reverendissimus Gregorius Lopez Basilitanus Episcopus, ex sacro quoque Sancti Dominici Ordine, ipse Sinensis & antiquus Missionarius: Reverendus Pater à Sancto Petro item Dominicanus cum multis aliis. III. Id contendunt plures quam 80. Missionarii è Societate. IV. Constat prohibitum esse Decretis Regiis ne inter idola Confucius poneretur. V. Constat iisdem Decretis cautum esse ne collocaretur is in numero spirituum, qui sub regimine supremi spiritus, & numinis præsident Regnis, Provinciis, & Urbibus. VI. Reverendissimus Dominus Maigrot qui vult Confucium esse Literatorum idolum, manifestè sibi contradicit, cum velit Literatos omnes esse A-
theos.

theos. Athei autem idola non habent, in hoc distinguntur ab idololatris. VII. Idem apertè declarat non culpari à se eos, qui ante suum Mandatum coluère Confucium & Progenitores, & ideo non culpari, quia judicabant probabilius esse & magis consonum veritati, quod sibi liceret cultu civili illos honorare. Judicabant ergo id prudenter verum. Est igitur manifestum non constare quod juxta communem Sinarum fidem numen habeatur Confucius, multo minus Progenitores, cum potius certò constet oppositum: ergo non est solum probabile, sed certum Sinas Christianos posse colere cultu politico Confucium & Progenitores; habereque illos jus istud. Ergo certum est ritus in iis colendis per se licitos non sic posse vitiari aliquorum superstitione vel errore, ut desinant Christianis esse liciti; ergo ritus illi nec possunt, nec dici debent respectu illorum neque formaliter, neque materialiter idololatrici: Ergo stare debet inconcussum Alexandri VII. Decretum; ergo fuit legitima Patris Martinii informatio: ergo rescindendum Reverendissimi Mandatum, quo & Pater Martinius immeritò infamatur, & Decretum Alexandri VII. contra omne jus & fas grandi audacia reformatur.

Audemus addere, Beatissime Pater, sententiam illam de ritibus Sinensium politicis approbari posse saltem hactenus & debere, ut unicè tutam.

Sententia universim tuta appellatur, quæ re-

removet à periculo peccati; formaliter tuta quæ à periculo peccati formalis, materialiter autem, quæ à periculo peccati etiam materialis removet; quæ magis removet tutior; quæ minus, minus tuta appellatur.

Probatum est jam superiùs sententiam de ritibus Sinensium politicis Christianos Sinas nullo exponere periculo, sive superstitionis sive idololatriæ, non modo formalis, sed ne materialis quidem. Unde consequitur evidenter sententiam illam tutam prorsus esse, non solum formaliter, sed etiam materialiter.

Hic addimus sententiam eandem dici posse unicè tutam, ita ut contraria opinio Evangelii Ministros gravissimis exponat, tam formaliter quam materialiter, peccandi periculis. Quod ut constet:

Supponimus I. Prohiberi non posse in Sina ritus erga Confucium & Progenitores, quin claudatur janua salutis & fidei innumeris planè hominibus. Hoc semper visum est certum Evangelii Ministris, etiam iis qui prohibendos putabant, quia sibi falsò persuaserant hos esse religiosos. * Hoc tam sæpè Sinæ Christiani inculcarunt, protestantes se in die judicii contra crudelem, imprudentemque eorum zelum insurrecturos, qui propter tam levem causam tamque nullam, innumeros Sinas ab amplectenda fide Christiana removerent, arcerentque à baptismo. Id agnoverunt in Conventu Cantoniensi 23. Christi Confessores, aper-

* *In Obs. 4. Responsi generalis supra cap. 4. Mandati.*

apertèque declararunt. * Id jam inde ab initio senserat Pater Matthæus Riccius, dum tam claré exponeret quantum his ritibus Sinæ Literati ab ipso Imperatore ad infimum quemque adhærerent. Id hactenus experti sunt Missionarii omnes.

† Supponimus II. Ecclesiam, Sanctam Sedem, ipsosque quos ad infideles mittit Evangelii Ministros, præcepto teneri non solum annuntiandi Gentibus Evangelii, sed ita annuntiandi, ut, quantum est ex se, nullum propagandæ fidei obicem immeritò ponant. ‡ *Euntes in universum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hoc Christi præceptum non ligavit solos Apostolos, sed Apostolorum quoque Successores, imprimisque Successores Petri quibus universæ Ecclesiæ cura commissa est, quique propterea jam inde ab initio fundatæ à Christo super Petram Ecclesiæ solliciti semper fuerunt, non modo ad revocandas in ovile oves aberrantes, sed etiam ad aperiendam Gentibus ovilis januam, missis quocumque & in omnem terram, & in fines Orbis Terræ divinæ legis præconibus, qui fidei ac salutis Evangelium annunciarent. ** *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi: quomodo ergo credent ei quem non audierunt? Quomodo*

* *Ibid in Obs.* 9. *videri potest supra textus Patris Riccii.*

† *In Conclusione Obs. supra* 4. *cap. Mand. sub finem.*

‡ *Marc. cap.* 16. *v.* 15.

** *Paul. ad Rom. cap.* 10.

modo autem audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt nisi mittantur?

Itaque gravis peccati contra manifestum illud Christi præceptum reos illos esse necesse est, non modo, qui cum teneantur hoc præcepto, observare illud negligunt, abjectâ prædicandi Gentibus Evangelii omni curâ, sed etiam qui à Sancta Sede ad hoc missi, ex variis scrupulis & malè fundatis erroribus propagationi sanctæ legis magnos interjiciunt obices.

Præterea lex charitatis erga Deum & proximum eos gravissimè ligat, qui in Sina aliisque hujusmodi regionibus degunt Evangelii Ministros, ad procurandam infidelium, apud quos vivunt, quantum in ipsis est, salutem, cujus fundamentum est fides. Unde in conscientia gravissimè tenentur removere obstacula, illorum infirmitati condescendere, in hoc imitari Apostolos, Sanctissimos Patres, Summos Pontifices, necessaria solum ab illis exigere, non perfecta, quæ modo portare non possunt.

Supponimus III. ut abundè supra probatum, nullum esse in sententia de ritibus politicis tam solidè fundata periculum superstitionis ne materialis quidem respectu Christianorum.

His positis manifestè patet, eos qui contra sentiunt clauduntque januam fidei Sinis innumeris ex vano superstitionis atque idololatriæ metu, subire evidens periculum violandæ legis charitatis, tum erga Deum, tum erga

proximum in re graviſſima, ubi de irreparabili ſalutis æternæ tot hominum jactura agitur, nec non tranſgrediendi ipſius Chriſti præceptum de Evangelio omni creaturæ prædicando.

An verò excuſari poſſint de legibus iſtis violatis, qui ſic agunt, per ignorantiam invincibilem, ſive per aliquam probabilitatem, erit ſummi omnium in terra Judicis ac Patris, poſt omnia benè ponderata, judicare ac definire, cum tam levis ſit iſtiuſmodi oppoſita probabilitas, tam facilè vinci poſſit hæc ignorantia.

CA-

CAPUT V. VI. VII.

MANDATI MAIGROTIANI.

QUod * ſpectat ad caput quintum de tabellis, quas Reverendiſſimus ſuo arbitrio reformat, duo oſtendimus in Reſponſo generali, primò literas illas *Xin goey*, vel *Xin chu*, vel *Lin goey* tabellis iſtis inſcriptas, juxta communem Sinarum fidem, nihil ſuperſtitionis continere: ideoque reformationem Reverendiſſimi eſſe prorſus inutilem. II. Non modo hanc inutilem eſſe, ſed per eam quoque in graves omnino anguſtias Chriſtianos Sinenſes ſine juſta cauſa conjici.

† Quoad VI. caput de Philoſophia Sinica, probavimus non minus Reverendiſſimo adverſari Reverendum P. de Morales Dominicanum, & Reverendum P. Antonium à Sancta Maria Franciſcanum, quam Miſſionarios è Societate, ideoque ea illum proſcripſiſſe quæ ignorabat, utpote in Sinicis parum eruditus vel de acceptione perſonarum convictus.

‡ Quoad VII. caput cum ſit ſola exhortatio

* *Obſ. in 5. cap. Mandati Reſponſi generalis.*

† *Obſ. in 6. Mand. cap.*

‡ *Item in 7.*

tio ad Ludimagiſtros, ut ſint cauti in prælegendis Sinarum libris, diligenteſque in edocendis Chriſtianæ fidei myſteriis, nihil eſt cur ibi diutius immoremur.

Interea confidenter audemus arbitrari, Pater Sanctiſſime, ſolidè probatum fuiſſe à nobis in utraque parte hujus epiſtolæ, quod fuerat jam inde ab initio propoſitum, nempe I. tot reperiri in Mandato Reverendiſſimi Domini Maigrot defectus juris, reverentiæ erga S. Sedem, æquitatis, prudentiæ, totque humani affectûs indicia apparere, ut vi illius Mandati nihil poſſit juridicè definiri circa ſeptem puncta quæ continet, etſi aliunde conſtaret iſta remedio indigere. II. Hæc tam parum indigere tali remedio, ut licet iſtud Decretum extrinſecis nævis ac defectibus careret, videatur tamen, quoad ea quæ benè præſcribit, inutile; quoad plura quæ malè prohibet, non minus injuſtum quam periculoſum.

Quæ ſi ita quoque viſa ſint Sanctitati Veſtræ, humillimè ſupplicamus

I. Ut reſciſſo Reverendiſſimi D. Mandato tot titulis nullo, confirmare ipſa auctoritate ſua dignetur Decretum S. Congregationis anni 1656. ab Alexandro VII. tunc approbatum, & hodie à Reverendiſſimo Dom. reprobatum.

II. Ut Patri Martino Martinio cujus eximiæ virtuti ac pietati per corporis incorruptionem tam illuſtre videtur Deus teſtimonium dediſſe, ſuam quoque famam reſtitui præcipiat tam injuſtè quam publicè violatam.

III. Ut Evangelii in Sina Miniſtros eorumque Chriſtianos tam falsò quam odioſè in dede-

dedecus Ecclesiæ Catholicæ idololatriæ accusatos solari dignetur, protegere, & à tam atroci calumnia vindicare.

IV. Ut contemptis vanis Reverendissimi timoribus scrupulisque, Missionarios adhortari quoque velit ad conciliandam sibi viâ omni legitimâ, conservandamque Sinici Imperii benevolentiam & gratiam, qua adjuti Christianam fidem possint longè latèque, non modo per omnes tanti Imperii Provincias, sed etiam per civitates omnes, oppida & pagos protegente Deo atque incrementum dante propagare.

Denique ut praxim sententiamque de ritibus Sinensium erga Confucium Progenitoresque merè politicis tam benè fundatam, tot rationibus, tantaque auctoritate subnixam, non modo probabiliorem oppositâ, sed & tutiorem, non solum non sinat prohiberi ut falsam, non solum permittat approbari ut veram, sed & jubeat ut fortè unicè tutam adhiberi, ne claudatur in æternum sine gravi, sine ulla causa, innumeris Sinis janua salutis & fidei.

Renovamus, Pater Sanctissime, protestationem quam sub finem responsorum S. Congregationi oblatorum jam exhibuimus circa virtutes & dona extraordinaria sive Patris Martinii, sive aliorum, volentes in omnibus obedire Decretis Apostolicis, nihilque illorum intendentes quæ illa prohibent.

Addimus insuper, Pater Sanctissime, quæ in scriptis nostris Reverendissimo Domino Maigrot & Domino Charmot respondere coacti sumus, ita jubente S. Congregatione, ut

consultùm esset veritati, Ecclesiæ, fidei, Neophytorum in China Missionariorumque innocentiæ sine causa legitima & contra jus & fas, uti certò nobis persuasum est, impugnatæ, debere à nullo intelligi quasi hæc à nobis dicta contra alios ejusdem instituti Missionarios, & multo minus contra illorum Præpositos, quippe quos reveremur & colimus, scimusque non idem sentire ac Reverendissimum de Missionariis nostris Sinensibus, ut constare potest ex testimoniis autenticis.

Imò affirmamus quod verum est, Pater Sanctissime, nos nihil aliud intendisse, quam justam & necessariam defensionem, adeo ut si quid contra mentem nostram excidisset quod ad eum finem Sanctitati Vestræ videretur non necessarium, id planè velimus à nobis omissum, parati de cætero & ipsi Reverendissimo Domino Maigrot & Domino Charmot, prout in Evangelio Christus Dominus præcipit, ubicumque se offeret occasio, tam in Europa, quam in China, omni obsequiorum genere, in Deo, & propter Deum inservire.

FINIS.

IN-

INDEX

Præfatio.

De cultu Progenitorum & Confucii.

Articulus I.

Articulus II.

Articulus III.

Articulus IV.

Articulus V.

SE-

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

contra

Epi-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Quamvis Ordo prædictus juxta quem visuntur scripta quæ *Historia* hæc aut verius *Causa Sinensis*, complectitur, inconcinnus non sit, quia tamen ab aliquibus meritò desiderari posset ordo eorumdem legendorum magis naturalis, non ingratum duxi futurum, schema hoc novum præcedenti subnectere. Poteris itaque hanc servare seriem ut legatur.

I. A pag. 402. usque ad 409. Epistola Illustrissimi ac Reverendissimi D. Caroli Maigrot ad Innocentium XII. Summum Pontificem.

II. A pag. 332. usque ad pag. 339. Declaratio seu Mandatum provisionale Illustrissimi ac Reverendissimi D. Caroli Maigrot Vicarii Apostolici Fokiensis, nunc Episcopi Cononensis.

III. A pag. 339. usque ad pag. 402. Reverendissimi D. Caroli Maigrot de factâ pro Fokiensi Vicariatu circa nonnullos Sinicos usus Declaratione.

IV. A pag. 409. usque ad pag. 437. Declaratio Illustrissimi D. Maigrot publicata à Reverendissimo Domino Joanne Basset Baccalaureo Sorbonico, Provicario Provinciæ *Kiansi* Sinarum; & Epistolæ variorum Superiorum Missionis, & aliorum Missionariorum, quibus confirmatur Mandatum Illustrissimi D. Maigrot.

V. A pag. 437. usque ad pag. 473. Sacræ Congregationi Sancti Officii pro Nicolao Charmot, Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum, aliorumque Missionariorum Gallorum Asiæ Orientalis Procuratore generali.

VI. A pag. 473. usque ad pag. 505. *Veritas facti*, circa quosdam Sinarum usus controversos, probata ex ipsis Scriptoribus Societatis Jesu, juxta Decretum 3. Julii 1697. S. Congregationi Sancti Officii,

ficii, pro Nicolao Charmot. Oblat. die 6. Augusti 1697.

VII. A pag. 505. usque ad pag. 520. Responsio ad Epistolam Reverendissimi Patris Præpositi Generalis Societatis Jesu, scriptam ad Reverendissimum Dominum Assessorem Sancti Officii. Sacræ Congregationi Sancti Officii. Oblat. die 6. Augusti 1697.

VIII. A pag. 520. usque ad pag. 535. Sacræ Congregationi Sancti Officii, pro Nicolao Charmot Missionario Apostolico &c. Responsio ad Libellum Supplicem Reverendi admodum Patris Procuratoris generalis Societatis Jesu, oblata die 23. Septembris 1697.

IX. A pag. 535. usque ad pag. 544. Varii actus à Sinis in cultu Confucii Philosophi, & Progenitorum defunctorum fieri soliti, ob quos idem cultus Edicto provisionali Reverendissimi Caroli Maigrot prohibetur, unà cum aliis quibusdam ad eorumdem Sinarum Religionem & doctrinam pertinentibus de quibus in eodem Edicto statuitur. Traditum Illustrissimo Domino Bernino Assessori die 31. Octob. 1697.

X. A pag. 1. usque ad 176. Notæ in Observationes à Reverendissimis Patribus Societatis Jesu, Sacræ Congregationi Sancti Officii exhibitas in Mandatum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Maigrot Vicarii Apostolici & Episcopi Cononensis electi, à Nicolao Charmot &c. Sacræ Congregationi Sancti Officii oblatæ die 29. mensis Julii 1698.

XI. A pag. 177. usque ad pag. 279. Breves notationes in præcipua loca Observationum residualium Societatis Jesu contra Mandatum Reverendissimi D. Caroli Maigrot, à Nicolao Charmot Sacræ Congregationi Sancti Officii oblatæ die mensis Octobris 1698.

XII.

XII. A pag. 279. usque ad 332. Dispunctio quorumdam locorum Libelli Supplicis quem Patres Societatis Summo Pontifici, super rebus & controversiis Sinensibus obtulerunt, velut compendiolum grandioris voluminis Sacræ Congregationi Sancti Officii antea ab eis oblati, per Nicolaum Charmot, oblata Sacræ Congregationi Sancti Officii die 22. mensis Octobris 1698.

XIII. A pag. 545. usque ad 548. Libellus Supplex Reverendi admodum Patris Procuratoris generalis Societatis Jesu, Sacræ Congregationi Sancti Officii, oblatus die 2. Maii 1697.

XIV. A pag. 566. usque ad 573. Epistola Thyrsi Gonzales Præpositi Generalis Societatis Jesu, scripta ad Illustriss. & Reverendiss. Dom. Berninum Assessorem Sancti Officii, die 28. Junii 1697.

XV. A pag. 548. usque ad 566. Alter Libellus Supplex Procuratoris Generalis Societatis Jesu, oblatus die 12. Septembris 1697. Alla S. Congregatione del S. Officio. Memoriale con risposta del Procurator della Compagnia di Giesu, alle istanze fatte per parte de Monsr. Carlo Maigrot, Vicario Apostolico nella Provincia di Fokien nel Regno della Cina.

XVI. A pag. 573. usque ad finem. Libellus Supplex à Societate Jesu, Sanctissimo oblatus mense Maio anni 1698. super rebus & controversiis Sinensibus, velut compendiolum grandioris voluminis Sacræ Congregationi Sancti Officii antea exhibiti.

FINIS.

2-4-1